C. 3
8
6-a
6
Y
29 K
40

~~8 – 6 – H – 20~~

8 – 6 – a – 24

XXXII.14.5.

8ai

Auctoris munus.

FRANCISCI
ZAVAE CREMONEN.

ORATIONES IV.
EPISTOLARVM LIB. VIII.
CARMINVM LIB. III.



CREMONAE

Apud Vincentium Comitem.

M D L XVIIII.

PATRVM AVTORITATE.

FRANCISCVS ZAVA

BROCARDO PERSICO

COMITI. S. P. D.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

C ONCINNE profectò, & prudenter Plato cũ omnibus mortalibus in Critone ſuo agebat, mi prudẽtiſſime Brocarde, Vrbis noſtræ perpetuum, & illuſtre ornamentum, quando patriæ charitatẽ beneuolentiæ omnium anteponendam acutiſſime diſſerebat. Nã, cum ea nos genuerit, nos educarit, & ad ſui nominis propagationem ſeruarit, nobiſcum omnia ſua bona communicarit, noſtra omnia merito ſibi eadem vendicat. Quod mecũ cum diu, et multum cõſideraſſem, in me nihil eſſe animaduertebam, quod patria ſuum eſſe nõ diceret, & ſibi omnino vendicaret. Quæ longa diſputatio me eò adducebat, vt quicquid mihi ingenio, aut induſtria comparaſſem, id omne huic tanquam Ioui Feretrio conſecrarem. Veruntamen cum eius ſepenumero beneuolentiam, & antiquam humanitatem expertus fuiſſem, quæ animi cuiusq; liberam voluntatem in rebus præſertim honeſtis eſſe voluit, nõ diutius mihi hæſitandum, & amplius cunctandum exiſtimaui, quo minus vna re mihi eius amorem retinerem, & eadem re beneuolentiam tuam inirem, & propius conciliarem. Cum igitur quædam mihi ad ignauum otium tollendum conſcripſiſſem, & illa multorum precibus, qui me ad hoc vel ſolo nutu impellere poterant, in lucem

edere coactus fuiſſem, tuo nomine, maiorũq; tuorum claritate cum veteri, tum recenti memoria tuto ea prodire, & noſtris ex ædibus exire poſſe arbitratus ſum: Quæ tui nominis autoritate, & vbiq; gentium illuſtriſſimæ familiæ tuæ fama percelebrata, tanquam Palladis Clypeo tecta, & Iouis Aegide munita nullius inuidi, & obtrectatoris verba maleuolentiæ inſperſa odijs timerent. Quod vt facerem antiquæ familiæ tuæ nobilitas me adhortabatur, viri, qui in omni genere laudis floruiſſent, admonebãt, tuæ ſingulares, et omnibus notæ virtutes conſtantiſſime impellebant. Nã vt taceam tuas in omni parte egregie & perfecte virtutes omnibus comprobatas, illa eſt domus tua antiquitate illuſtrata, virtutum genere & præclarorum factorum gloria nobilitata, vt ſumma & maxima omnium ingenia in ſui admirationem conuerterit. Ea, quod alibi declarauimus, antiquiſſimam ſedem Neapolim hinc tranſtulit; profecta tamen à Perſio, aut (quod potius cum literatiſſimis viris probo) à Perſia oriunda, non vt Blondus à Sabloneta ex qua originem maiores tuos habuiſſe, & Leander Albertus Blondum ſequutus falſo ſcripſit. Dij boni quàm ridiculũ eſt dicere à Sabloneta Perſicos originem ducere? quàm abſonum, quàmue abſurdum? quàm quoq; à veritatis forma abeſt? Nemo enim qui priſcorum huius familiæ memoriam iu veterum annalibus legit, & libros antiquos hac de familia agẽtes euoluit, hoc neſcit. Maiores tui Sablonetæ illiusq; vberrimi tractus rectionem, ac iuriſdictionem habuerunt, non tamen illic eorum familiæ origo, & nominis tamque præclaræ ſobolis propagatio fuit. Annis enim multis ante gloria rerum geſtarum Cremonæ floruerant, mox Neapolim ſe contulerunt Aragonum Regum beneficio, quod in antiquis monumentis, & priſcorum annalibus teſtatum legimus. Neq; hoc In antiquorum Hiſtorijs exercitatis obſcurum eſt. Quanti vero generis origo, & gentis antiquitas apud vetuſtiſſimos, & maximos populos fuerit non te vt multarum rerum peritiſſimum & maxime expertum latet. Arcades in primo dignitatis loco hoc reponunt,

Athenienſes veræ exiſtimationis & nobilitatis acerrimi æſtimatores antiquam originem ſuam omnibus præferendam iudicabant, quod vt firmiſſimum nobilitatis ſuæ argumentum primo quoque verbo,& dignitatis certamine proponebant. Vnde nõ dubitarunt viri docti,et ſumma prudentia illuſtrati illos dicere cum terra,vbi poſtea ædificia erexerunt,natos fuiſſe. Nullum enim illorum principium,& originis fontem cum latini, tum Græci ſcriptores inuenerunt,& qui de eorum laudibus ſcripſerunt,primum & nobiliſſimum Athenienſium nobilitatis gradum incertum originis, & tanti nominis ortus fontem poſuernnt, vt hoc maximum cæterarũ rerum ad laudem ſpectantium fundamẽtum eſſet,quod in omnibus, tanquam cæteris rebus pręcellat, conſiderari ſolet. Huc & ipſe cogitationes meas omnes adduxi. Nam reliqua, quibus auitam laudem ſuſtines,omnibus nota ſciebam. Cui enim morum tuorum temperantia obſcura eſt? cui vitæ totius frugaliſſimæ continentia non manifeſta? cui animi tui excellentia,et liberalitas nõ cognita? cui militaris diſciplinæ ornamenta tua non perſpecta? quem deniq; ingenij tui præſtantia latuit? quis vnquam corporis tui actiones vegetas in bello deſiderauit? Hæc cum in te ſummopere à ciuibus noſtris cõmendari audirem,valde mecum lætabar,ſed qui parſimoniam, beneficentiam, animi tui præſtantiſſimi conſtantiam, ſplendorem, & cum his omnes virtutes natas non ignorarem, minime hæc admirabar. Mihi potius pſuadebant,cuius rei multi è primarijs vrbis noſtræ ſunt teſtes, vt te, patria quoq; annuente (nam illa inuita nihil mihi auſpicato aggrediendum vnquam putaui) è multis eligerem, cui noſtras, quæcunq; eſſent vigilias (ſic enim licet appellare, quando dies totus mihi in erudienda Cremonenſi, externaq; iuuentute ponendus eſt) dedicarem. Quod tanto libentius feci, quanto vehementius nonnulli amici mei mecum agebant, vt externo alicui Principi has conſecrarem. Nam iſtas aliquid eſſe horum iudicio, conijciebam. Quibus conſtanti animo ſemper reſpondi mihi eos non probari, qui malint aliorum vel potentiſſi-

morum

morum beneuolentiã ſibi cõparare, quam ciuium ſuorum gratiam et charitatẽ retinere. Quãdo (vt inquit ille) hæc primas ortus noſtri partes ſibi vendicat. Hui, dicebã, eſt ne patria noſtra illa, quæ ita preſtãtiſſimorũ virorũ inopia laboret, vt deſint, qbus gratificemur, cũ ſemper abundauerit egregijs viris, et ſplendidis Mecænatibus? His mecum diligenter pertractatis, te omnibus preponendũ cenſui, quotquot ab amicis meis offerebantur, hoc meũ conſilium probaui & ciuibus noſtris. Tu vero hæc eo animo accipies, quo gratiſſimo & libẽtiſſimo ad te damus, & quando pueneris ad tuos quos breuiſſime in tertia Oratione noſtra pcurres, nulla admiratione afficieris ſi illos in ampliſſimis & orbis terræ latiſſimis cãpis verſatos, in omniumq; oculis poſitos tam breui, & anguſto ſpatio amplexus ſum. Tempori enim mihi, & rei ſuſceptæ inſeruiendum erat. Quorum tamen egregia facta ſi quid ocij nacti erimus latius explicabimus, & vberiori verborum copia, concinnioriq; rerum ſingularum ab his ſplendide actarum ordine dilatabimus. Hæc nunc accipe, vt meæ in te perpetuæ obſeruantiæ monumentum. Deum Optimum Maximũq; rogabo vt quibus felicibus fatis tui maiores, & reliqui deinceps hanc familiam in præclariſſima dignitate retinuerunt, iiſdẽ poſteri non patiantur intermori, ſed augendo potius incolumem ſeruent. Vale Cremonenſium maximum ſolatium, Philippi Regis Optimi Maximiq; delitiæ, Perſicæ domus illuſtriſſimum exemplum. Iterum vale Cremo. Cal. Aug. CIↃ IↃ LXIX.

AD FRANCISCVM ZAVAM SANCTINI BAPTISTII CREMONENSIS CARMEN.

Zava tuos propera iam cultos edere libros,
  Vt pateat linguæ gratia mira tuæ.
Virtutem celaſſe nefas eſt. prodita alumnos
  Illa beat Cœlo, perpetuatque ſuos.
Per te clara magis, Romana colonia fiet
  Noſtra Cremona, tuos percipis vnde ſales.
Iam ſatis hos noſtri ciues legere libellos,
  Ignotum externis id tamen extat opus.
Quid ſtas? pande tuos fructus, proferq; labores,
  Mille tui fruges vt capiantur agri.
Tantæ haud Campani, Siculi nec fruge coloni
  Hactenus extiterant fertilitatis agri.
Nobilis eſt animi, generoſi pectoris, altas
  Ad ſuperum ſedes ſcandere cœlicolum.
Res pulchras niti, factis extendere famam,
  Et genus, & patriam condecorare ſuam.
Quod facis, & recte liuorem fallis edacem
  Prouidus, haud qui te talia poſſe putat.
Perficias vtinam ducibus Dijs munus ad vnguem
  Incœptum, vt proſis ciuibus vſque tuis.
Fortunam virtute tua, ſortemque, genusque,
  Zaua tuum nemo te ſuperare negat.

IO. BAPTISTAE TVRRIANI CREMONENSIS CARMEN

AD FRANCISCVM ZAVAM.

Francisce, ingenti quem fama exornat honore,
  Cui ſponte eximium gloria texit opus,
Dum vacuus Latij per florida prata vagaris
  Eloquij, meditans verba ſoluta modis,
Aſſurgit, plauditqúe hilari tibi Tullius ore,
  Et, quoſcunque ætas illa beata tulit.
Quin te operam iuueni, peperit quem Maia, dediſſe,
  Arcade vel natum patre fuiſſe reor.
Dum molli impellis vocales pollice chordas,
  Pieriaqúe feris carmina culta lyra,
Te mœſtus torua proſpectat fronte Tibullus,
  Grandiloquuſqúe Maro, Quintiliusqúe meus.
Quin etiam eductum Phœbo, Muſisque vireta
  Crediderim bifidi te per amœna iugi.
Eia agè rumpe moras, magnum tua ſcripta per orbem
  Dimitte, & famæ carbaſa pande tuæ.
Solue ratem. diros ſcopulos ſuperabit, & vndas,
  Nec metuet vaſtum tuta carina ſalum.
Iam tibi cuncta vides Cœlo conſtare ſereno,
  Iam Zephyri ſpirant, & leuis aura noti.
Emenſus dubios pelagi implacabilis æſtus
  Iam capies portum, quò tibi curſus erit.

FRANCISCI
ZAVAE CREMONEN:
ORATIO PRIMA

AD IVLIVM CLARVM, EX ORDINE SENATORIO CREMONAE PRAETOREM, Cremonenſeſque Decuriones, pro rei literariæ veteri inſtituto ſeruando.



CREMONAE

Apud Vincentium Comitem:


M D LXVIII.

FRANCISCI

ZAVAE CREMONEN:

ORATIO PRIMA

Ad Inclytum Cæſarum, Ex Ordine
Senatorio Cremonae Praetorem,
Cremonenſesque Decuriones, pro rei
literariæ veteri inſtituto ſeruando.



CREMONAE

Apud Vincentium Comitem.

M D LXVIII.

ORATIO PRIMA FRANCISCI ZAVAE

AD DECVRIONES.

PHILOSOPHIAM, Iuris peritiam, dicendi vim, & facultatem, omnes denique diſciplinas, & ſcientias in natura, tanquam in rerum omnium parente, educatrice, & magiſtra ſitas, & inde quaſi ex vberrimo fonte deriuari, clariſſime clare, quem hoc tépore huius inclytæ, fideliſſimæq; vrbis noſtræ Prætorem, cuſtodem, optimum patronum, noſtro quodam bono fato Dij eſſe voluerunt, Voſq; præſtantiſſimi Decuriones antiquæ, & patriæ, auitæq; virtutis maxima lumina, & ornamenta, cum humanarum, tum diuinarum cognitionum grauiſſimi interpretes, & ſcriptores communi iudicio, & conſenſu teſtantur, quod vos quoq; & legiſtis, & rerum vſu cognouiſtis, multoſq; per annos comprobaſtis. Neq; id ſolum rerum à natura inuolutarũ inueſtigatores præuiderunt, & ſenſerunt, ſed quicunq; in literis vel minime exercitati prædicant, & vno ore profitentur. Neq; vllus ingenij tam hebetis, ſenſus ita à re ipſa alieni, iudicij ita deprauati eſt, qui ignoret, cuiuſq; rei initia ex natura ipſa proficiſci, illumq; ad res arduas, & difficiles, cognitioneq; dignas fruſtra aſpirare, qui hanc vt nouercam, non vt matrem habuerit. Niſi fortaſſe hic vigilijs, labore, ſtudio, animo ita excubuerit (quod multos feciſſe memoriæ, annalibuſq; proditum eſt) vt hanc omni genere induſtriæ ſibi conciliet, penituſque duinciat. Nam & ſi quiſpiam à natura ſic adiutus fuerit vt quæ velit, propè aſſequatur, tamen niſi hic exercita-

tionem ingenij, mentis agitationem, corporis ad multas noctes actionem adhibuerit, in literarum ſtudio, aliarumq; rerũ tractatione frequens, aſſiduusq; fuerit, illius fiduciam irritam, vanam, omninoq; inanem nouerunt, & qui naturæ, bonitatis participes ſunt. Qui illa etiam ſuffragante nullum genus laboris relinquunt, quod non periclitentur, vt natura duce, labore adiuuante, ad quod animum intenderunt, ad quam vè doctrinam, & ſcientiam ſe applicuerunt, eam optimis induſtriæ auſpicijs conſequantur. Et vt nemo, quamuis agrum fertilem, & fœcundum inuenerit, ſine tamen ſolerti cultura, crebriſq; arationibus, & magno labore fructuoſum habere poteſt, ita ingenium, quamuis natura id fabricata fuiſſe videatur, per ſe tamen parum poſſe nouimus, excultum vero & frequenti, continua, diligentiq; meditatione, & doctrina expolitum, mirabiles culturæ adhibitæ fructus emittit. Nec id quo modo quamuis à natura educatus ſit, quiuis aſſecuturus ſit, facilè video, niſi prius parentes natorum ſtudioſiſſimi, educatores liberorum fideliſſimi lectiſſimos, egregios, beneq; moratos viros, ad quos cariſſimam nominis, familiæq; propagationem vnicum ſpei firmamentũ, rerum poſteris reliquendarum ſolatium, cogitationum, laborumq; ſuorum perfugium, maximã animi, & corporis ſui effigiem longiſſimæ poſteritatis, qua filios contemplantes frui videntur, exemplum mittant, ad imbibenda prima rudimenta, virtutis incunabula, loquendi elementa, mox ad altiora cognoſcenda, animiſq; firmatis grauiora exhaurienda elegerint. Id quod cum in omnibus caſtellis, vicis, pagis, præfecturis, municipijs, ciuitatibus ſeruatum ſemper fuerit, hoſtibus etiam illos obſidentibus, mœniaq; illorum oppugnantibus, in hac potiſſimum ciuitate, nobili, antiquaq; Romanorum colonia, omni tempore, in hunc

vſq;

vſq; diem in more, & conſuetudine, hic probatiſſimus, maximeq́; laudandus vſus, optima ingenij, & laboris exercitatio à maioribus accepta, & quaſi per manus tradita, diligentiſſime ſeruatus eſt. Cuius rei niſi ſuperior ætas tam ſtudioſa fuiſſet, non tot, tantosq́; Lugaros, Gaietanos, Armenzonos, Somentios, Oliuas, Tarteſios, Muſonios, huiusq; generis alios innumeros, de literis, ciuibusque ſuis optime meritos, nobis ad perpetuam huius præclariſſimæ conſuetudinis memoriã reliquiſſet. Quorum & nomina, & ſingulares virtutes non oculos, & aures veſtras præteruolarunt, ſed in animis veſtris inhærent, in memoriaq; penitus inſident; cognita loquor, ſermone omnium celebrata commemoro. Hanc vrbem igitur cum omnes ſcientiæ illuſtrauerunt tum Grammatica ingenua cognitio, vel maximo ornamento fuit. De qua doctrinarum principe, & fonte, ex quo reliquæ omnes ſcientiæ ſcaturiunt, hodierno die, in hoc celeberrimo conuentu apud vos pauca dicturus ſum. Cuius vim multiplicesq; fœtus facile percipietis ſi nos animis, quod vos facturos non diffido, res enim veſtra agitur, libētiſſimis audire nõ grauabimini. Grãmatica igitur hac in vrbe fortunatiſſimi Cremonenſes cũ omni genere ſcientiarum, tum hac perpetua, & nullo ſeculo intermiſſa, apte dicendi, polite ſcribendi, ſonore, concinneq; pronunciandi magiſtra, ampliſſimum, magnificumq; Dijs huius ſoli, & aeris fertiliſſimis ingenijs obſecundantibus domiciliũ habuit. Hæc omnibus ſcientijs quas diuerſis ſtudijs delectati quærunt, aditum perfacilem, omnibus ſalebris amotis, & expurgatis patefacit. Hæc alijs doctrinis, non vt Ancilla, & pediſequa illarũ, ſed vt fideliſſima Nutrix inſeruit, ſuos partus hæc alit, veſtit, lauta ſuppellectili ornat. Adultos verò per ciuitatem ſuam, per alienas, per regiones, per prouincias

libere

libere vagari ſinit, à ſe libenter dimittit, à ſe laborioſe prognatis ingenue, liberaliterq; educatis, ſe illuſtrari gaudet, neq; ab his ſe vinci ægre fert. Hæc omnium diſciplinarum initium, & fundamentum eſt. Non huc vllius autoritatē, & teſtimonium, quo id probemus, adducendum exiſtimo. Id in omniū ore, & ſermone, opinioneq; iampridem dum hæc fæcundiſſima, blandaque literarum parens huc è Cœlo aureis quadrigis vecta eſt, viguit, manſit, celebratum, & tanquam omnium ſigillo clariſſime obſignatum enituit. Hæc cui gratias agat non habet, ſuis enim viribus non alienis, firmatur, corroboratur, incedit. Si à diffinitione debet aliquid proficiſci, vt id de quo diſputandum eſt facilius intelligatur hæc primum apponit. Vix enim infantes, & paruulos ſuos vberibus grauidis irrigauit, cum penſum ſuum extendens muneris ſui diffinitionem explicat. Mox familiam ſuā nobiliſſime inſtruit, & ordine collocat, vnicuiq; partes ſuas diſtribuens, quid ſequatur edocet. Philoſophorum more dat præcepta quæ ad finem ſuum tendunt. Ex oratorum conſuetudine pluribus modis concludit. Dialecticorum breuitatem non aſpernens, breuiſſima ennunciata habet. Huic verò reliquæ omnes intelligentiæ quicquid luminis habent acceptum referunt. Poetæ enim Grammaticorum ſtudio dilucidantur, illorum virtus per Grammaticorum elaboratam curam, euigilatamq; interpretationem magis eniteſcit. Graues ſententiæ horum labore, & induſtria illuminantur. Si in varia rerum, & ſimili imitatione, & deſcriptione vel à ſe, vel ab alijs diſcrepare interdum videntur, Grammaticorum ſolers iudicium, multarum rerum peritia, diuerſarum cognitionum vſus, plurium rerum lectarum memoria, & recordatio illos conuenire ad miram & lectorum, & auditorum delectationem, expectationem,

vtili-

vtilitatemq; facit. Fabulas, quas tenebris inuolutas in illis Grammaticus inuenit, explicat, ad multos humanæ vitæ vſus deducit, illatum autores profert, ex annalium priſcorum monumentis, quaſi ab inferis excitat, ſi tamen is eſt, qui vere hoc nomine & dici, & haberi dignus ſit, & qui hoc munus honorifice præſtare ad ſtudioſorum aures audeat. Eorundum in hiſtorijs accurata verborum interpretatio requiritur, quæ à diligenti Grammatico elocutionis idoneæ, & concinnæ peruigili indagatore proficiſcitur, quo maximo duce, quæq; doctrina illuminatur. Nam præter ſenſus, & verborum intellectus, quos diligenter conſiderat; Hiſtorias quoq; multis modis ex diuerſis illarũ autoribus declarat. Quæ poſt homines natos in lóginquis, propinquisq; terrarũ orbis partibus vel ad Garamãtas, & Indos, nuperq; ad repertas Inſulas geſta fuerunt, ad omnium oculos, & aures, tanquam in clariſſima luce, & maxime lucido ſpeculo videnda qui politiſſimas has literas profitentur, referunt. Quorũ illuſtri narratione fit, vt & qui ſunt, quiúe mox ſequentur quaſi illorum rebus, qui multis & infinitis ſeculis iam præterierunt, quorumuè Reſpublicas florentes fuerunt intereſſe videantur, & illatum exortum, & occaſum vt pręſentes cognoſcant. Hæc quamuis ingenuis omnibus artibus veſtibula aperiat, in ianua illas ponat, in reliquarũ ſcientiarũ domicilia adducat, in penetralibus collocet, nõ tamen eius arrogantiæ eſt, vt primas partes ſibi vendicet. Philoſophię enim, diuinę Iuriſconſultorũ cognitioni præclariſſimis Naturæ muneribus tanquam ſuarum vigiliarum, & laborum locupletiſſimis teſtibus, non ſolum nobiliores ſedes, & partes condonat, & remittit, ſed omni veneratione illas diuinas, & nobiliſſimas cognitiones profitentibus aſſurgit; & ſumma beneuolentia proſequitur, ſuos labores, & nobilitatem diſſimulans

mulans illas exoſculatur, & benigne amplectitur. Huic omnes literæ, quaſi cuiuſque generis doctrinæ alumnæ debent, id non recuſant qui has profitentur. Quæ tam humana, tam benigna, tam facilis eſt, tam vè dignitatis & ſedis ſuæ conſcia vt nulla aura capiatur, nulla ſuperbia efferatur; ſed quenq; niſi ille Barbarus omnino & efferus ſit humanitate, à quo dulciſſimo nomine eę literę quas tractat denominatæ ſunt, ſibi deuinciat impune & libere per omnium artium fertiles, & bene excultos campos excurrēs. Quicunq; enim alicuius rei ſpeciem repreſentare vult, & rerum arduarum cognitionem ante oculos ſtudioſorum, & de aliqua re diſceptantium gratum finem rei exponendæ auide expectantium ponere ad hunc vberrimum fontem confugiat, præceptaq; inde emanantia, niſi infantiſſimus videri, & haberi velit ſeruet neceſſe eſt. Nec quiſpiam in definiendo, & quanque rēm ad terminos ſuos reuocando, illamq; circunſcribendo ſatis feliciter ad quod animum intenderit aſſequetur quando hoc lumine Grammaticorum caruerit. Si quis etiam de officijs, virtute, moribus, quarum omnium rerum tota Philoſophia referta eſt, acturus, verborum ornatum, dicendi copiam, orationis ſtructuram, hinc mutuatur. Ab hac enim tanquam à ſummo artifice verba modificata, & quodamodo inflexa obſeruantur.
Non mehercule hæc omnes ſcientias comprehendit, & poſſidet, ſed velut quoddam intelligentiarum omnium plectrum in mente illius inſidet, qui hanc exacte amplexus eſt, & totos dies, noctesq; in hac excolenda poſuit. Neq; ſolum efficit, quod lapis ad milliaria, qui index viæ non progreditur, ſed iam exercitatos, alijsq; intelligentijs expolitos ad ſublimiora impellit, ſubleuat, & erigit. Vnde non mirum ſi tot, tantosq; Poetas, Oratores, Geometras, Aſtrologos, Muſicos qui per vocum

ſonos

ſonos ab hac cognoſcunt, ſi tot Iuriſconſultos legum ſacrarum Interpretes, totuè Philoſophos ex hac primarum artium doctrina, & clariſſima præceptorum officina tanquam ex equo Troiano profectos, maioremq; numerum indies magis emanare animaduertimus. Quibus ſi ciuitas vnquam vlla floruit vel nunc maxime floret, hæc noſtra ſemper excelluit, & nunc in primis huiuſmodi virorum excellentia exultat, & præ cæteris gaudio triumphat. Illam ciuitatem maxime miſeram, quæ hoc tam bono, proſpero, fœliciúe commodo caret, quis neſcit? Quid enim homini ad rationem, ſenſusq; pene diuinos nato miſerius accidere poteſt, quam ea re carere, qua ſine vegeti ſenſus obſcurantur, intimæ cogitationes non explicantur, aditum omnibus ſcientijs intercludi cognoſcimus & omnia ab ipſa affabre conſtructa, erecta, ædificata, ad extremum ferè faſtigium adducta corruere quodamodo intelligimus? At vrbem noſtram multis rebus, hac potiſſimum fortunatam ſemper fuiſſe, hinc liquido apparet, quod ſtatim ab hominibus natis, & in cetum ad vitam propagandam legibus obtemperaturis conuocatis, hæc ciuitas noſtra ad Lacedemoniorum mores, leges, & diſciplinas formata preſtanti hac doctrina, quæ in omnibus ſcientijs ſemper viguit, cęteris Italię ciuitatibus excelluerit, ad quam ob innumeram Grammaticorum multitudinem eorum maxime celebrem, & grauiſſimam, conſtantiſſimamq; famam omni tempore honeſtiſſimorum iuuenum multitudo confluxerit. Neq; eſt vt ab incunabulis huius vrbis exordia, quæ Vergiliũ, quæ alios deinceps, & multo ante florentes, & Poetas, & Oratores magnos, optima hac diſciplina inſtructos, & ornatos à ſe demiſit. Hæc vt nimis antiqua nulla tamen temporis vetuſtate obſcurata pretercam, cui obſcurum eſt, Tridentinos huc liberos ſuos ad literas, &

mores condiſcendos miſiſſe? Quis quoq; neſcit, qui turcarum fines attingunt,ſcopulorum nauigantibus inſidiantium immemores, locorūq; in mari periculoſorum oblitos,cum multarum rerum noſtrarum præſtantiſſima fama impulſos, tum vero literarum ſtudio allectos, huc ſumma animi alacritate, remorum magna contentione ad nauigaſſe? Nec credo vos ignorare cum primum huc ſe applicuerunt, quorum hoſpitium frequentauerint, & à quibus ad literas has humaniores informati, hisque ornati fuerint. Id ſcitis,hos bene cognoſcitis amātiſſimi ciues. Sunt enim quotidie cum filijs veſtris,in optimis diſciplinis cū iiſdē verſantes. Quem veſtrum quoq; latet ingentem quotannis Papienſijum numerum, Placentinorum, Parmenſium, Mantuanorum, Brixienſium, Inſubrium, Vercellenſiū, Alexandrinorum, Caſalenſiū, eorum,quoq; qui vltra Apenninos mōtes,ciſq; habitant, mediteraneorum deniq;, & maritimorū vndiq; ad hanc vrbem conuenire tāquam domum amicis apertiſſimam, & perhoſpitalem literarum,morum, ſapientiæ,eloquentiæq; officinam, ad has interiores, & recunditas literas percipiendas? Nuſquam(quod ego ſæpiſſime à ciuibus noſtris audiui) ciuitas fuit, hac fertilior numero Grammaticorum,qui hanc ſcientiam in patria ſua conſequuti, in eadem hanc ipſam profeſſi ſint. In nullis enim(quod ſciam) annalibus obſeruatum eſt, aliunde accerſitos, qui iuuentuti noſtrati ex Græcorum more,& inſtituto in literis, & moribus informandæ præeſſent. Legimus vero noſtrates ciues, & paucis annis ante vidimus magnis pollicitationibus diu oppugnatos, maximis tādem præmijs expugnatos, alio vt iuuentutem ſuam in moribus, & literis Cremonenſibus erudirent, à grauiſſimis viris abductos maxima cum nominis Cremonenſis exiſtimatione. Quos & ſi in patriā nuper decreto veſtro ſanctiſ

ſimo

ſimo reuocãdos cenſuiſtis, nõ id ea tamen cauſa à vobis factum eſt, vt ad labores priſtinos excipiendos, & exantlandos, iam de literis, & patria optime meritos euocaretis, tanquam hæc patria veſtra literarum nundinæ, penitus vnius morte omni literatorum præſidio orbata contabeſceret, & languida iaceret, ſed vt more Atheníenſium domi apud ciues ſuos, non minus honorifice, quam illi in Prytaneo ſuo alerentur: Quo honore qui de Repub. Athenienſi bene meruiſſent, decorabantur: Qui honos apud Græcos, & mox apud Siculos habitus fuit. Nec minus noſtri ciues, præſtantiſſime Prætor ciuium de ſe prçclare meritorum memores, gratiq; illos non ad labores aſperos, & ſolitos ſuſcipiendos vocare ſolent, ſed aſpectu & præſentia, ſolum contenti ad decorandam communem patriam, & ad reliquos, horum exemplo ad veterem conſuetudinem inflãmandos blandiſſima oratione inuitare conſueuerunt, qui iam in curriculo priſtinç induſtriæ verſantes, à maiorum curriculis laudum conſtitutis, iamq; conſtanter impreſſis veſtigijs, contritiſq; non deflecterent. Quorum alumni non ab alijs, ſed à ciuibus ſuis diſertiſſimis, probatiſſimisq; viris antiquæ virtutis, & diſciplinæ exempla acciperent. Ab illis enim & quieſcentibus, digitis, nutuq; cõmonſtrantibus, plurima ad perfectam (ſi tamen vlla doctrina perfectè percipi poteſt) eruditionem, & doctrinam accepturi erant, niſi eis præter omnium expectationem accidiſſet, vt vel ex fatorum ſerie, ordineq; naturæ, vel aliquorum nomini, famæq; noſtræ inuidentium præſtigijs, hinc vitam cum morte cõmutarent. Ad laborem publicæ vtilitatis tamen admoniti libẽter redijſſent, & nunquã intermiſſa ſtudia iam ſeneſcentes libenter pertractaſſent, ne qui eorum muneri vicarij ſuccederent, prçclara inſtituta in erudienda iuuentute ad Dei Opt. Max. cultum, cuius

hæc ciuitas ſemper obſeruantiſſima fuit, & ad dulciſſimæ, maximeq; & ad laudis honorem, & dignitatem comparandam patriæ natæ frugiferæ humanitatis ſtudia inſiſtentes, aliunde expeterentur. Annus vndeſexageſimus huic vrbi morte Tarteſij literatiſſimi, ſanctiſſimique viri inſignis, & maxime luctuoſus fuit. Hunc communem mœrorem, expectatione Muſonij librorum Helluonis, virtutem omnium compotis, & peritiſſimi conſolabamur, cuius aduentus, quo maiori lętitia ciues omnes ſuos cumulauerat, eo maiori luctu illius ex vita diſceſſio, omnium animos conturbauit, afflixit, debelitauit. Non enim ſexageſimi anni plagam leuiorem ſenſerunt illa, vndeſexageſimi, quo Tarteſium deſiderauimus, cuius morte adhuc miſere plorantes dolemus, lugemus, gemimus? Nec immerito. Amiſimus enim veræ, non fictæ, & adumbratæ doctrinæ magiſtros, & ampliſſimarum artium cognitores, & diſceptatores, qui multiplici intelligentiæ genere hanc vrbem decorarunt, illuſtrarunt, in priſtina dignitate retinuerunt, auxerunt omni literarum, & doctrinæ præceptorum lumine, illuſtratam, magno, inexpugnabiliq; præſidio circumuallatam, & munitam poſteris ſuis tradiderunt, Cremonę nutricis ſuæ nomen vbiq; terrarum celebrarunt, quod illorum paſſim percelebri fama tam longe euolauit, vt nullus angulus ſit in extremo maris littore, qui ſummo præconio Cremonenſium mores, & literas celebrari, & clara voce decantari non audierit. Eorum quidem occaſu, & hinc ad ſuperos migratione Reſpub. literaria propè modum labefactata eſt, non tamen corruit. Non enim quo ordine & amore filijs veſtris conſuli cęptum, per mortem illorũ minus proſpici deſitum eſt. Quando quot eorum alumni ſi non dignitatis, at laboris, ſuperſtites fuerunt, tot eorum Theatra, & Gymnaſia

naſia protinus ab illorum obitu frequentari vidiſtis. Neque inficias, eo illorum exceſſu è vita ingentem nos calamitatem accepiſſe. Num ideo vobis animo Decuriones cadendum eſt? Non equidem arbitror, potius Dijs gratias habendas cenſeo, iudico, autumo, libera oratione profero, qui effecerunt, vt illi ſupereſſent, qui vos de liberorum veſtrorum ſalute, ciuitatis veſtræ dignitate non multum laborare, deſperareq; paterentur. Cum illis ciuibus male agitur amantiſſimi Cremonenſes qui amiſſo illo, in cuius vita decus, ornamentum, vniuerſæ Reipublicæ ſalus nitebatur, non habent, tanto amiſſo gubernatore, quo modo acceptum naufragium reſarciant. Vobiſcum vero ſi non præclare agitur, præ noſtrorum ad antiquam diſciplinam natorum interitu ludi Magiſtrorum, nec tamen deſperanter, quando duorum deſideratorum ciuium, eorum plurima ſeminaria munus cum obire poſſunt, tum vero cupiunt. Non in rerum deſperatione eorũ res ſitas crediderim, qui huiuſmodi iacturam ſubſortione nouorũ, ſelectioneq; recentium non pœnitenda reſarcire poſſunt, cum ad manus habeant quos in eorum locum ſufficiant, qui hinc ad celites poſt diuturnos labores, clarosq; cõmigrarunt. Qui ex animi ſententia hæc cõmoda aſſequi poſſunt, hos non calamitoſos, non miſeros, non ærumnoſos, non omni ſolatio, & præſidio deſtitutos vir prudentiſsimus, multarumq; rerum maxime perexpertus exiſtimauerit, ſed fortunatos ſummeq; beatos & cenſuerit, & habuerit. Sarta enim tecta à Dijs immortalibus hæc, quæ vos damna, & maxima intertrimenta, improuiſaq; & publica mala appellatis, puncto temporis ab omni periculo ciues veſtri ſeruauerunt. Hæc enim monumenta veſtra vetera, hæc inſtituta, hæc literarum præclariſſima ſtudia non iacent, ſed vigent, florent, indiesq; inclareſcunt. In hac

re (taceo quam plurimas potentiſſimas Reſpublicas) nec Romanis quondam florentiſſimis (liceat nunc parua magnis conferre) rerum, orbiſque terrarum maximis prudentiſſimiſq; moderatoribus inuidetis. Qui vt ipſi Reges, Conſules, dictatores aliunde non accerſiuerunt, ſic & vos morum magiſtros, filiorum veſtrorum fideliſſimos cuſtodes, & præceptores ex alijs euocare nulla neceſſitate cogimini, quibus potius ad alios hac cura ſubleuandos abundatis quam caretis. At dicet aliquis quid de Romanorum Regibus dicis? non ne omnibus compertum eſt Numam Sabinum ſecundum à Romulo in vrbem aſcitum fuiſſe? Et illi omnium cōſcenſu ſummam rerum traditam fuiſſe? Verum, non tamen id euenit fortiſſimorum, ſapientiumq; virorum, quibus Romani carerent penuria, ſed quia Numæ ea pietatis, & integritatis, Religioniſq; opinio, & fama non Romæ tantum, ſed vbiq; gentium erat, vt nō hominē ſed Deum Reipub. ſuæ, qui illum haberent præfuturum omnibus iam perſuaſum eſſet, omniumq; voce tanquam oraculo comprobatum, idcirco Romani illum euocandum ad imperij ſui rectionem exiſtimauerunt. Neq; hic mihi Hoſtilij, Tarquinij, aliorumq; regum Romanorum, quos omnes Romanos fuiſſe non dubitanter affirmarim, noua Hiſtoria contexenda eſt. Et vt aliunde auxilia non expetita, & vt principes externi non ad Faſces regimenq; tanti imperij euocati fuerunt, ita legimus, & obſeruauimus Dynaſtas, Tetrarchas, Reges populos, alienaſq; nationes à Romanis cum de eorum dominatu vehementer laboraretur, quod petebant facile impetraſſe. Sic huius ciuitatis Rectores, Reique publicæ gubernatores poſt Cremonenſium memoriam annaliū clare conſultorūm diſertiſſime, diſertorum eloquentiſſime, quod tua luculenta ſcripta, accurate meditata, ſumme exquiſita teſtificantur

ficantur, nunquam Grammaticos ludi magiſtros Hyppodidaſcalos huc precio vllo conduxerunt, quod mihi huius vrbis primates, & rerum Cremonenſium minime ignari ſæpe narrarunt. Quæ nam alia ciuitas eſt, quæ illos gignat, alat, qui ludos ciuibus ſuis in patria aperiant, illiq; literarum ſtudium exercentes, ſanctiſſimos mores, iuuenes ab optimis parentibus educatos doceant? Cremona hac laude inſignita, hoc præconio decorata, hoc nomine celebris ſemper viguit. Quæ nunc etiam illos habet, quibus ſi gloriari non vult, & gaudio quodãmodo triumphare, nec tamen eſt vt horum ipſam pœniteat. Quos enim fœtus ſuſtulerit, & in ſinu ſuo hos proximos annos fouerit, & educarit ipſa nõ ignorat. Florentiſſimum Tarteſij Gymnaſium optime nouiſtis, qui operam tanto viro multos annos in eodem puluere verſantes, & ſub eodem ſole animi fortitudine, & conſtantia; corporis firmitate grauiſſimos labores ſpe honoris ſuſtentantes dederunt, vobis noti ſunt, quiq; illo mortuo, (qui ſi in viuis eſſet, rudem per vos iam acciperet) ex Academia illa Tarteſiana tanquam ex refertiſſimo agmine in diuerſa vrbis loca migrauerunt ante oculos veſtros obuerſantur. Quod vnum literarum domicilium diu eodem in loco frequentatũ ciuitas noſtra cum maxima laude, & exiſtimatione nunc tripartitum videt, illicq; priſtinam conſuetudinem ex maiorum inſtituto ſeruari, & indies magis hæc Cremonẽſia Gymnaſia frequentari, & nobilitari tum à iuuenibus noſtris, tum à peregrinis ad omnium aures iam perlatum eſſe arbitror. Qui vero famam, vrbiſq; veſtræ veterem opinionem in re literaria liberos veſtros, in optimis diſciplinis erudientes, licet eorum nomina non proferam ſuſtineant, me tamen & tacente probe Decuriones noſtis? Neminem hic nominabo ne cum plures hæc ciuitas habeat

beat doctos, & Grãmaticæ artis peritos, tres, quatuorúe commemorans reliquis iniuriam facere videar. Reſtat ergo vt vos ciues amantiſſimi adhorter, vt cum ciuitas noſtra ornamenta illa hoc fere biennio amiſerit, quæ autoritate veſtra vbiq; enitebant, alij ſubſtituantur, qui vetus inſtitutum per ſucceſſionem vt ius hæreditarium ſeruent, alijsq; tradant, ne veteris virtutis lumina extingui videantur. Quod magno dedecori, & turpitudini ciuitati noſtræ foret, quæ omnium ciuitatum hactenus ſine controuerſia hac ſtudij, & literarum exercitatione maxime floruit. Nec vnum ex ijs tantum qui famæ cõmendatione apud vos aliquod doctrinæ pondus habet, decreto veſtro, & legibus autumem decorandum, ſed quotquot ſunt, qui ſe in aciem, ſolemq; referre audeant: Quo enim plures erunt qui laborem publice ſuſtentare non grauabuntur, tanto facilius deſideratorum, & amiſſorum recordatio vobis feretur, quorum amiſſio hoc ſolatio aleuabitur. Quæ medicina ſi non ſatis oportuna vobis videtur, quam aliam excogitem non habeo. Hoc ſi egeritis patrię nomen, & in literis, humanioribus propagandis exiſtimatio retinebitur, in quanq; regionem ſe ſe diffundet, & dilatabit. Neque hic cenſeo illos audiendos eſſe, qui vnum tantum ſeligendum putant, quorum ſententiam vt inanem, ſtultam, & fatuam, & vos exploſiſtis, quod mihi per amicos noſtros, qui huius generis ſermoni interfuerunt, ſubito nunciatũ eſt. Nec immerito, honori enim, & beneuolentię veſtrę in omnes bene hac de patria merentes non conſulebant, qui cum debuiſſent ſententias veſtras defendere, & conſilium veſtrũ ad cõmunem vtilitatem, & dignitatem adiuuare ſubuertere clanculum nitebantur. Quam ex dignitate veſtra ageretur, ſi vni tantum publicam mercedem perſoluendam decerneretis, reliquos in eodem labore, &

ſtudio

ſtudio dies noctesq; conſiſtentes, exciperetis, negligeretis, excluderetis? Quam pie id ageretis, qui maxime pij iudicamini? Quam ſapienter, qui cęteris ſapientia maxime præſtare in omnium opinione re ipſa poſuiſtis. Quam iuſte, qui vnicuiq; ſuũ cenſetis tribuendũ, quo nomine apud omnes optime auditis? Hinc abeant huiuſcemodi ſermone, & minime audiendo ſuſurro decreta veſtra diſturbantes, ignari liberalitatis, & munificentiæ veſtræ inſolentes, inſtitutionis antiquæ Cremonenſis penitus rudes. Periculum facite, animos eorũ tentate qui hoc tam egregium munus non recuſant, plures erant fortaſſe quã vos putatis, qui & hic, & apud exteras nationes bene in vtroq; genere officij, & literarum & morum audiunt reperietis. Horum labore hoc impoſito & ſtudiorum in ſingulos fructu, emolumentoq; nomen laus, honor, dignitas, fortunæ (ſi tamen ijs inhiant) augebuntur. Quod ſine iudicio, manſuetudine, facilitate decretoq; veſtro aſſequi non poſſunt. Tanti eſt momenti, & ponderis autoritas, & conſcenſus veſter apud omnes ampliſſimi Cremonenſes. Quid? Si aliqui domi vel morbo, quod Deus auertat, vel aliqua re occupati, vel foris detenti huius publicè conſilij ignari, cum primum vel conualuerint, vel quid ad rem hanc decreueritis cognorint, ſtatim ſubſcribent, & decretum hoc omnes comprobabunt. Tributis, vorſutis, veſtigalibus his proximis annis Italia populata, vexataq; cum ingenti bello Hirudine omnium fortunarum tota Europa flagraret, cum ſalus cuiuſq; ageretur, cum pro imperij dignitate laboraretur, exinnanito tenuiſſimo ærario, Arca cuiuſq; euacuata, oppigneratis fundis, eorum etiam multis venditis obruimur, fortunis omnibus euertimur, dicet fortaſſe aliquis. Et ita afflicti nunc ſumus qui olim florentis eramus, vt niſi aliquis Deus nos reſpexerit à tantis.

totúe calamitatibus vix ſperemus vnquã hos poſſe erigi. Nam in eum ſtatum res noſtræ redactæ ſunt, vt penitus diffidamus in veterem bonorum poſſeſionem, dignitatem noſtram reuocari poſſe. Multis iam bello etiam ſepulto & extincto debemus, quibus tamen nec ſoluẽdo ſumus. Quid? illa prætercam? Tributum in ſingula capita, Hoſtiaria, columnaria, frumentum, milites, vecturas, & decem millia huiuſmodi neceſſitatum nobis impoſita, & exacta idem referet. Sunt hę veræ querelæ, ſunt eæ iuſtæ lamentationes. Fuerunt eæ cõmunes miſeriæ & calamitates, fateor. Hanc ego vicem veſtram cum hæc fieri videbam vobiſcum grauiter dolebam, nunc etiam multum indoleo. Nam præter quam quod veſtrorum tributorum, omniumq; incommodorum, & doloris affinis ſemper fui, veſter quoq; ciuis ſum. Quæ vobis onera imponebantur, eadem & mihi. Neq; Timonis vitam mihi affingendã putaui. Hoc nanq; genus hominum, vt omnibus infeſtum non ſecus quam peſtem euitandam ſemper duxi. Sed vt gaudia veſtra gaudeo, & proſperis ſucceſſis veſtris lętor, ſic communibus calamitatibus, & doloribus affligor. Attamen cum temporibus inſeruiendum ſit, quorum varia, & inſtabilis eſt viciſſitudo animo vos minime cadere decet, præſertim quando fortunæ noſtræ conditio longe diſſimilis ſit non nullarum caſibus ciuitatum ante bellum florentiſſimarũ, quæ ita poſtea attritæ & iacentes ceciderunt, vt earum calamitas, ruina, perniciesq; & fere interitus lacrimas omnibus mouerint, & in annalibus ad omnium ſeculorũ memoriã iam conteſtatæ ſint. Quæ tamen his acceptis cladibus curam ſuorum gnatorum, ideſt Reip. nunquam depoſuerunt, ſed aſſidui in hoc munere & officio præſtando fuerunt. Quod maxima cum illorum laude à me dicitur, & in omni ſermone paſſim prædicatur, & omniũ

iudicio

iudicio commendatur. Nam omnia quæ ipſi paſſi fuerunt, patriæ pietate, liberorum caritate fortiſſimo animo ſuſtinuerunt. Qui cum hoſtium impetus excipiebant, in grauiſſimas pugnas deſcendebant, eo animo cũ hoſte conflictabant, vt mœnia, tecta, focos patrios, aras, patrimonium, cęteraq; bona, vrbem ipſam poſteritati conſulentes filijs ſuis incolumnia ſeruarent. Nos hæc cum ab omnibus duce natura fieri videamus in hac vrbe diſciplinarum omnium altrice nati, ſumma cura alti, inſtitutis parentum noſtrorum informati, adulti vberrimos Naturæ fructus experti, quos non paruo ſtudio illuſtrauimus, curam natorum patriæ immortalitatis inſtar deponemus? Illos nobis tanto labore educatos, tanta nobis ſpe ſuſceptos in virtutis & induſtriç curſu iam detrito non detinebimus? non id equidem bonarum artium vigilantiſſimi cultores ciues amantiſſimi, veterum inſtitutorum memores iudicatis. Noui enim veſtrum ingenium, noui animorum veſtrorum excellentiam, & magnitudinem, qui veſtrorum patrum prudentiſſimorum virorum, à quibus degenerare, graue, & flagitioſum crimen iudicaretis, imitatione nullam vberiorem, beatiorem, fortunatioremque hac liberis veſtris relinqui poſſe hereditatem ſępe animaduertiſtis, quam illos literis tanquam huius vrbis hæreditarijs cohoneſtatos videre, imaginem familiæ veſtræ poſteris, grauiſſimum eruditionis, & virtutis exemplum excitaturæ, ne deſint qui domi Rempublicam cuſtodiant, foris patriam decorent, alijs ciuitatibus præſidio, & ornamento ſint, quibus egregijs, & ſelectiſſimis viris hęc ciuitas ſemper, & abundauit, & floruit. Vt iam conijcio orationi noſtræ ciues amantiſſimi aſſentitis, hanc probatis, collaudatis, ex quo veſtro aſſenſu ingentem capio voluptatem. Non quod deſperarem id vobis probatũ iri, quod iampridem

animo conceperatis, & vna ſanxeratis, ſed quia deſiderabam, & ſententiam noſtram ſignificatione animi veſtri comprobari, in quam animaduertens vos nutu, & digitorum percuſſione, plauſu omnibus grato audito, ſine vlla animorum controuerſia diſceſſionem facere, incredibili lætitia efferor. Nam vt prouidentes, multarumq; rerum prudentes, & gnari magniq; conſilij, viri poſteritatis amantiſſimi homines naui, & induſtrij ad ſempiternam veſtri nominis, poſterorumq; memoriam, quo nihil maius, glorioſiusq; vobis accidere poteſt ſpectare animaduertiſtis, in ciuitate complures æmulos eſſe, quo magis laudis ſtudioſi, ad laborem inflammentur, quo ſtimulo nihil acrius inueniri poteſt, quando æmulatio ingenia acuit, inertes, & iacentes erigit, deſides excitat, pigros ad laudem mouet, honoris cupidos in curriculo ex magna parte decurſo retinet, inflammat, ad maiora impellit. Et vt fortiſſimi homines, gloriæq; appetentes impelluntur ad laudem cum aliorum exemplo, autoritate, præmijs, pollicitationibus, tum ſuopte ingenio, & magnanimitate, ita ij quoq; eodem immortalitatis ſtudio flagrantes nomen ſuum præconio, decretoq; veſtro declarari exoptant, quam rem omnium carollariorum inſtar habituri ſunt. Quorum virorum exempla in labore ipſi ſequantur habent, immunitate rerum donari qui in portoris, veſtigalibusq; ſoluendis à reliquis ciuibus non ſeparantur, autoritate veſtra decorari ſe ampliſſimum dignitatis titulum aſſequi arbitrantur. Beneficijs (quod veſtræ liberalitatis eſt) ad ſubeundos labores incitari, deuinciri, obſtringi, alligari, non illos latet, & eos libenter, quæ eorum eſt in patriam beneuolentia ſuſtinebunt. Quæ ſi digne ijs tribui conſideraueritis, quo alacriori ſtudio incepta perficiant, neminem non donatum omittetis, autoritate inſignitum, horũ quenq;

iudicio

iudicio veſtro probatum extolletis. Nullus autem labor quamuis arduus, & difficilis efficiet, vt victi ſuccumbere videantur, modo is cum laude coniunctus ſit. Præter enim modum lætantur ſe à viris laudatis probari. Hos veſtros Alumnos Placentini expetiuerunt, per grauiſſimos huius vrbis viros; Parmenſes deſiderauerũt, Veronenſes annis ſuperioribus ad Rempublicam ſuam literariam illuſtrandam, & amplificandam expoſtulauerunt. In primis & maximis vrbium ſuarum ornamentis hoc fore perhonorificum putabant, ſi ad filios ſuos facilitate, & Cremonenſi inſtituto erudiendos exorare magiſtros Cremonenſes potuiſſent. Qui vt id impetrarent, quo magis elaborarunt, eo minus quod precibus tentarunt, re aſſequuti ſunt. Nam qua caritate filios veſtros amplexantur, patrios lares, nullo modo relinquendos ſibi eſſe duxerunt. Quis veſtrum eſt qui neget ab ijs & pie, & probe factum fuiſſe; qui non putarunt patriam veteri dignitate expoliandam eſſe, vt externas hac patria induſtria ciuitates ornarent, & illuſtrarent? Perſuaſum enim habebant ſi beneficijs certandum eſſet, fore vt pares vobis minime eſſe poſſent illos de Republica bene promereri quam paratiſſimos, & Rempublicam id quaſi conniuentem non agnoſcere? Non medius fidius in animos Cremonenſium id cadit, qui omne liberalitatis officium, & cuiuſque rei delectum optime nouerunt. Agitur res veſtra præſtantiſſimi ciues, ciuibus veſtris labores publicos ad liberorum veſtrorum vtilitatẽ ſuſceptos videtis, in ijs erudiẽdis omnes curas, & vigilias poſitas cernitis, veterẽ conſuetudinem agnoſcitis maiorum in ijs ſtudijs veſtigia impreſſa à veſtratibus ſeruari animaduertitis patrium decus in hac pulcherrima virtutis exercitatione retineri fatemini. Filij veſtri ad veterum mores & inſtitutũ ſe alendos, & informandos

dos efflagitant. Quos vt ſimiles veſtri relinquatis mul-
to opere elaborandum eſt, ne vna vobiſcum, & ſpes, &
veſtri labores, omniaq; bona intermoriantur. Decet
enim liberos non tantum parentum fortunarum hære-
des eſſe, verum & amicorum, & virtutis, & induſtriæ.
Quarum rerum cognitionem non ab alijs accipiſtis; ſed
à parẽtibus, præceptoribus veſtris didiciſtis, & ſeruaſtis.
Vobis vt opinor pſuaſum eſt, & vt non difficili cõiectura
perſpicio exploratũ, hos veſtros alũnos nihil aliud age-
re, nihil dies, noctesq; curare niſi vt ciuibus ſuis quã cariſ
ſimi, eorũq; liberis maxime vtiles, iucundi, gratiq; ſint.
Noſtri quondam Maiores, quod non ignorant multi vr-
bis noſtræ primarij viri, vno codemque tempore præ-
mijs, honoreque Gaietanum, Somentium, Lugarum, Ar
menzonum, compluresque alios huius generis, hos in-
quam præſtantiſſima vrbis ornamenta ad ſempiternam
memoriam decus ciuitatis ſuæ laudem, clara, & illu-
ſtria exempla decorauerunt. Memoria noſtra Hyeroni
mum Oliuam, ſacerdotem moribus, optimisq; artibus
quæ ad ciuium decus, & animi præclaras dotes ſpectãt,
præditum, eodem honore cohoneſtarunt. Marcum Tar-
teſium, Ioannem Muſonium viros nunquam ſatis digne,
& plene, perfecteq; laudatos, quos hac vita carentes,
ſempiterno autem æuo fruituros omnes ab illis profe-
cti & qui ſingulares eorum mores, & virtutem audiue-
runt, reuerentur, præmio, immunitate, dignitate decora
uiſtis, illisque tanquam fortiſſimis ducibus, & impera-
toribus pro patria pugnãtibus, pro laribus ad hoſtiũ in-
ſidias excipiendas euigilantibus, Barbariem, quæ iam
multas Italiæ ciuitates inuaſerat, & velut veternus qui-
dam occuparat, hinc detrudentibus, ſtipendium decre-
uiſtis. Quo publico munere vnum Tarteſium præteri-
tis annis remunerauiſtis, & Muſonium qui in eius locũ

niſi fata nobis tantũ virum inuidiſſent, ſucceſſurus erat, remuneraturi eratis. Qui eorum munus; & partes ſubierunt eadem veſtra liberalitate; & munificentia cohoneſtari veſtræ ampliſſimæ laudis eſſet; illorum vtilitatis, & decoris maxime foret. Hoc enim blando, quaſi lenocino, grato inuitamento, non ſpernendis illecebris, ad quaſcunque rerum abditarum intelligentias, nullum doctrinæ genus omiſſuri, quo has humaniores literas in patria ſua retineant, augeant, illuſtrent, allicientur. Horum ſummi labores; hac gloria compenſati mitigabuntur. Quam facile id aſſequi poſſitis; quam breui diſpendio, quam grata, vtilique impenſa, quot quantisue commodis veſtris, patriæ dignitati, decoro auito proſpicere, & cauere poſſitis prudentiſſimi ciues perſpicitis. Vobis cauendum ne in aliquem locum poſtea conuocati miſere vobiſcum communem calamitatẽ hac in re defleatis, quod multæ ciuitates Italiæ nunc faciunt. Illud non vos latet vicinos populos, longeque hinc habitantes hanc cum ipſi rerum penuria premerentur, ſoli Natalis ſterelitate laborantes ſolitos fuiſſe cellam penariã patriam veſtram appellare, agrum Cremonenſem Filiorum ſuorum nutricem nominare, ſuarum calamitatum aram, & perfugium ciuitatẽ hanc vocare, ad quos quæ domi veſtra naſcerentur, vel vltro mitteretis. Veſtri vero ciues quo nomine vos appellabunt? Nullum profecto ijs melius, ſanctius, plenius, dulcius, vberius, ſalubrius habent. Hoc vt illos ſuſtineatis veſtræ charitatis & manſuetudinis eſt. Quæ à me de literarum vſu, & maiorum conſuetudine in illas profitentibus decorandis diſputata fuerunt, & omnia vera, & hoc tempore ad ſe maxime ſpectare nouerunt omnes ciues mei & profitentur. Externi quoque quotquot antiquam in literis & ſuis, & alijs ciuibus tradendis Cremonenſium conſue-

tudinem experti ſunt, orationi noſtræ cum in illorũ manus peruenerit acclamabunt. Qua propter Iuli Clare intigerrime prætor, Reipub. noſtræ fideliſſime tutor, Alexandriæ patriæ tuæ clariſſimum lumen, tuorum qui ſunt, qui fuerunt, qui mox futuri ſunt maxime ſplendor, quibus omnibus perpetuo lumine virtutum tuarum illuxeris, patrum conſcriptorum magnum ornamentum, ordinis Senatorij maxima gloria, & amplitudo, qui hæc quanti ſint accurato iudicio ponderas, & examinas, ad ciuitatem hanc quæſo contuere, quę cum primum cæpit apparere, fundamenta mænium vidit, quibus ſepiebatur: tecta ſuſpexit, quæ habitaret, vtraque humano generi perneceſſaria ſtudia armorum, & literarum, quibus animum illuſtraret, & corpus exerceret, amplexa eſt, quæ vtroque ſtudio maxime, & nunquam intermiſſo florens complures eiuſdem nobiliſſimæ exercitationis ſtudioſos & æmulos, omnes honori, dignitatiq́, communi cõſulentes à primo exordio habuit, Clare inquam tuũ eſt, quid hac de re ſentias decernere, animoque intendere quid faciendum ſit, quid maxime huic ampliſſimæ inclytæ, refertiſſimæ tum ſuorum, tum alienorum diſcipulorum Ciuitati conducat. Hæc cum tecum diligenter conſideraueris omnia, ad Decuriones publici conſilij Rectores, & moderatores curiæ, templiq́; Auguſtiſſimi maxima ornamenta referes. Qui de patriæ ſuæ optimis inſtitutis, ſi te bene ſentientem cognorint, & deprehenderint, te ciuem ſuum agnoſcent, tuum nomen in publicas Tabulas referent. Quanti ſummi, & ampliſſimi viri, qui vel Regulorum, vel maximorum Regum, vel Reipub. Venetæ, vel optimorum Imperatorum iuſſu, & imperio Rempub. hanc adierunt, & legum moderatione temperarunt ciuitate hac donari fecerint teſtes ſunt illorum Tabulæ, quæ in ærarium noſtrorum ciuium

decreto

decreto relatæ ſunt, ex quibus vtriusq; partis recta officia apparent. Quid agant ſciunt, quid deliberaturi ſint non ignorant, malunt tamen quicquid per ſe tranſigere poſſent, tuis conſilijs agere, quam ſola ipſorum autoritate decidere. Fac vt te in cælum omni genere laudũ, vt egregie factorum optimi Bucciuatores tollant, quando nõ vnum, ſed quos iudicaueris dignos præmio, quod tamen nihili pendent, ad honoris titulum, quem à ciuibus expetunt, ad hominũ alienorum expectationẽ, qui hac re cõfirmata, huc ad capeſcendas literas filios ſuos non ſine vrbis maxima exiſtimatione, & ad veterem diſciplinam nomine, miſſuri ſunt, (ſe namq; ciuibus ſuis probatos iandudum viderunt) decreto tuo confirmaueris. Te ſuorum liberũm ſtudioſum agnoſcent, inſtitutorum, fautorem, & cognitorem, & approbatorem tali omni colloquio digno ſermone celebrabunt. Hoc ſi feceris, quod te nunc ipſum facturum confido (niſi vultus tui indicium me, quod haud credo fallit) omnes non qui tantum hic adſunt exitum huius rei auide, & ex animi ſententia expectantes, qui quã plurimi, & vrbis optimates, ſed vniuerſus populus, & agent gratias, & habebunt, qua gratiarum debitione libentius adſtringuntur, quã pecuniæ. Nam in hoc quid referant ſemper habebunt, in altero rerum creditarum facta ſolutione nulla in accepti, expenſiq; libro debitio, quam referas extat. Ad reliquas tuas claritates, & amplitudines hæc noua acceſſio fiet, non paruum gloriæ tuæ additamentum, id quod in annalibus noſtris perennius omni hominũ memoria ſeruabitur. Te Cremonenſes non vt peregrinũ, & alienigenam, ſed vt ciuem ſuum comprobabũt, quod plurimi tibi eſſe debet. Non vt hominem, ſed vt aliquẽ cœlitum ex illa Diuina Arce, ſuperorum ſede, ad publicam vtilitatem, & ornamentum delapſum intuebuntur,

& admirabuntur. Ad quamcunq; ciuitatem ibis tua vir tute decorandam, Magiſtratu tuo ſanctiſſimo ornãdam, ipſe celebrabis Cremonenſiũ vetuſtiſſima decreta, Tarteſij, & Muſonij intercæpta tua autoritate reſtituta, ingẽtem quoq;, & admirandam vrbis noſtræ conſtantiam, incredibilem in Magiſtratus ſuos obſeruantiam, in prætores inauditam reuerentiam, paſſim commemorabis. Tibi deniq; hanc ciuitatẽ decantabis ea religione aſtrinxiſſe, qui vno verbo apud eos omnia aſſequutus ſis, quæ ſummo omnium aſſenſu, magna approbatione, iucundisq́; plauſibus conteſtata obſignabis. Vos autem ampliſſimi patres, efficite tandem quod iam pridem præuidiſtis, nullus à ſententia veſtra vos deijciat, veſtros ciues in veteri dignitate retinete, & tũ ad decorum, ſplendoremq́ue huius vetuſtiſſimæ, & nobiliſſimæ vrbis, quæ veſtra antiquiſſima ornamenta ſunt, tũm ad eorum famã & exiſtimationem qui illa conſeruant ſtudia, quæ hic antiquitus nulla vigiliarum, & lucubrationum intermiſſione viguerunt. In hanc tantæ laudis dignitatẽ & decoris auitam poſſeſſionem vt incumbatis vobis etiam atq; etiam enitendum eſt, ne dum in alijs rebus dignis tamẽ conſilijs, prudentiaq́; veſtra nimis occupate ſitis, hanc liberis veſtris perneceſſariam vitæ, morumq́; inſtitutionem omittatis. Hæ veſtræ ſtatuæ ſint, eæ maiorum veſtrorum imagines, hæc antiquæ virtutis, & inueteratæ cum muſis omnibus conſuetudinis ſimulacra. Quotidie vrbs noſtra iuuentutæ ſuccreſſente celebrior fiet, maximo cum nominis veſtri ſplendore. Quæ enim laus veſtra maior eſſe poterit, quam perennem ex ordine in ciues bene de patria merentes liberalitatem veſtram vbiq́; declarari non aliorum tantum ſermone, ſed ipſorum quoq; oratione & præclariſſimo teſtimonio? Videor enim hanc vocem audire, Cremona domicilium

litera-

literarum, ſedes & Theatrum virtutis, ad quam vndiq; tanquam ad alteras Athenas innumeræ nouitiorum iuuenum cateruæ literarum cauſa adiſcendarum confluūt. Cremonenſes ciues ſuos amant. Cremonæ virtuti maxime locus eſt, literas Cremonæ profitentes non cogun tur alio demigrare, ſed hic potius habitare vltro inuitan tur. A ciuibus enim ſuis liberaliſſime, & honorificentiſſime tractantur. His & alijs quam plurimis huius generis vocibus aures noſtræ nunc ipſum perſonant. Cremonēſes in literis natos hactenus omnium fuit opinio, vt confirmetur veſtræ prudentiæ eſt. Vt concoregios, Tarteſios in ciuitate veſtra, Muſoniosq; ſemper habeatis hac via, & experimento, temperamentoq; nihil facilius. Artes enim honore potiſſimum aluntur. Nos maiores noſtros tanquam Miltiadas admiramur, aderunt & noui Themiſtocles huius alumni ciuitatis, quibus nec ad eadem ſtudia, quos iuuentutis præfectos conſtitueritis diſplicebunt. Id multo facilius iudicaretis quando eorum ſcripta, quæ in armarijs latent prodirent, luce intermanus literatorum fruerentur. Quod fortaſſe non multo poſt fiet, ſi ijs priſtinam literarum dignitatem reſtitueritis, qui illam incolumem ſeruaturos profitentur. Veſtri animi ſententiam non Vrnarum ſuffragio, ſed vocis teſtimonio cōprobate. In hoc ſi liberi vobis cari, ſi patriæ decorum, ſi larium omnium inſigne ornamētum vobis curæ, ſi externorum opinionem de literis hic natis, & adultis ſumma cum diligentia excultis tanti facitis quanti medius fidius facere debetis, omni cogitatione & cura in rem veſtram incumbite. Non hic Deos veſtros patrios, non hic penates obteſtabor, vt fortunas veſtras antiquum tantæ vrbis decorum reſpiciant, quoniam nulli obſcurum eſt, quales ſemper fuiſtis in rerum decernendarum cautione & prouiſione, earum præſertim,

tim,

tim, quæ ad rectas animi actiones ſpectarent. Nullum de Repub. veſtra bene merentem honore & liberalitate veſtra defraudate. Quicquid habebunt vt tanti muneris, largitatisq; memores & grati acceptum ciuibus ſuis referent. Vobis autem tantam, talemq; laudem comparabitis, vt vitam, gloriamq; veſtram cum Dijs immortalibus terminaturi ſitis, ſempiternum æuum in omnium ſermone obſeruaturi. Nō enim vlla obliuio apud mortales hanc veſtram beneficentiam obliterabit, quando honoris cumulo ciues veſtros certatim pro patria decoranda, & literarum dignitate laborantes vobis obſtrinxeritis.

FINIS.

FRANCISCI
ZAVAE CREMONEN:
ORATIO SECVNDA
AD DECVRIONES CREMONENSES

ADVERSVS GYMNASIARCHIAM.



CREMONAE

Apud Vincentium Comitem.

M D L XVIII.

FRANCISCVS ZAVA ACADEMICIS CREMONEN:

QVOD maxima quæque ciuitas à Dijs immortalibus optare ac diu precari ſolet, nec longis tamen precibus aſſequi interdum poteſt, id maiores noſtri ab vrbis ferè primordio facilè aſſequuti ſunt. Omnia nanque iuſtè, ac prüdenter agentes Dijs iuuantibus vrbem hanc quam colimus florentiſſimam nobis reliquerunt, quæ non auro, non ciuium numero, non lapidum mole, ſed diuina, humanaque iuſtitia, atque optimo patrum noſtrorum conſilio vſque eò creuit, atque aucta eſt, vt cæterarum hominum ciuitatum amplitudinem huius admirantes, fruſtraq; ad eam quæ vrbis noſtræ propria eſt, laudem, & gloriam aſpirantes, filios ſuos huc mittant, qui ſi Cremonenſium virtutem imitatione aſſequi minimè poſſint; voluntate certè proximè accedant. Nec verò minore ſtudio id agunt, quàm Romanus olim Senatus egerit, cum ſex illos Principum filios ſingulis Hetruriæ populis in diſciplinam tradendos decreuit. Præclarè nanq; ſecum agi poſſe exiſtimant, ſi ad Cremonenſium normam aliqua ſaltem ex parte in patria ſua cum liberis, ac reliqua familia vitam degerint, quando ad eorum ſimilitudinem totam fingere, atque accõmodare non poſſint. Primum verò, quod hi inter Cætera, qui ad nos confluunt, iuuenes alienigenæ ad ſuos redeuntes parentibus referre ſolent, hoc eſſe audio; Plurimos eſſe in hac ciuitate tàm literarum, quàm morum magiſtros, quorum opera Cremonenſes optimi ciues euadant, ſuaque ſingulos habere Gymnaſia, in quibus viciſſim de publica vtilitate concertantes, cũ adoleſcẽtes ad humanitatem informent, tum maximè ad modeſtiam, & inſtituta maiorum erudiant. Nec parui profectò inter eſt ad decus, & ad laudem ciuitatis, non vnum, ſed multos homines in ea eſſe, qui do-

*cendo id egregiè preſtare poſſint. Atque idcircò eorum ego oratio-
nes ferre non potui, qui vt optimam hãc præceptorum gubernationem
tollant, quæ Cremonenſium maxima laus eſt, Gymnaſiarchiam conſti-
tui volunt, omniaq; ad vnum deferri contendunt. Horum ego cona-
tus omnes hac mea oratione compreſſi, in qua cum agatur de ciuitatis
noſtræ dignitate, eam vobis* ACADEMICI CREMONEN-
SES, *qui totius vrbis exiſtimationem, ornamentumque ſuſtinetis,
cenſui conſecrandam, vt veſtri nominis autoritate, tanquam Palladis
Clypeo tecta vulnerari nullo modo poſſit. In aciem nanq; prodeun-
dum eſt, atque aduerſus obtrectatores meos valida manu dimicãdum,
qui & ſi graue mihi bellum indixerunt, eorum tamen impetus, atque
incurſiones omnes præſidio veſtro confirmatus non reformido. Gra-
tias Dijs ago quotidiè, quas maximas poſſum, ꝙ Cremonẽſis natus ſum,
quòd Cremonæ educatus, quòdue hoc tempore vitam ago, quo vos no-
biliſſimi viri Academiam hanc veſtram tanti nominis inſtituiſtis, ad
quam boni viri, ſi quando grauius affligerentur, tanquam ad aram vir
tutis confugere poſſint. Hanc vos Orationem meam libenti animo ac
cipite, quam non ſolum nomini veſtro conſecraui, ſed me ipſum quoq;,
meaq; omnia Dijs immortalibus pro veſtra felicitate deuoui. Vale-
te, & me in fidem veſtram recipite. Nam quicquid ego ſum, aut
ero, id veſtrum eſſe, ac ſemper fore, profiteor. Ex ædibus meis pri-
die Cal. Martias.* M D L X I I.

ORATIO SECONDA
FRANCISCI ZAVAE
CREMONENSIS
AD DECVRIONES.

VIX editis, curſimq́; lectis illorum, ampliſſimi Decuriones, orationibus, qui ad Gymnaſiarchum ſuum maximè honeſtandum, ingenium ac ſtudium omne contulerunt, me non pauci huius maximæ, optimæque ciuitatis literatiſſimi viri conuenerunt. Qui cum ægrè, per moleſtèq́; ferrent, (id enim ex eorum verbis, ac vultu facilè apparebat) orationes illas à noſtra longè diuerſas, quam paucis menſibus ante edideramus, in aliam ſententiam, atq; omnes arbitrabantur ſcriptas eſſe, à me efflagitabant, vt quod ſuſceperam rei literariæ, iam inde à principio huius vrbis in hunc vſq; diem defenſæ, & propagatæ patrocinium non abijcerem, nèuè horum verbis quaſi perterritus, tantæ rei cauſam deponerem, quando id res exigeret, mihi conueniret, ad patriæ noſtræ antiquum decorum, dignitatem, ornamentum, grauitatem, exiſtimationem, commodum, omniumq́; vtilitatem ſpectaret, atque id ingenui complures adoleſcentes, varia-

rum-

rumq; diſciplinarum appetentes, qualis fuit ſemper iuuẽtus Cremonenſis, expeterent. Nam vt hi doctiſsimi, prudentiſsimique viri dicebant, vno ludi magiſtro, cui ſumma rei literariæ, in tanta præſertim ciuitate committeretur, minimè contenti erant. Quippe qui à parentibus ſuis doctiſsimis, grauiſsimisq; viris ſæpe audiſſent, eodem tempore quamplurimos diſertiſsimos homines in hac ciuitate natos, educatos, artibus, ingenuisque doctrinis apprimè excultos, haſce, quas humaniores literas appellamus, quæ ad altiores ſcientias aditum patefaciũt, profeſſos fuiſſe. Atque hi ipſi adoleſcentes, cum veterum exemplo nunquam antiquando mouerentur, tum vero ſuum ſibi quiſque præceptorem appetebat, cuius facilitatem, mores, doctrinam probaret. Id namque euenire ſolet, vt alius alium magis appetat, quem imitando effingat, atque exprimat, cuius ſic in amorem influat, vt ab eo nullo modo diuelli poſsit. Ijdemque dicebant multos eſſe, qui potius illiterati, & haberi, & eſſe vellent, quã ab illo doceri, qui illorum animis haud reſpondere poſſet. Hæc & multa huiuſmodi alia eruditiſsimi viri illi mecum ex temporis ratione, probatiſsima adoleſcẽtium ſententia, vrbis dignitate, priſco inſtituto, curiosè, amicè, ſtudiosè agebant. Ego qui hanc patriam ſpectatiſsimi Cremonẽſes tanti ſemper feci, vt illam fortunis meis, quæ quantulæcunq; ſunt, vobis acceptæ referuntur, prætulerim, vitaq; hac chariorem habuerim, quid agerem diu mecum conſideraui. Sciebam enim vos eos eſſe, qui cum hanc ciuitatem eo conſilio ac ſapientia regatis, vt adminiſtrationem veſtram omnes ſuſpiciant, admirẽtur, aliorum conſilijs minimè indigeretis, imò vero alijs ſumma cũ laude nominis veſtri conſuleretis. Nec me prætcribat eos qui poſt nos ſcripſerunt, noſtri per quam ſtudioſos eſſe, & quicquid aduerſus ſententiã meam dixiſſent,

cogita-

cogitabam eos non tàm contendendi ſtudio, quàm exercendi ingenij ſui, quodadmodum acutum ante haud ignorabam, cauſa id feciſſe, atque vt exemplo ſuo cæteros ad eloquentiæ ſtudia excitarent, in quibus mirificè ipſi profeciſſent. Sciebant enim nos olim condiſcipulos fuiſſe, magnis contentionibus ad acuenda ingenia vtrinq; concertatum, & interdum diſputationes noſtras ad iram, minas, oculorum perturbationes, vultus commutationes, & ferè ad pugnos, vt inter concertatores vſu euenire ſolet, quando cauſa nullus cadere vult, deductas fuiſſe, mox reuocatis in ſedem ſuam ſenſibus, & compreſſo, ſedatoq; animorum impetu, multa inter nos per iocum, atque omnia modeſtè acta eſſe, vt decet viros bonos, quos iuuat iocoſarum rerum à laborum intermiſſione diſcipulos ſuos, & auditores, & ſpectatores eſſe. Quippe qui nec turpe eſſe noueramus, aliquando viros grauisſimos à Reipub. vacatione iocis oblectari. Norant quoque hi ipſi, quibuſcum mihi contentio eſt, me non aliam ob cauſam priorem illam orationem edidiſſe, quàm vt ciues meos mihi chariſsimos, liberos veſtros conſolarer, qui perennibus lachrimis, ingentiq́ue luctu à Tarteſij, Muſonijq́ue morte admodum contabeſcentes, non ignari quantam vtriuſquę doctiſsimi viri obitu iacturam feciſſent, quamúe grãdem plagam accepiſſent ;. Cum medicinam, qua ratione inuenire poſſent, ſi non ad ſanandum tam graũe vulnus, at aliquo modo ferendum, dies, noctesq́ue ſecum peruolutarent, affui his ego penè dolore confectis. Nec putaui quorundam ex ea re mihi inuidiam pertimeſcendam, qui cùm nihil benè agant, plurima autem quotidiè ab his improbè facta audiantur, bonis inuident, eos in tenebris rodunt, vellicant, carpunt, nil aliud cogitantes, quàm pulcherrima bonorum virorum incepta retardare, vel potius reuocare. Qui cum ſperent ſe aliquid facere nihil agũt.

Impro-

Improborum enim, & inuidorum alienæ laudis (quorum ingens ſeminarium vbique eſt) maledictis magis & conuitijs ad gloriam boni viri accenduntur, quam deterrentur. Sed, vnde digreſſi ſumus reuertamur, parui vel nihili facientes eorum conuitia, qui nihil nobis obeſſe poſſunt. Illos igitur nobiliſſimos viros, vt à me dimitterem omnia tentaui, ſed diu recuſans nihil profeci, illorum enim longis efflagitationibus, crebriſque probatiſſimorum virorum contentionibus victus, iterũ apud vos amantiſsimi Decuriones verba facere cogor. Idque eis potius gratificandi cauſa facio, quàm quòd diffidam vos ex rei honeſtate, & accepta conſuetudine, id quod honori, vtilitatiq; veſtræ conducat determinaturos. Nos verò opinione veſtra fortaſſe longiores vobis videbimur Clariſſimi Ciues, at ſi orationis longitudo cum vtilitatis veſtrorum liberorum magnitudine compararetur, cum amplitudine famæ veſtræ conferatur, breuiores certè erimus, quàm attentæ aures veſtræ, animiq; ad audiendum parati eſſent. Cumque in latiſſimo campo ex ingenti rei materia, veſtrarumque laudum ſylua exultare poſſet oratio, eam in magnas anguſtias temporis breuitate, vt compellam neceſſe eſt. Inter verò Reſpublicas benè conſtitutas, nemini dubium eſt, illam longè excellere, quæ ab optimis maiorum inſtitutis nunquam declinauit, quæ ijs artibus viguit, quibus maximæ, locupletiſsimæque ciuitates totum id quod habent acceptum referunt, quę viros gignit, qui decus patrium recidere non patiantur, qui dignitatem antiquam, veram, non adumbratam, ſyncerã, non fucatã, parentum charitatem in ciues ſuos retineant, neque vllis laboribus victi rerum ſuſceptarum oneribus ſuccumbant. Quòd ſi vlla ciuitas eſt non in Europa tantum, ſed in omni terrarum orbe, quæ ornamenta ab incunabulis, murorumque fundamentis habuerit, acce-

ptaúe

ptaſe à parentibus ſeruauerit, auxerit, hæc potiſſimum vrbs noſtra; præterea nulla. A SPARTANIS incipias, ab Athenienſibus exordiare, A Romanis inchoes licet. Aliorum euerſas cum fortunis vrbes, aliorum ciuitates diſiectas, & funditus ſublatas, aliorum regna occupata, imperia diſsipata inuenies. Nec vt ij optimè norunt, qui rerum domeſticarum, externarumque maximè periti ſunt, tantarum alia calamitatum cauſa fuit vlla, quàm legum diſſolutio, morum obliuio, inſtitutorum omiſſa obſeruatio. Poſſem hic & multas in Italia ciuitates dudum bello attritas, & armorum quaſi tempeſtate (quod vtrum Deorum ira, an maiorum legum abrogatione euenerit, non eſt noſtrum inquirere) quaſſatas nominare, ſed nè dum antiquiſſimæ patriæ noſtræ auita, & paterna inſtituta diligentiſſimè ſeruanti gratulari cupio, iam obductas multorum cicatrices refricare videar, id prætereo. At quod virtutis genus eſt, fortunatiſſimi Cremonenſes in quo hæc ciuitas non ſemper ſe exercuerit? Artem quidem quam ſemel accepit modo illam probet, à ſe nunquam dimittit; poſteris hanc quaſi per manus tradit. Arma ab Hercule, huius ſanctiſsimi ædificij conditore, vel (vt quidam putant) quaſi habitatore, & incola acceperunt maiores noſtri, quanta eadem exercitatione, quoúe vſu excoluerint, pro dignitate illius Dei, felicitate huius ſoli, pro tutandis laribus, penatibus conſeruandis excubantes, omnibus notum eſt. Quæ enim periculoſa pugna Cremonenſis iuuentutis robora, ſenum in re militari prudentiſſima conſilia non ſenſit? Qui populus, quæuè natio quamuis in Oceano extremo ſita ſit, Cremonenſium fortitudinem, famis, æſtus, frigoris, rerum omnium inopiæ in caſtris, dum vexilla tuerentur, hoſtes oppugnarent, patriam hanc defenderent, patiētiam, tolerantiamq; non audiuit, intellexit, cognouit, vidit?

Quis fidem in tuendis oppidis, curæ, diligentiæ, fidei Cremonenſium præfectorum traditis non admiratus eſt? Vnde in prouerbium venit, FIDELIS CREMONA. Quod tanquam ſacroſanctum maximi, nobiliſsimique Veneti in vetuſtiſſimo vexillo omnibus legendum expoſuerunt, poſteris cognoſcendum in Annalibus repoſuerunt. Neque ſolum id nouerunt acerrimi iudicij Veneti, fidei Cremonenſis optimi buccinatores, rerum prudentiſſimi extimatores, verum & Reges, ſummique Imperatores. CAROLVS QVINTVS qui omni virtutum genere proximè ad Deos acceſſit, vt totius vitæ eius rationem quæ nunquam ſatis dignè deſcribi, nè dum laudari poſſet, in anguſtum redigam, quando temporis breuitate, dignitatiſque veſtræ ratione latius excurrere, & ſpatiari mihi non datur, inter cæteros fidos, Cremonenſes fidiſſimos nouit, & expertus eſt. Nunquam enim hic maximus, & optimus Imperator Cremonenſium fidē concidiſſe cognouit, à qua nulla vis auri, propinquitatis, amicitiæ, potentiæ, ciues meos omnibus cum virtutibus natos abducere potuit. Hanc optimam & ſpectatiſſimam eorum animis innatam, & inſitam naturæ legem non aſſumptam, & aduentitiam, qui Cremonenſium manſuetudinem, conſtantiam, cum his verſantes animis inhiberunt; admirantur, addiſcunt, accipiunt, arripiunt, aliò tranſportant, vbiq; prædicant. Hoc quanti ponderis ſit, examinent hi, qui fidei aras violant, eiuſdem templa contaminant, ne Platonis, reliquorumq; mortalibus ſtudio, & induſtria conſulentium conuiciū ſemper audiant. Nec fidem veſtram, de qua loquor optimi Decuriones probarunt tantum inuictiſsimi Imperatores, quando eorum fortuna attentabatur, virium periculum fiebat, ærarium longis, maximiſque bellis, nouo, nec expectato hoſte exhauſtum reperiebatur, de Imperio vehementer labo-

laborabatur, verum hanc eandem fidem veſtram, & potentiſsimi Reges experti ſunt, quorum in rectione fuit hæc ciuitas fideliſſima. Hoc in primis PHILIPPVS REGVM optimus, maximus, CAROLI filius nō cognouit tantum, ſed reipſa approbauit. Cuius rej optimum ipſe præconium eſt. Hic enim multis audientibus grauiſſimis viris, quorum conſilio, & authoritate, totius Reipub. ſumma nitebatur, hique Cremonenſes ferè omnes erant, cum multæ ciuitates ſub alpibus, Gallis tunc hoſtibus, nunc amiciſsimis, & ſanctiſſimo affinitatis vinculo copulatis, occuparentur, vel à ſocietate deficerent, hanc ſolicitam vocem miſit è pectore. Cremona in quo ſtatu his triſtiſsimis nuncijs allatis eſt? Tunc BROCARDVS Regis magiſter equitum, huius ciuitatis nobiliſsimus ciuis, ornamentum inſigne, Comes dignitatis gradu, comis aſpectu, re liberaliſſimus, qui ob eius ſingulares virtutes quotidiè à Rege, apud quem aſſiduus eſt, nouis muneribus, honoribusq; cumulatur, dixit CREMONA optime Rex bene audit. Vrbis muros ſine militum conductorum copijs, & ſubſidio Cremoneñ. tuentur, fines defendunt, hoc imperium adamant, pro quo tuendo, atque etiam propagando promptiſſimis animis armati ſemper excubabunt. Hoc audito, incolumi CREMONA omnia breui recuperabo, reſpondit Rex ille inclytus, & magnanimus. Tantum Cremonenſibus confidebat. Tantiq; virtutem illorum æſtimabat. Quod hac diuina voce plenius teſtimonium habere poterant Cremonenſes fidei à ſe ſemper ſeruatæ? Quid hoc præconio maius? Quid ad illorum animi magnitudinē teſtandam vehementius? O Regis fiduciam. O Ciuitatis huius immortalitatem. O ſententiam æternitati omni genere monumentorum conſecrandam. Quis dubitat tanti principis iudicio, tam religioſo teſtimonio ci-

uitatem noſtram omnium ſeculorum triumphis longè anteponendam eſſe? Hanc conſtantiam, & fidem nationis Cremonenſis, antiquæ etiam literæ teſtantur, probatiſſimi, & locupletiſſimi ſcriptores celebrant. Bello enim Macedonico qua tempeſtate inſubres, Cenomani, Boij propinqua loca Duce Amilcare pœno vaſtabant, Placentia Romanorum & ipſa fideli colonia direpta, ad Cremonam diripiendam ventum eſt. Paruo præſidio vrbs hæc munita erat, Coloni vehementer laborabant, qui ad modum pauci erant, quadraginta millibus hoſtium vrbē noſtram oppugnantibus, ciues tamen fortiter propugnātes non perterriti direptione proximæ ciuitatis, agrorum vaſtatione, hominum internicione, qui per agros barbarorum immanitatem effugientes vagabantur, nunquam animis defecerunt, expectantes Romanū auxilium; omnia incommoda tolerantes, longamq́ue, & aſſiduam obſidionem ſuperātes. Sed quorſum hæc, quaſi neſciamus hanc ciuitatem Romanis ſemper chariſſimam fuiſſe, coloniſq́ue, nunc belli caſibus, nunc morbis abſumptis, nouos Senatuſconſulto fuiſſe in ſupplementum cōſcriptos? Fidem in animis Cremonenſium ſanctiſſ. templum habere, rerum conuentarum euentum verbis conceptis reſpondere, ſciunt omnes, quibuſcum negotia communia ſunt. Nihil apud eos agi dolo malo norunt maximi, minimi, mediocres, qui cum his res magnas tractant, quibuſcum rerum agendarum ſocietatem ineunt. Certa nanque eſt & vbique Cremoñ. fides cōnteſtata, atque inter reliquas ſanctiſſimas leges, quas plurimas hæc ciuitas habet, hāc ſeuere cuſtodit. FIDEM NE VIOLATO. Verū quid in re aperta, & omnibus nota immoror, quando alia quamplurima hodierno die apud vos fideliſſimi Cremonenſes mihi dicenda ſunt? Artes plurimas, quarum aliæ maximæ, aliæ mediocres habentur, ingenuæ tamen omnes,

nes,

nes, & liberales, maiores noſtri poſteris ſuis reliquerũt, quas ſingulas quiſque eorum peritus enixè ſeruauit, coluit, celebrauit, ſemel acceptis nunquam nuncium remiſit. Hac in re multa mihi neceſſariò prætereunda ſunt. Nam ſi vellem ſingulas artes, præclara inſtituta ab incunabulis huius oppidi accepta delibare, ne dum de his à prora ad puppim (vt aiunt) agere, tempus mehercule citius, quàm harum rerum copia me deficeret. Sed iam reuertamur ad id quod mihi cum amiciſſimis meis, qui poſt me orationes ediderunt, vnius tantum ex tot numero diſertorũ, beneque moratorum, quos hæc ciuitas habet, immortalitatem, Diuinitatemque celebrantes, in cõtrouerſiam venit. Taceo id de quo in ſuperiore oratione noſtra ſatis ſuperque actum eſt, quodque ne parum diligenter intellexiſſe viderer, à vobis denuo recognoui, non vni tantum, quod hi homines anguſti animi omninò vellent, ſed duobus, tribusuè aliquandò publicè eodem tempore liberos veſtros ad humanitatem informantibus immunitates datas, ſtipendia decreta. Noſtis vos eos optimè qui veſtræ liberalitatis per idem tempus participes fuerunt. Contendunt verò hi duo doctiſſimi viri, manibus, & pedibus (vt aiunt) vnum tantum ludi magiſtrum deligendum eſſe, primariumque Gymnaſij ſui virum, laborant magis quidem doctè, & amicè, quàm pro ciuitatis dignitate huic muneri præficiendum. Non certè inficias imus hunc literatum, beneque moratum eſſe, atque eum cui ſumma totius literariæ rei tutò committi poſſit, quamuis hac in re multos competitores, non minus quã ipſe ſit patriæ ſtudioſos haberet, ſed hunc vnum contendimus tanti oneris prouinciam minimè accepturum. Noui hominis naturam, noui ingenuitatem, noui facillimos mores. Illum certo ſcio alios glorioſi laboris conſortes, & ciuium ſuorum liberalitatis participes nõ aſper

nari.

nari. Tum quia hæc conſuetudo inueterauit, vt ciuitas noſtra non vnum, ſed plures habeat haſce humaniores literas publicè profitentes, quod & ipſe intellexit, & vidit, tùm quia ea eſt natura, vt non graue laturus ſit, ab his quos ipſe ſui ſimiles nouit, dies, noctesque pro patria laborantes ſibi opem ferri in iuuenibus erudiendis, tùm noſtris, tùm alienigenis, quorum ingens numerus quotidiè huc confluit, non tàm veteris Academiæ nomine, quæ (vt horum vnus inquit) ad nihilum redacta eſt, quàm eorum qui refertiſſima contubernia habent famæ celebritate. Doleo equidem iſtorum vicem, vtque ipſi alijs inuident, ſic eorum ego miſereor, qui cum aliorum ſcholas nobiliſsimis adoleſcentibus pleniſsimas circunſpiciunt, ſuas ferè deſertas vident, hinc illa ſuſpiria, hinc gemitus illi, atque eiulationes. In vnum locum conuocate iuuentutem Cremonenſem, quem nos probamus deligite, noſter ordo & numerus diſcipulorum diminuitur, aliorum ſcholæ augentur, decorantur, frequentantur, noſtræ deſeruntur, ne locus hic noſter priſtinam dignitatem amittat, cauete. Hæc & huiuſmodi multa flentes effantur. At ne quæſo ſe miſeri torqueant, & excrutient, ſint bono animo. Sunt enim amicorum hæ ſcholę, quas celeberrimas vident, ſunt nobiliſsima hæc amicorum Gymnaſia, quos ſi quando ipſi adierint humaniſsimos, ſuique amantiſsimos ſemper inuenient. Morarer in ſingulis amici, ad quem nunc venio refellendis argumentis, tametſi quàm ea leuia ſint, omnes iam planè dijudicarunt, niſi quidam illius familiares mihi retuliſſent, eum coram quibuſdam amicis, quibus multum fidebat, cum hi lecta illius oratione dixiſſent inanem, & irritum illius laborem fuiſſe, quod nihil quod ad eam rem pertineret, quam probare volebat dicere videbatur, reſpondiſſe, ſe perſpicue nouiſſe, ciuitatem quo plures ludi magiſtros haberet, eo

beatio-

beatiorem fore, ſeque quo tempore huc primum venit ad literas addiſcendas, duo celeberrima Gymnaſia inueniſſe (quæ fuerint me etiam tacente intelligitis) neque orationem habuiſſe, vt à me diſſentiret, ſed vt ingenium ſuum (Annos iam amplius quadraginta natus) exerceret, id quod in eius epiſtola etiam legitur, qua ſatisfactione (modò ea accipiatur) ſe quoque apud eos excuſat, qui ægre ferunt illum ſcripſiſſe nomine ciuitatis complures ſecum egiſſe, vt illas excuderet orationes, cum id ei negotium à nullo demandatum eſſet. Non hoc eo dico, quòd orationes illæ clariſsima luce dignæ non eſſent, ſed quia viri illi de quibus ipſe egit, maiore erant præconio celebrandi. Nam ſi in Heroibus huiuſmodi laudandis nè minimam hic quidem illorum virtutum partem potuit attingere, verbiſque, ac ſententijs ferè omnibus vnius orationis in alterius laudem verſis, eodem colore, & pigmento multos depingere conatus eſt, nonnè grauiſſimis viris magis illius fuiſſet iucunda taciturnitas, quàm genus illud ſermonis aridum, & exile, atque illa ieiuni hominis vox planè miſeranda? An non Ioannes Baptiſta Mainoldus, non ille quidem minus orator egregius, quàm optimus Iuriſconſultus, quem ego Craſſum alterum, Scæuolamque itidem ſoleo appellare, publico conſilio fuerat electus, qui nomine vniuerſorum ciuium, Ioannis Baptiſtæ Schitij parentalia celebraret? Atque ſi munus hoc tam præclarè egit, quàm vos bene noſtis, qui diuinam hominis eloquentiam audiſtis, ſummèque admirati eſtis, quidnam hic ipſe voluit hac ſua in Schitium eundem oratione? Dicendònè congredi auſus eſt cum eloquentiſſimo viro? At ſiquid deceat is neſciebat, ſciat in poſterũ cum de re aliqua dixerit Mainoldus, ſeu quis alius ſui ſimilis, ſunt enim huiuſmodi viri ciuitatum oracula, ſibi cæteriſque omninò tacendum; Quod ſi is prudentem eum

virum

virum conſuluiſſet, cuius domi vitam agit, fortaſſe ab eo opere deſtitiſſet. Sed iam in viam redeamus. Accepi à nonnullis, qui cum hoc homine quotidiè verſantur, orationem eum pro Gymnaſiarcho ſuo non aliam ob cauſam habuiſſe, quàm vt hunc ſibi quem proponit publici ludi Magiſtrum reconciliaret, nonnullæ namque inter eos ſimultates interceſſerant ob pecuniolam quandam à diſcipulis exactam, in res Diuinas erogandam, quæ cum eſſet Diuo Nicolao ſacra, hanc ipſe diſtraxerat, ſibique ex ea librum quendam emerat ſacrum, & in arcam ad vſum ſuum recondiderat. Quare impulſus id egerit habetis, cauſa videlicet ingenij exercendi, & in gratiam cum Gymnaſiarcho ſuo redeundi. Atq; hæc validiſsima cauſæ ſuæ putabat argumenta, ſua in primis, cæterorumque deinde Hypodidaſcalorum ſuffragia, qui nunquam, vel rarò (vt à ſuis accepi,) Gymnaſiarchum illum ſuum legentem audiunt. Equidem ſic arbitror, hunc hominē egregia aliorum facta auidè æmulantem, vix cogitaſſe, quæ ſibi in hac cauſa pararet adiumenta, quibus viribus contenderet, ſat ſcio ei fuerat, ſi & ipſe quoquo modo poſſet, orationem compoſuiſſet. Magna vis profectò æmulationis, quam multis ipſe, ſed inanibus verbis huic ciuitati multum obeſſe contendit. At ſi rem hanc diligentius perpendiſſet, æmulationi fortaſſe maxima quæque tribuiſſet. Dij immortales quando in eum orationis ſuæ locum incidi, qui mihi vultus? Qui color? Equidem noua quadam admiratione obſtupefactus penè concidi. Verum id potius contendendi ſtudio, ſuumque ingenium oſtentandi, quàm quod ita ſentiat ab illo dictum puto. Illum enim ſæpenumero dicere audiui, quod omnibus etiam notum eſt, nè dum illi in literis non parum verſato, nullam rem hominum ingenia magis alere, magis acuere, quàm æmulationem. Quam rem & ipſe expertus

eſt.

eſt. Nam quo tempore Cremonam venit, natus ferè vigeſimum annum, & ſi primorum ferè elementorum tum rudis erat, literarumque omnium inſolens, & expers, breui tamen tempore, quos prius admirabatur, longè ſuperauit, ad hoc illum impellente æmulatione. Neq; hunc eum eſſe credo, qui ſibi perſuaſerit, alijsque perſuaderi velit, me illam æmulationem dicere, cuius nomen in vitio poſitum ſit, quæ riualitati ſimilis eſt. Rudem illũ, & nullius ſanè iudicij dixerim, qui vel crediderit, vel ſibi ab alijs perſuaderi paſſus ſit, nos eam æmulationem probare, quæ ſinè laude fuerit, & ſtudiorum contentione. Verba noſtra ſatis aperta, exempla clara. Illam, illam inquã æmulationem ſignifico, quæ tota in virtute poſita eſt. Ab imperitis orationem meam non intellectam æquo animo tuliſſem, neque enim is ſum, qui mea ab indoctis probari velim, ſed peritiſſimos, & verborum obſeruantiſsimos eam non percepiſſe, hoc ſanè quàm grauiter, moleſtèque ferebam, meque tacitè arguebam, quandò à teneris ſemper ſtudui, nè balbus fierem. Verum id te diſsimulare potius crediderim, quàm pro rei cauſa, & dignitate diſputare. Scio enim quantum ingenio valeas, quoque iudicio præſtes. Neque tu ſolùm noſti æmulationẽ duplicem eſſe, verum & illi ingenui adoleſcentuli, percupidi literarum, honeſtorum morum ſtudioſi, veteris diſciplinæ Cremonenſis ſectatores, quos tu minutulos vocas, cognoſcunt. Aemulatio, de qua illic ago, illa eſt, qua Cremonenſes, & armorum virtute, & ſcientiarum cognitione, iugenti conatu ſtuduerunt maioribus ſuis, non modo ſe æquare, immò verò eos longè ſuperare. Hac æmulatione fit, vt quot quæque ciuitas maxima milites, tot hæc noſtra Centuriones, Decuriones, Tribunos militũ, legatos fortiſsimos armet. Hoc norunt omnes, id manifeſtè videmus, ſimulatque tumultus aliquis nouus bellicũ

canere cœpit. Quæ porrò cauſa alia eſt, vt hæc ciuitas tot tantoſque iuriſperitos habeat? Quorum aliqui in ordinem Senatorium cooptantur, patres patriæ, propugnatores fortunarum noſtrarum, & aſſidui defenſores, qui ob integritatem vitæ, ſingularemque innocentiam, animi temperantiam, multarumque rerum ad vitæ rectionem pertinentium cognitionē, non minus ciuibus ſuis, quàm Mediolanenſibus chari, ac iucundi ſunt, quorum è numero viget nūc Paulus Ahala vir ſummi ingenij, maximi conſilij, optimi iudicij, laudatæ æquitatis, ciuium ſuorum ſanctiſsimus cuſtos, omnium quos in fidem ſuam receperit integerrimus patronus, qualem antea Ioannem Baptiſtam Schitium Senatorij ordinis virum, ſummis apud Philippum Regem noſtrum inuictiſſimum, muneribus perfunctum, nunc verò cum Cœlitibus æuum agentem habuimus. Alij in Regia eiuſdē ſanctiſſimi Regis aſſidui ſunt, hanc patriam ſplendore vitæ, inſigni virtute decorantes, ſaluberrimis conſilijs omnibus conſulentes, patriæ proſpicientes. Illic nunc commoratur Sigiſmundus Picenardus parui corporis, at maximi animi Iuriſconſultus, ſummæ probitatis, ſingularis doctrinæ, ſpectatiſsimę prudentiæ, inter ſui pares clariſſimum lumen, inter ſuperiores rariſſimum exemplum, vir vnus ex omnibus nunqnàm ſatis laudatus. Mantuæ apud ampliſſimum, Iuſtiſſimumque illum Ducem ſedet nunc inter grauiſſimos Iudices, maxima cum laude, & Cremonenſium nomine Anſelmus Tinctus; Mediolani is antea Prætor, atque honorificè apud Regem noſtrum legatione functus. Illum Mantuani omnes venerantur, huius ſuauiloquentiam admirantur, prudentiam, & tanti hominis grauitatem ſuſpiciunt. In eadem ciuitate ab hinc non multis annis ea virtutis exempla, Ioannes Franciſcus Perſichellus reliquit, quæ nullo æuo ſunt intermoritura, digna mediusfidius antiquiſſima

quiſima illa, & nobiliſſima Perſichellorum familia, quæ virorum virtute præſtantium parens fuit ſemper fœcundiſſima. Sunt & multi alij, qui foris viuunt nomine legationis hanc patriam honeſtantes, ciueſque ſuos perenni laude decorantes, è quibus Paulum Foſſam omnes nouimus, in cuius quidem opera, fide, atque prudentia hæc tota ciuitas conquieſcit, quem cum nomino, hominem ſanè iuriſperitorum eloquentiſſimum, eloquentium iuriſperitiſſimum intelligo. Taceo breuitate temporis coactus complures alios huius centuriæ grauiſſimos viros, taceo nobiliſsimos, atque optimos Medicos, quos plurimos in hac ciuitate omnium ſcientiarum domina, virtutum domicilio, honeſtatis officina, ſapientiæ Theatro, hac ſola æmulatione ita excellere videmus, vt, quot Medicos habemus, tot Aeſculapios, tot Deos, exteræ gentes habere nos dicant, quemadmodum & cum de iuriscõſultis noſtris agunt, tot Dodonæos Ioues penes nos eſſe prædicant. Hoc etiam millies doctiſsimos viros dicere audiui omnes iuriſperitos in vnum locum vndique collectos cum Cremonenſibus minus eſſe conferendos. Atque hi non vna in ſchola, ſed in multis eruditi fuerunt, quæ per illos dies florebant. Hi æmulatione ad ſtudia inflammabantur, omnes in ſtudijs labores ſuperabant, ab æmulis laudum præceptoribus, aemuli diſcipuli ad immortalitatem incendebantur. Quid carthago æmula Imperij Romani? Cur tot annos, tot periculoſiſsima bella cum parentibus noſtris geſsit? Aemulatione dicas neceſſe eſt. Ruebant paſsim viri illi in arma, alter alterius virtutem æmulantes, nec præter mortem res vllæ illorum certamina dirimebant. In bellis Germanicis, Gallicis, Aſiaticis, terra, marique geſtis, quales Cremonenſium Turnas fortiſimorum parentum ſuorum æmulas experti ſunt Reges maximi, & Imperatores? Quid Africanus il-

te ad cuius bellicam laudem nemo aſpirare potuit, quiq; tertiam orbis terrarum partem ſubegit, nonnè ſuperioris Africani laudum æmulus, Carthaginem, quàm ille tributariam fecerat, funditus ſuſtulit, & ſolo æquauit? Themiſtocles verò, (placet enim exemplum, quod in priori oratione noſtra erat, reponere, quò facilius cæcitatem tuam reprehendas) nonnè in publico cum ambularet ſciſcitanti cur ita faceret, reſpondit, Milciadis Trophœa ſomno me excitant. Quid tot Poetas, & Oratores peperit aliud, tàm Græcos, quàm Latinos, niſi hæc ſtudiorum mater æmulatio? Nos profectò nobiliſſimum illum, & maximum poetam, inſignemque oratorem, quo tantopere gloriamur, niſi hic Græcorum, Latinorumque Poetarum, & Oratorum imitator, atque æmulus extitiſſet minimè haberemus. Quem dicam optimè noſtis. Sed quid hæc admiramur in ſummis viris? Nonnè & Erichthei filiæ virorum æmulatione, qui patriæ ſe deuouerant, mortem appetentes, focos, patrios lares, penates, totam denique patriam ſuam ab immaniſſimo incendio liberarũt? Dies mehercule ampliſſimi ciues deficeret, ſi eorum ſingula exempla recenſere vellem, qui non ſolum ijs pares, quos æmulabantur, ſed ſuperiores etiam aliquando euaſerũt. Huc te voco Tarteſi, mihi te per manes tuos, quos ſummè veneror liceat affari, cui poſt Deum ipſum bonorum omnium autorem, ſi quid in me doctrinæ, quam perexiguam eſſe ſentio, ſi quid boni eſt, totum id acceptum refero, quoties tu inter loquendum, tuis Hypodidaſcalis audientibus, in hac ampla vrbe liberis referta plura Gymnaſia eſſe oportere dixiſti, in quibus viciſſim dè laude certantes iuuenes ingenia exercerent? Nonnè etiam dicebas ætate illa tua iuuenili, & iam adulta, tria florentiſſima ingenij, exercitationis, virtutiſque, in hac vrbe theatra extitiſſe, & cuique illorum literatiſſimum virum, nec minus

nus moribus, quàm literis prædìtum præfuiſſe? Atq; hic Gaietanum, Concoregium, & alios narrabas, qui tunc temporis clarebant Grammaticorum lumina, ſtellæ clariſſimæ, quibus cum Gymnaſiarchum hic ſuum præferat, viderint optimi Decuriones, qui tantorum virorum fuerunt ferè omnes alumni, ſit ne vllus hoc tempore in hac ciuitate Grammaticus, qui cum illis ſit meritò comparãdus, equidem ſic crediderim, Primarium hunc tuum, (te nunc bone vir appello) præ rubore, animiq́ue ſui moderatione (eſt enim modeſtiſſimis moribus) eximiã hanc laudem quam tu illi tribuis, nec agnouiſſe, nec probaſſe, immo verò arbitror orationem tuam, antequam illam ederes, non legiſſe. Non enim is ſe optimis illis viris, publico docendi munere honorificentiſſimè functis, non præponi modo, ſed ne æquari quidem paſſus eſſet. Atque vt perſpicax vir eſt, & longè proſpiciẽs, id ciues ſuos minus æquo animo laturos præuidiſſet, qui primo quoq; verbo doctiſſimos homines illos, dè patria optimè meritos, in ore habent, prædicant, extollunt. At quàm minus aptè, quàmuè imprudenter in epiſtola tua loquutus fueris, vt planè intelligas, dic obſecro, cum inter ſummos illos viros, quibus meritò ciuitas noſtra triumphare poteſt, neſcio enim an vnquam tales viros ſit habitura, quo loco Gymnaſiarchum hunc tuum numeras locas, quouè ipſum conſtituis? Scimus nos quo beneficiorum cumulo, qua virtutum magnitudine, qua hominum admiratione, quo deorum beneficio tres primi illi, ſummi nobis ſint, ſummeq́ue admirandi. Dij enim eos nobis imitandos dederunt, omnibus officijs colendos, venerandos. Neque ij ſanctiſsimi homines virtutes ſuas omnibus expoſitas alterius præconio celebrari volunt. Sunt tamen literis quorumcunque doctiſſimorum hominum, horum ſunt laudes immortali memoria conteſtatæ, omnibus

bus Annalibus traditæ, & conſecratæ. Sed hunc, quâ re-ligionis gratia, quo pietatis officio, quouè dignitatis & honoris nomine, in hanc Diuinam prolem inſeras, exquirunt homines huius primarij vrbis. Si dè laudibus ſummi Pontificis, & Franciſci Sfondrati Cardinalis, qui Deo annuente, virtute ſua, ad ſummos illos honores peruenit, quibus hanc patriam immortalem fecit, tibi agẽdum fuiſſet, huncnè cuius præter modum ſtudioſus videris in collegio horum diuorum collocaſſes? parum certè ſtudioſus latinorum, græcorumque poetarum, & oratorum es. Ij namque quando agunt dè aliquo Principe, illum à turba ſeligunt, quid vnumquemque deceat maximè obſeruantes; cuius rei ignoratio homines ſæpe doctos, nedum ſemidoctos in magnos errores trahit, quam rem ſi diligẽter oculis tuis vidiſſes, numquam tàm ineptè dixiſſes. Atque ſi cum amicis tuis id aliquandò communicaſſes, huius rei certè, vt tui ſunt honoris ſtudioſi, te apertè inſimulaſſent, vel potius à propoſito reuocaſſent, præcipue ſi ad illum retuliſſes, cuius maximè id vidiſſe interfuiſſet, qui (vt certò ſcio) hanc laudum communionem omnino reſpuiſſet. Nam quid perſonæ ſuæ conſentaneum ſit haud ignorat; quid verò horum quemque deceret maximè nouit. Hic iuuentuti erudiendæ, & in veteri diſciplina retinendæ præeſt, præſunt & alij in hac vrbe literati viri. Horum verò, alij religioni, alij ciuitatibus, & maximis prouincijs regendis, non tàm hominum fauore, quàm Deorum beneficio & præſederunt & præſident. Sed conferre hunc, vel quemlibet aliũ haſce literas profitentem cum huiuſmodi ſummis viris, eſt Muſcas Elephãtis comparare, tenebras luci, noſtræ Turri infimum caminum, Deos hominibus. Prudenter tecum actum, honorique Gymnaſiarchi tui maximè conſultum fuiſſet, ſi in epiſtola tua ſic ſcripſiſſes. Tres dè ſummorum virorum

laudi-

laudibus orationes edendæ, quarta de eligendo Gymnaſiarcho. Quam ſeparationem, & hic commendaſſet, & omnes approbaſſent. Non enim mihi perſuaſerim, tametſi ab illo omnes intelligentias cognitas, quis dixerit, & vt tu ſcribis præterea à nemine, inter hos Heroas ſibi locum dari expoſtulaſſe. Quis enim tantæ arrogantiæ, tamque inſignis inſolentiæ eſſet, qui vix dignus inter eorum aſſeclas, & apparitores annumerari, vellet vnus è ſummis haberi, & decantari? Nemo certè, niſi illos mẽte captos imitari placeret, qui parentibus neglectis, religione ſpreta, verecundia contempta, Deorum natos ſe credi voluerunt, ſacraque, vt maximis Dijs ſibi fieri hominibus mandarunt. Verũ hic mos apud Perſas valeat, non Cremonenſes, qui omnes manſueti ſunt, & cum decoro viuentes, quique norunt optimos Duces à gregarijs militibus ſegregari. Sed vndè digreſſi ſumus reuertamur. Quotannis varij generis non ignobiles compoſitores innumeros ex Theatris illis exijſſe dicebat idẽ ille Tarteſius. Cumque ſe ad altioris ſcientiæ ſtudia contuliſſent, ab omnibus qui ex diuerſis nationibus eo confluebant ob politas literas, quas in patria didicerant, & ob humanitatem, ſuauiſſimosque patrios mores concupitos fuiſſe crebrò repetebat. Quandò enim ad legum ſtudia, aliarumúe liberalium artium iuuenes Cremonenſes harum humanarum iam emeritis literarum ſtipendijs ibant, alibi edoctos iuuenes, non hos ab hominibus inſtructos aiebat religioſiſsimus ſenex exiſtimaſſe, ſed ã Muſis in Apollinis ſcholis. Tanta erat laus præceptorũ Cremonenſium illius ætatis, id non rarò, ſed frequentiſſime idem, & quia patriæ ſtudioſiſsimus, & antiquæ æmulationis maximè memor Tarteſius narrabat, & quia veriſsimum erat, id quod comprobauit quam plurimorum fœliciſsimus euentus, ad certiſsimam patriæ noſtræ immor-

mortalitatem, & vt ad eorum æmulationem honeſtiſſimos iuuenes, qui in illius fidem, & diſciplinam traditi erant, incenderet, quod vigilantiſſimi, ſolertiſſimique præceptoris, & ſuorum auditorum amantiſſimi propriū eſt; Quod & ab optimir, reique militaris peritiſſimis viris, acies inſtructas in pugnam ducturis vſurpari ſolet, quandò illis patrium decus, ductoris dignitatem, vires auitas, eorum conſtantiam, animique firmitatem, qui pro maiorum ſuorum laude pugnantes occubuere, vt militum animos ad pugnam accendant, ſæpius repetunt. His ſtimulis, atque ignibus, nō Cremonenſem modo iuuentutem ſub illis præceptoribus, ad laudum ſtudia accenſam fuiſſe, ſed & maximos quoſque viros, qui præeſſent iuuentuti erudiendæ accepimus, & ipſos eodem ſtudio æmulationis ad capeſſendas ſcientias incitatos fuiſſe. Vnde dicebat ille Peripateticorum, vt vnum ex multis ſeligam, facilè princeps Ariſtotiles, ſibi turpe fore, ſi Iſocrate docente ipſe tacuiſſet. Hæc cum ita ſint, Nobiliſſimi Cremonenſes, quid iam hic amplius dicere audebit, cauendum ne qua vobis imprudentibus, quos omnes nationes, ſummi Imperatores, Maximi Reges prudentiſſimos cognouerunt, vobiſque incautis (ſic ipſe ſcribit) quorum ſapientia, cautiſſimiſque conſilijs hæc reſpublica adminiſtratur, omnique ratione in priſtina dignitate retinetur, nè qua inquam noua conſuetudo, nouique mores inducantur? Qui noui quæſo ſunt ij mores? Qui inuſitati ritus? Plures in hac vrbe fortaſſe docendi ludos aperiri? At vetuſtum, vſitatum, acceptum, omnium Cremonenſium ſuffragio probatum, nullo tempore id intermiſſum habemus. Niſi fortè ad eam Grammaticorum penuriam res adducta eſſet, aëris corruptione, temporis calamitate, & mutatione, Deorum ira, vt vix vnus eſſet, cui tota Reſpublica literaria ſuſtinenda committeretur. Videnè

denè hac tua pietate plus noceas, quàm proſis, & dum oſtendis te velle iuuentuti Cremonenſi conſulere, publicæ dignitati proſpicere, eos imiteris, qui Socratem illum omnium ſapientiſſimum ſuſtulerunt. Scis quanta calamitas vniuerſæ Græciæ illata ſit, ea temeraria, falſaque pronnnciatione. Socrates in Rempublicam Atheniensē nouos mores indncit. O', pernicioſam, & peſtiferam illam vocem, quam maledictis proſecuti, deteſtatiq; ſunt omnes deinde Athenarum Nepotes, parietes quoque ipſi execrati. Hi tibi videntur noui mores, liberos Cremonenſes in veteri conſuetudine, Maiorumque curriculo retinere? Proximis, remotiſſimisque ciuitatibus, è quibus honeſtiſſimi iuuenes, fama Cremonēſium Grammaticorum allecti huc quotidiè conuolant, pluraq; patere theatra, plures virtutis officinas? plura literarum emporia? Vis Placentinos vrbis iſtius antiquiſſimos hoſpites, Mantuanos amantiſſimos, Parmenſes ſtudioſiſſimos, quorum liberi in contubernijs Cremonenſium liberaliſſimè tractantur, amiciſſimè, & fideliſſimè erudiuntur, illud triſtiſſima voce proferre? O' Gymnaſia antiqua, quondam Cremonæ florentiſſima, quorum decreto concidiſtis? Cuius voce præcipitaſtis? quorum perſuaſione corruiſtis? Quorum negligentia euanuiſtis? quam horum triſtis, & vox luctuoſa eſſet, Tarteſij manibus, Muſonij, reliquorumq; de patria hac optimè meritorum? qui tot labores in ſtudijs confecti ſuſtinebant, vt non vnum, ſed plures alumnos relinquerent, qui conſuetudinem à maioribus acceptam non demitterent, ſed quibus poſſent viribus, ſeruarent, quandò augere non poſſent. Si hic Muſonius adeſſet, vt adeſt perpetua illius apud nos memoria, qui patriā hanc ſemper vnicè dilexit, (Sentio rabulam quendam obmurmurantem, at diſceſſit) (cauſam ſcitis, nihil amplius dico) ſi inquàm hic adeſſet Muſonius, qua ille di-

cendi copia, quo verborum ſonitu, quo vultu, quo conatu probaret plures in vrbe ludos aperiendos eſſe? Idq; ciuibus maximè conducere, cum ad vtilitatem, tùm verò ad ciuitatis decorum, famamque diu promulgatam? Quot iuuenes in Theatro illius Tarteſiani tùm æmulo florebant, qui ſingulis ferè diſputationibus cum Tarteſij diſcipulis, de multiplici rerum intelligentia contendebāt, quales ij tùm erant? Quibus diſſerentibus, res nouas, magnas, auditu dignas, arduas, inauditas audiebamus, condiſcebamus, memoriæ mandabamus. Atque æmulationē hæc omnia velis, nolisuè dicas, præſtitiſſe neceſſe eſt. Amicum præterea noſtrum, quem tu verborum ornatu, quo potes extollis, in frequentiſsimo amicorum cœtu dicere audiui, ſe nunquam diſputationes ſubtiliores, acutioresuè, quàm illæ erant auditurum, quæ fiebant per illos dies, quibus tres illæ Academiæ, Tarteſiana, Muſonia, Barbetana, de literis inuicem concertabant. Hoc cognoſces à maioribus natu, ſi fortè in maiorum inſtitutis, & ingenuis exercitationibus hæſitas. Sed quid antiqua, & vſu probata commemoro? Rolandi Cauagnini, hominis diſertiſsimi, exercitatiſsimi, magnæ eruditionis, miræ iucunditatis, Auditores, & diſcipuli quam de ſe ſpem concitant? quam opinionem ſuſtinent? quanta vero lætitia parentes ſuos afficiunt, ex ea, quam cum noſtris habent illorum æmulis conflictione? Dij boni quanta cum attentione, qui mihi ſocij ſunt illos audiunt? vt in illos oculos omnes conijciunt? vt acutè diſputantes, ſtudioſè eos intuentur? Quid ſub Nicolaò Scribonio homine ad literas, patriæque huius ornamentum nato, non agunt ingenioſi adoleſcentes? Qui à meridiano tempore inuicem contendentes, diſputationes ſuas aliquandò in noctem producunt? Date mihi hanc veniam humaniſsimi Decuriones, vt & ipſe de meis aliquid dicam.

cam. Habeo diſcipulos liberos veſtros, ac Contubernales vix decimum, & tertium annum natos, qui cum homine, qui æmulationem tollit, ita doctè, & modeſtè alias diſputarunt, vt & Gymnaſiarchus ille, & omnes qui tum aderant, non poſſent, nō ſatis eorum ingenia, & modeſtiam, acutasque & interrogationes, & reſponſiones, difficilimasque in rebus obſcuriſsimis interpretationes admirari. Id mihi retulerunt, qui diſputationibus illis interfuerunt. Summeque ab omnibus, & in primis ab illius ludi magiſtro laudatos ijdem amici noſtri dixerunt. Neque eſt vt ij mihi verba dare voluerint. Noui illos homines ſimplices, ac fideles, non callidos, minimeque verſutos. Noui adoleſcentulos illosq; noui illorum ingenia. Sed heus tu quid dè reliquis cogitas, qui nunc mecum ſunt? quos ſpiritus habent? Ij ſunt, qui tecum congredi non recuſarent. Liceat mihi in hoc quodammodo gloriari. Sunt alias tecum congreſsi. Ij nunc tacitis quibuſdam igniculis conflagrantes ingenij aciē acuunt, vt quid æmulatio in literis valeat, experiare, quam cum ipſe tollis, ſolem è mundo tollere videris. At vide nè te ingratum hominem oſtendas, qui cum æmulationis ſtudio in tam magnum virum euaſeris, in eum deinde inſurgas, bellumq; ei indicas, fruſtraque omninò ex vrbe expellendam, exterminandam, eijciendam ſtatuas. Verum dic obſecro, quem è multis vnum ſeligendum contendis, nonnè is eſt, quem omnium primus in illo quaſi interregni exordio deſeruiſti? Quod ſi id tibi excidit (id quod his euenire ſolet, qui in rebus difficilimis ſunt occupati) in memoriam redige, hucque tuorum oculorum totam verte aciē, quibus neſcio quid te vidiſſe ais. Recordare Cameram illam, quam conduxeras, vel vt ipſe dicebas, occuparas, Domino permittente. Denudata ferè omnis iam Academia vetus erat (non ignota loquor) iungis te deinde

cum principe, ac Domino dereliĉti ludi. Atq; hanc animi tui mutationem, nè dicam inconſtantiam, cum plures amici tui ægrè ferrent, eamq́ue ſæpè redarguerent, ex quibus multi dabant tibi operam, reſpondebas non ex propenſa in hominem hunc animi voluntate, ſed loci opportunitate compulſum id feciſſe, quod mihi quoque cum de ea re tecum agerem, referebas. Arbitror tamen, te ſimulatq; hominis manſuetudinem deguſtaſti, ſocietatis iam initæ non pœnitere; Quanquàm intimos animi tui ſenſus perſcrutari, odorariuè nolim. Te ipſum excutias, conſcientiæ tuæ theatrum patefacias, crebrasq́; tuas permutationes examines, integrum tibi velim. Sed heus tu præco maxima voce recita, qui ex hoc collegio Hypodidaſcalorum ad Gymnaſiarchum deligendum conuenerunt. Hic potiſsimum, quo cum nunc amiciſsimè, & iure contendis, qui tamen inuitus venit, atque ille, qui & ipſe oratione ſua de Gymnaſiarcho promulgationi ſubſcripſit. Citato reliquos, quos ſexcentos hic ad digitos paulo ante numerabat. Huc omnes vniuerſæ ciuitatis ediĉto compellauimus. At diĉto noſtro audiĉtes non ſunt, quia (vt aiunt ipſi) neque nomen, neque fidem ſuam hac in re interpoſuerunt. Ij tantum ergo duo nouũ hunc tumultum concitant? Horum voces, ac tabellas nón admittimus, nam ex ſuis quidam natu maior mihi affirmauit, eblandita illa, non enucleata eſſe ſuffragia. Suſpeĉti prætereà ſunt nobis in hac cauſa, quam ob rem, ſciunt ipſi. Quod ſi in Gymnaſiarchum ſuum, cui loco filiorum eſſe debet, & ijs ille patris, huc diĉturi veniſſent, eos profeĉtò reieciſſemus. At ſubſcriberent, & nobis noſtri Hypodidaſcali, ſubſcriberent innumeri agnati, cognati, affines, quorum ſententiam probarent, & omnes amici noſtri, ſed in hac re horum authoritate nobis haud nitẽdum eſſe duximus. Vos ne fatemini, id tantum negotium recepiſſe?

cepiſſe? Quid ni? quando dè nobis benemeritò, & quotidiè merente non ingrati animi ſit, nos benè quoq; mereri. At ſi aliò conditione honeſta, vobisq; digna, vbi honeſtius commorari poſſetis, euo caremini, recuſaretisnè? Minimè. Iam enim harum itionum piget, quas per aſperrimam hyemem, maximos imbres, nimias procellas Domo ſcholam, è ſchola domum redeuntes patimur. Nunc equidem mecum ingenuè agitis, id quoq; à veſtris quàm plurimis familiaribus accepi. Quod ſi ita eſt amãtiſſimi Decuriones, vt nos credimus, & hi fatentur, quàm ille meritò conquerebatur, qui oculis lachrymantibus dicebat Gymnaſium ſuum in dies magis diminui, & illo priſtino ornatu denudari, vel vt hic dicit ad nihilũ redigi? Nos verò dè theatro noſtro id prædicare poſſumus, in eo amplius ducentos iuuenes in literis exerceri, quotidieq; eorum numerum adaugeri, ſociosque noſtros in fide, atq; officio ſemper fore non dubitamus. Sunt enim homines optimi, ac fideliſſimi, & quem ſibi ſemel amandum propoſuerunt, ab eo nunquam deficiunt, nullaq; licet maxima conditione diuelli poſſunt. Arbitror verò magnam lętitiam animis veſtris ineſſe viri Cremonenſes, cũ me per hanc vrbem eunté videtis ingenti adoleſcentium numero comitatũ. Rarò namq; hi à latere noſtro diſcedunt, quos mirificè amo, charosq; ac iucundos habeo. Sic tum opinor, inuicem loquentes dicitis. Ij ſunt liberi noſtri, nobis vita chariores, hę ſunt imagines corporum noſtrorum, cur non amemus hunc hominem, qui liberos noſtros ſic amat? qui in his inſtituendis, erudiendis, ornandis, aſſiduè laborat? qui in cuiusq; noſtrum, totiusq; ciuitatis laudem toto animo incumbit? cur non hominẽ tueamur? cur non illos patriæ hoſtes habeamus, qui ei negotium faceſſunt? Quod ſi à nobis aſſiduè laboratur, vt liberi veſtri optimi ciues, quales vos nunc experimur,

euadant, falluntur nè ciues hoc modo, quod hic auſus eſt ſcribere? Sunt hæ captiones, quibus abducuntur, & aliorum diſcipuli alliciuntur? Hac certè in re ſcimus à quodam non parum peccatum fuiſſe, ſed neminem ſcriptis prodam. Hic nuperrimè quendam huius ciuitatis nobiliſſimum virum domi conuenit, deditq; multis verbis operam, vt illius filiolos, qi in alterius diſciplinam traditi erant, ad ſe abduceret. Quod certè aſſequutus fuiſſet, niſi ille egregius ciuis, Pater fideliſſimus, fidē oratione blāda antiquiorem habuiſſet. Quam rem ægre ferentes duo ſingularis modeſtiæ non mediocrium literarum iuuenes ex illorum numero, quos hic minutolos vocat, ab illo quem fideliſſimè comitabantur, aliò diſceſſionem fecerunt. Hoc ita factum, non obſcuro, & vario ſermone, ſed clariſſima, & omnium vna voce ad me perlatum eſt. Non ego veſtris cōtētionibus interſum, illas & inuitus audio, illorū qui ad me hæc perferunt, longè etiam plura dicturi vocem comprimo. Quæ hactenus egimus non ficta, non ſimulata, hic quo cum leui (vt aiunt) brachio contendimus vultu ipſo, (vt aſpicio) fatetur. Neq; enim harum rerum hic ipſe ignarus eſt. Sed aliò me vocant huius acutiſſimæ argumentationes. Reliqui (dicis) cura rei familiaris præpediti, multitudine contubernalium occupati, eorum, qui illos audiunt ſtudio detenti, onus tām graue minimè ſuſtinere poterunt. Ecquod onus obſecro illud? Monte nè Aetna grauius? At tu hanc rem inertibus, & ſocordibus, manibusq; compreſsis, ad Eurotam (vt in prouerbio eſt) ſedentibus obijce, non fortibus, & pro patriæ decoro vigilantibus, in ſtudioq;, & laboribus aſſiduè verſantibus, vt famā apud illos ſuſtineant, quibus laborioſæ ipſorum vigiliæ non deriſui, cōtemptui, deſpicatuiq; ſunt. Agè verò argutias, vel potius captiones tuas iam penſitemus. Si rationes tuas eò deducis, nemi-

nem,

nem, qui ſit domeſticis rebus diſtentus, huic muneri publico præficiendum eſſe, nulli id certè mandandum apertè ſignificas. Nã qui eſt, vel hic, vel in qualibet ciuitate, qui rem familiarem nõ curet? In contubernalium commoda non incumbat? Et in reliquos diligentiæ ſuæ commẽdatos, erudiendos non omnem animi curam, corporis vires intẽdat? nemo ædepol, niſi ille ſit lapis, aut ſtipes. Verùm id planius agamus. Tuus Gymnaſiarchus (à quo vocabulo abhorret hæc ciuitas, quamquam id tu per imprudentiam, ciuium auribus inculcas) vacatnè his moleſtijs? non medius fidius. Habet enim nepotes ex ſorore, quibus vt in ſuos beneficus eſt, conſilio, cura, & labore proſpicit. Quod cum ita ſit quem tu omnibus præponis, atq; omninò eligendum dicis, hunc omni dignitate ſpolias. Vide quæſo quàm benè illi conſulas quamq; illius honoris rationem habeas, quem cum decorare eniteris, imprudẽter dedecoras. Si quando ludi magiſter hic tuus rebus ſuis illaqueatus, alienis irretitus, diligentiæ te ſuæ vicarium conſtitueret, & tu curis implicatus, (non enim otioſam vitam degis) operam ei tuam nauare non poſſis, quid tum erit? Nonnè fruſtrà ad vos veſtri confluent auditores? totusq; ille locus ampliſſimus in deſertiſſima ſolitudine iacebit? Quibus armis te feriam vides. Ad hunc modum Socratem diſputantem ſæpius obſeruamus. Sed (quod multum ad cauſam noſtram facit) eos memoria repetamus, qui ſuperiori ætate viguerunt, quiq; huic rei literariæ maxima cum dignitate præfuerunt, eorum ædes diſcipulis nonnè refertæ erant? Hiq; tamen res ſuas optimè curabant, nec cura his rei familiaris obſtabat, quo minus publicas lectiones tùm Græcas, tùm Latinas explanarent. Verum, ſed eorum (inquis) longè diſſimiles ſumus. Fateor id quoq;. Quis enim eſt tantæ arrogantiæ, & temeritatis, qui ſe illis comparare audeat?

Quisuè

Quis uè adeò impudens, qui aliquem ex his, qui hæc ſtudia profitentur magnis illis viris conferre, nedùm præferre velit? Illos agnoſcimus tales, quales ciuitas noſtra in hoc pręclaro munere officij nunquam fortaſſe habitura eſt. Vicimus, exclamas, illum, illum inquis habemus, qui ſuperiorum ætatum Gymnaſiarchis longè præferendus eſt. Lætor. Huic ciuitati gratulor, quæ in his artibus laborandum ſemper eſſe duxit, quibus maximę eæ laudes cōparantur, quarum gloriam ſemper adamauit. Viciſti. Tripudiato. Animo exultanti tibi gratulator. Victoriam hanc inſignem cum amicis tuis, quos multos habes communicato. Niſi enim habeas, quibus cum proſpera euēta communices, nihili ſunt. Verùm quod tu dicis, negant omnes, negat & tuus Gymnaſiarchus. Quid? ſcis quanto nos labore, ſtudio, cura hoc interregni tempore decus patrium ſuſtinuerimus, nihil declinantes à iam impreſſis maiorum veſtigijs? Sciunt tui, qui me, & alios attentè (vt diſcendi auidi ſunt) audiuerunt. Sciunt & mei ſtudioſi auditores, qui & ipſi orationes edituri erant de ludi magiſtro deligendo, quas doctè ſanè, & diligenter præmeditatas, appoſiteq; ad perſuadendum ſcriptas, nolui in apertum proferri, maluiq; operam meam re ipſa probari, quàm laudes meas vllius præconio celebrari. Ea laus noſtra ſit, patriæ pro viribus prodeſſe. Atq; hac vna re contenti ſumus, noſtram in docendo fidem, & diligentiā omnibus eſſe teſtatam, qui nobis filios ſuos tradiderunt. Nam neq; laudatores iſtos, vel adulatores potius amamus, immò verò eos deteſtamur, admonemusq; quotidiè adoleſcentes noſtros; caueant, nè aſſentatoribus patefaciant aures, eosq; impuros Dæmones Socratico more appellamus, qui præſtigijs, ac veneficijs ſuis ad animos noſtros deprauandos ſemper ſunt parati. Sed audiamus hunc hominem, qui in foro ſe iactat habere diſci-

plinas

plinas venales, deridetq́; eos, qui gratuitam ciuibus ſuis induſtriam offerunt. At quis eſt hic? num Protagoras Abderites, aut alius Sophiſtes maximus? Qui animorū epulas circūfert, easq́; tàm grandi pecunia cauponatur? veſter mihi riſus hoc verbo captandus eſt Decuriones humaniſſimi, nàm & Socrates ille purgandorum gratia animorum è cœlo miſſus homines huiuſmodi, cum rideret, eos ciborum, quibus animus alitur mercatores, ac caupones quoſdam eſſe dicebat. Quid tu bone vir dè nobis exiſtimas, qui ſinè publico ſtipendio, operam noſtram quantulacunq; eſt, patrię pollicemur? An neſcis quid patriæ debeamus? pro qua mori; & cui nos totos dedere debemus. Quid tu ſi Cremonenſis ciuis eſſes, patriamq́; hanc noſtram ſic te alloquentem audires? Parens tua ego ſum antiquiſsima, ac ſanctiſſima, quæ te, tuosq́; genui, atq; alui, nè me deſeras, neuè generoſam, quam vides, hanc prolem contemnas. Sint hi tui ciues, opera, ſtudio, labore tuo meliores, ſint verè Cremonenſes; ideſt viri virtute florentes. Quid tùm obſecro faceres? ſtipemnè peteres? patriam ſpondere velles? At qui ſic arbitror. Audi, quid quiſq; patriæ debeat, decere chariorem eſſe eam nobis, quam noſmetipſos. Quod ſi parentibus tantùm debemus, quantum perſoluere difficilè eſt, quid non patriæ tribuendum? quæ veneratione dignior res eſt, atq; ſanctior? quæuè tùm apud Deos, tùm apud homines mentis compotes ſuperiori loco, quàm parentes ſemper eſt habita. Hanc nos colere oportet, eiq; magis præſto eſſe, quàm patri. Hæc ſi nos in vincula coniecerit, ſi in prælium, miſerit, ad vulnera excipienda, mortemq́; obeundam, parendū eſt omninò, nedum id libenti animo faciendum, quòd ad priſtinam eius dignitatē ſpectare videatur. Quid tu ad hæc dicis ò lucri cupide? nàm ſic te Hipparchus Platonis appellat.

Sic puto inquies. Mercenarius ipſe ſum, lucrum appeto magni virtus eſt emenda. Alienigena hic certè eſt Cremonenſes optimi, vocem agnoſcite, cui æquo animo ferte, vt ipſe reſpondeam, ciuis veſter, patriæ huius amantiſſimus. Audiſtinè vnquam, heus tu amice, omnibus qui pro patria laborarint, eam adiuuerint, certum eſſe in cœlo, ac definitum locum, vbi beati æuo ſempiterno fruantur? At hic obloqui neſcio, quid mihi videris. Intelligo, lucrum omninò quæris in hac vita. Reſpice fortunas noſtras ſola Cremonenſium meorum liberalitate comparatas; (fuere enim pauperrimi parentes mei, bonis patrijs euerſi, fortuna cuius frenum nemo cohibere poteſt, illos nimis acerbe inſectante, nec eorum ego paupertatem erubeſco) Reſpice Affines nobiliſſimos, quos mihi dedit hæc patria, reſpice ciuitatis huius primarios viros, optimosque adoleſcentes noſtri amantiſſimos, ac ſtudioſiſſimos. Hic tibi vnum pro omnibus referre poſſem honeſtiſſimum virum, cuius amor, & beneuolentia eſt mihi Theſaurus maximus, animiq; mei delitiæ maximæ, ſed ille mihi ſilentium indicit. Vos eum benè noſtis viri Cremonenſes, nunc enim apud vos vitam agit, omiſſis iam pridem rebus Aulicis ſola ipſius virtute contentus. Hæc tu omnia paruum lucrum exiſtimas? Equidem his rebus Dijs fauentibus, ciuibus meis adiuuantibus, Marte etiam (vt aiunt) noſtro partis, ſic beatam vitam duco, vt diuitijs Craſſum longè ſuperare videar. Titulo præterea pulcherrimo inſigniri, id parum videtur? Quicunq; antiquitus apud prudentiſſimos Romanos minimè auaritia captos, quorum, ab illis orti Cremonenſes, vel potius à Troianis religioſiſſimis vnà cum his oriundi, in omni re veſtigia perſequuntur, Magiſtratum inijſſent, quem nam fructum laborum ſuorum alium referebant, præter glo-

riam,

riam, quàm immortalitatis inſtar habebant viri illi non peccuniarum, ſed laudis appetentes? An te illud præterit, quod ſumma cum veneratione literis mandatum eſt, Annalibus omnibus notatum, omnia quæ foris acquiſiſſent, in ærarium ſummos illos viros retuliſſe, vt domi eſſet, quo foris acerrimas pugnas ſuſtinerent, hoſtium impetus reprimerent, nouos tumultus ſedarent. Reipublicæ temporibus aſperis, periculoſiſsimisq; ſubſidio, ſecundiſsimis ornamento eſſent ſummis, medijs, infimis, vniuerſis deniq; ciuibus conſulerent? Quid ais? Mauisnè pecuniolæ incubare? auaritia conſumi? quæ gloriæ inimica, mente captos præcipitat, quàm honori, & famæ, quibus homini nihil melius accidere poteſt, conſulere? Metelli, inquis, illi non ſumus. Scipiones, Fabricij, cæteriq;, qui vtilitatis, quomodo vulgus, non quo Stoici accipiunt, obliti honeſtatem tantum appetebant, ſed hi ſumus ais, quorum res tenuiores ſunt, nullũ patrimonium. Diffidis ergo huic ciuitati bonorum ſtudioſæ? Patria mea eſt gratiſsima, potes liberaliter in hoc ſolõ optimè culto beneficium ſerere, vt inde vberrimos fructus metas. Vnius Cremonenſis beneuolentiã in te ſàtis grãdẽ expertus es, à quo, tùm ex illius innata liberalitate, tùm quia maximis rebus dignus es, multò etiam maiora ſperanda ſunt, & omnium munificentiſsimorum Cremonenſium liberalitatem cuius apud eos fons eſt ſemper effluens, exhauſtum iri perhorreſcis? Dic quæſo, ſi hæc ciuitas nummis egeret, oppreſſa ingenti bello, in manibus hoſtium futura, (quod Deus omen auertat) niſi erogata pecunia ſolueretur ijs, qui propugnarent, ad famem ſuſtinendam, tibiq; eſſet ingẽs nũmorum copia, ſuccurreresnè ciuibus meis laborantibus? An malles tibi cõſulere fuga, quàm alijs pecunia? Nihil mihi nummis antiquius ais. Sed heus quicquid

habes, nonnè magnificis debes his tectis, in quibus liberaliter educatus es, vrbiq; huic, quæ te aluit, acceptum refers? Dices fortaſſe, hæc mihi omnia labore, vigilijsq; meis comparaui. At non æqua mecum naturæ lege nunc agis, qui cum patriæ meæ multum debeas, eidem tamen vel parum, vel nihil certè debere velis. Nam quicquid habes, vbi quæſo gentium acquiſiuiſti? Litteras, quibus non mediocriter es eruditus, eloquentiam, qua multum vales, fortunas, quibus à labore vacuus iam vitam propagare potes, quasq; Deos tibi fortunare velim, nonnè habes à Patria mea? id inficiari nequis. Cremonenſibus debes omnia, id fateri neceſſe eſt, ſi ingrati animi crimen horres. Fateor, inquis, & tandem vnà tecum Cremonenſium liberalitatem agnoſco, manſuetudinem laudo, clementiam prædico, iubeāt quicquid velint Cremonenſes, ijs me totum trado, atq; dedo. Te verò, qui pro patriæ tuæ gloria, ac dignitate quantum potes, excubas, atque elaboras, fateor non amandum ſolùm, ſed præmijs etiam, atque honoribus publicè decorandum. Profectò res ità cecidit, vt putaram, principio namq; cum ad hanc cauſam acceſſi, minimè veritus ſum, nè in viam redires. Sedatiore nunc animo, quod reliquū eſt, agamus. Ego qui cum patria mea ſemper liberaliter agendum putaui, rem omnem in Decurionum optima fide, & arbitrio reponendam ſtatuo. Hi ſunt iuſtiſſimi rerum omnium æſtimatores. Quicquid hi decreuerint, dijudicarint, ratum, firmum, ſanctumq; eſto, ſunt enim iudices integerrimi, noruntq; optimè quid cuiq; ſit tribuendum, atq; id tu ipſe cogitans præclaram illam in foro, apud familiares tuos vocē emiſiſti. Iam noſtris editis, iudicent ipſi. Sed rectius ita dixiſſes, quicquid nos dixerimus iudicent ipſi. Illud certè profiteor me apud vos ſanctiſſimi Decuriones, antiquiſ-

antiquiſſimi Cremonenſes, quorum fidem imploro, me quæcunq; egerim, ſyncerè, purèq; egiſſe, non tàm vt filios veſtros conſolarer, quàm nè officio meo deeſſem, neminem certè offenſurus. Idq; ſperabam non vos tantùm omnes, qui omnibus bonis fauetis, in hanc partem accepturos, verumetiam cæteros omnes, in quorum manus oratio illa noſtra perueniſſet, idem facturos arbitrabar. Non nulli tamen, & illi mecum magno amicitiæ vinculo iuncti, fueruut, qui (quod minimè ſperabam) in aliam partem acceperunt. Atq; non ego illos parum dilexi, immò verò beneficijs ornaui. Neq; id à me dicitur, vt illis officium meum exprobrem. Odioſum eſt enim id hominum genus officia exprobrantium. Nec vt illud diuulgatum audiant. Benefacta malè locata, pro malefactis haberi. Id tantū dico, vt cogitent quàm malo conſilio amicum læſerint. Sciebam inuidos ab officio ſuo non diſceſſuros. Noua enim oportet, vt hi homines excogitent peſtem animi ſui euomant, & quando nihil ipſi laude dignum moliri poſſunt, aliorum laudibus inuideant, bonis viris maledicant. Sed quid erat, cur illi mihi inuiderent, amicitiamq; noſtram tàm turpiter inquinarent? O' feros, agreſteſq; homines amicitię iura violantes, bonorum animos perturbantes, Diuina, atq; humana omnia contaminantes. At cur non diſſociatos ſenſus tandem colligitis? in viam cur non reditis? bonos ſi id apud vos fieri poteſt, imitatione, non inuidia dignos exiſtimatis? Nefas mihi ſit hoc loco quemquam nominare. Amici enim ſunt, qui me læſerunt, quos nolo in hac vrbe ſic notatos ambulare, vt non cera, ſed cœno obliti eſſe videantur, caueant in poſterum ab hoc ſcelere, meminerintq; columnam illam in via ſtiriaca Athenis erectam, in qua ſic inſcriptum erat. Amicum nè decipias. Præceptum hoc officij ſaluberrimum

mum diligenter teneant, & ſi peregrini ſunt, & incolæ, ſciant tamen præceptum hoc ad eos maximè pertinere. Nam cum Hipparchus vir ille ſapientiſſimus ad agricolas, & peregrinos erudiendos animum conuertiſſet, columnas illas in ſingulis vrbis Triuijs erexerat, ſapientiæq; inſtituta inſcripſerat, quæ legerent omnes, hac, atq; illac prætereuntes. Conſulant ij cōſcientiam ſuam & qua in re me læſerint, apertè cognoſcent. Ad te redeo amice, es enim mihi leuiter obiurgandus, vt officio meo non deſim. Scribis te certò ſcire ſimultates in te concitatum iri, quas tamen, (vt ais) non reformidas. Hoc nè collectis animi ſenſibus, an odio, atq; indignatione potiùs impulſus id ſcripſiſti? quas obſecro ſimultates intelligis? Siquid erat in tua illa oratione, quod quemquam offenderet, quodue ſimultatem parere poſſet, tuum erat id tollere, hoc tui mores volebant, hoc ſacrorum religio, quibus tu iampridem iniciatus es, poſtulabat, hoc Cremonenſibus meis debebatur, qui conciliationes maximè omniū diligunt, diſcordiarum autores, & ſeminatores odio proſequuntur, nec dignos hominū ſocietate illos exiſtimant, at ab vrbe eos expellunt, tuum erat inquam, qui ciuitatis huius iam conſuetudinem nō ignorabas calamo temperato rem omnē agere. Sic enim futurum erat, vt ciues, quibus in primis conſultum eſſe debet, à te non alienares, doctosque quos plurimos in hac ciuitate eſſe non tibi obſcurum eſt, docendi Magiſtros, vel tibi amicos faceres, vel in veteri amicitia firmius retineres. Bono tamen ſis animo, hi te omnes amant, ingenium tuum laudant, & quicquid ſcripſeris, non id durius, quàm belli homines ſoleant, accipiunt. Fauent literis tuis, teq; maximum vbique prædicant oratorem. Quod ſi dentata carta rem non agebas, nullumq; offendebas, quid erat, quod te ſcire

diceres,

diceres, ſimultates aduerſum te ſuſceptum iri? Vides quò te deducam, quemuè in angulum compellam? An ſi forte aliquem ex eo offenſum putas, quòd cæteros omnes, qui in literis Cremonenſem iuuentutem exercent Gymnaſiarcho tuo inferiores duxeris, erras iudicio meo, immò verò omnes ex ea re ſic de te iudicant, te eum eſſe, qui amori nimis indulgeas tuo, vereq; amatores illos imiteris, qui quam formam vel iudicio ſuo delegerint, vel eis amandam ſors dederit, eam ſibi pulcherrimam fingant, ſicq; præ nimio amore ſeipſos fallant, vt ſi ſpecies alia illorum oculis occurrat, quæ verè ſit pulchra, hanc tamen oderint, contemnantq;, nec pulchrum quidquam eſſe velint, niſi effigiem illam auream, quæ ſibi in præcordijs hæret infixa. Nos, verò qui nullis omnino præſtigijs fallimur, atq; ij ſumus, qui patriæ dignitatem liberè tuemur, non in hunc, atque illum iurauimus, ſed qui docendo plurimum prodeſſe poſſint, eos affirmamus iuuentuti noſtræ publicè præficiendos. Nec poteram me hercules hanc ciuitatem clariſſimis ducibus illis viris orbatam ſolari, niſi ea re, plures adhuc ſuper eſſe, qui rei literariæ propè cadenti opem ferre poſſent. Quod ſi tantum vnum dixiſſem, neq; te nominaſſem, an non magnam tibi iniuriam feciſſem, qui ſic in literarū ſtudijs contabuiſti, vt ſuccum omnem, ac ſanguinem amiſiſſe videaris, totusq; vultus tuus ſit quaſi cinere ſordidatus? ſed & de me conqueri potuiſſent doctiſsimi reliqui viri, qui plurimi in hac ciuitate vigent, & ea omnes nominis fama, hominumq; opinione, vt quem cæteris præponam, planè neſciam. Atq; ea mihi opinio eſt, primarium hunc tuū te iudicij hominem dixiſſe valde deprauati, niſi fortè, & ille laudibus tuis, tanquam cantu ſirenum allectus mentem amiſerit, repenteq; ex homine tanquam aliquo Circeo

poculo

poculo ſit factus pullus columbinus, qui vt ipſe ſimplex eſt, totusq́; candidus, ſic te huiuſmodi hominẽ habuerit cerusſa minimè dealbatum. Titillant enim ſenſus (vt ita dicam) hæ laudationes, atq; in animos noſtros cũ ſuauitate ſic influunt, atq; illabuntur, vt facilè contingat, homines ex ea re immutari. Verũ hæc omittamus, ad locum illum venio, vbi de indulgentia agis in pueros reprimenda, magisq́; ſeueritatem probas, quam comitantem. Quid tu Cremonenſem iuuentutem eſſe exiſtimas? Sunt hi liberi iuuenes, ingenuiq́; omnes, magnos, atq; claros animos habent, vltrò diſcunt, cogi nolunt, literas amant, præceptores colunt, illis parent, illorumq́; ad nutum ſe totos fingunt, & accõmodant, quodq́; patrij moris eſt, vim pati neſciunt, ſolis gloriæ ſtimulis aguntur. Vere ſoboles hæc generoſa. Quid tu obſecro cũ ea agendum putas? Minis dicis, truculento vultu, verberibus? rem profectò audio indignam hac libera, nobiliq́; propagatione. Immanis hæc tua diſciplina, atq; intollerandа. Quid nos in hac vrbe optimè inſtituta profitemur? an ne ſtudia immanitatis? Immò verò ſub humaniſſimo, ac ſanctiſſimo Rege noſtro inter iucundiſſimos ciues, quorum propria hæc laus eſt, quòd ſingulæ domus patent vniuerſis hoſpitibus, nos, qui liberorum curam habemus, humanitatẽ maximè omnes profitemur, literasq́; noſtras meritò humaniores appellamus. Suauitas noſtra ſit, Barbarorum feritas, quam qui in nobiliſſimos pueros exercere volunt, non hic cõmorentur, ſed ad Barbaras gentes ſui ſimiles migrent, eorumq́; feritas Barbara vi conteratur. Quid tu ſeueritatẽ in diſciplinas inducis? Nõnè pueros ea abiectos, & illiberales minusqúe ad humanam conſuetudinem idoneos facit? Hinc illæ crebrę Socratis admonitiones: Non tanquam coactos pueros in diſciplinis, ſed quaſi

ludentes

ludentes erudiendos. Non decere liberum hominem cum ſeruitute vllam diſciplinam diſcere. Virtutes non minis, non vi, ac metu tradendas. Violentas diſciplinas minimè duraturas. Nũ te latet illud? Omnis caſtigatio contumelia vacet. Quæ autem poteſt maior eſſe contumelia, quàm non ſecus in liberos ſæuire, quàm in ſeruos, piratas, fugitiuos, prædones? Si me amas conſperge te ſaluberrimo fonte Philoſophiæ, à qua lenia illa accipies medicamenta, quibus iuuentutem tibi cõmendatam curabis, & in optimis illorum parentum, patriæq; moribus retinebis. Nec verò arbitror, quæ tu obijcis de indulgentia mihi obijci. Norunt omnes diligentiam, temperantiamq; meam in liberis, & ad mores, & ad literas, informandis. Multa mihi adhuc eſſent dicenda, ſed quia ſol in meridiem tendit, vosq; defeſſos ſed tamen attentiſſimos video, & in ſententiam noſtram iam adductos, non tàm mea hac oratione, quàm rei ipſius honeſtate, cenſeo reliquam hanc partem non dilatandam, ſed coarctandam magis eſſe. Verò quia hi duo viri florentes ingenio, & induſtria ambo amici, familiaresq; noſtri inuenti ſunt, qui veterem conſuetudinem tollere nitentes, cauſæ noſtræ fundamenta, autoritate ciuium munitæ, vſu corroboratæ, quibus valuerunt inſtrumentis demoliri conati ſunt, erunt fortaſſe, aliqui in hac celeberrima curia, qui his auditis contentionibus, credant ira, & odio, non induſtria, & literarũ ſtudio, patrioq; decoro inter nos concertari, quorum opinio, vt ex animis penitus euellatur, ab illis etiam, atq; etiam quæſo. Tantum enim abeſt, vt docti contra ſe nolint ſcribi, vt ijdem etiã maximè optent. Scribant nihil illi, qui hac moleſtia carere volunt. Tot profecto, tantæq; artes, quibus hæc ciuitas excellit, non tantopere vigerent, niſi ille doctiſſimorum virorum contentionibus,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

tionibus, diſcenſionibusq́; propagatæ fuiſſent. Atq; ex ea cauſa tot Philoſophorum, Iuriſconſultorum, Rhetorum, cœterorumque omnium libri leguntur. Adſunt contentiones, non diſſoluuntur amicitiæ, atq; hæ noſtræ contentiones paucis contentæ ſunt iudicibus. Fugiunt enim multitudinem, in qua ferè ſemper aliqui ſunt, qui gratia potius, & furore adducuntur, quàm iudicio, & veritate; Nec verò quiſquam eſt doctrina tàm munitus, & ſeptus, qui ſibi perſuadere poſſit neminem contra ſe dicturum. Neque hæ ſunt contentiones, quæ intus in animis incluſæ, vitam acerbam efficiant, ſed quæ ingenia acuant, delectationemq́; animis afferant. Sed agite Decuriones, (quod hactenus feciſtis) id quod reliquū eſt audite, & quæ dicturus ſum, quando ad patriæ noſtræ dignitatē hæc ſpectant animis veſtris altius inhæreant. Ad illum nunc venio, qui inter vos vix apparet, hic ſe ſupprimit conſcius amicitiæ violatæ, aut territus hominum frequentia, & loci celebritate, quia nuſquam in tanta doctiſsimorum hominum multitudine antea verſatus eſt, ſe occultat, vel (quod verius eſt) timet, ne illius ſententia de Gymnaſiarcho deligēdo explodatur; in quo ornando multos ipſe dies noctesq́; conſumpſit. Sed heus tu quid hic ſtas capite obuoluto? inſidiator certè es, niſi fallor. At ò Decuriones non benè noſtis hunc hominem. Quis ſit, audite. Ductor hic certè eſt maximæ virtutis, atq; vt audiui machinis benè munitus, fundis, & ſagittis onuſtus, falcibus præacutis armatus huc venit vt vallum, atq; aggerem noſtrum eruat, Trabes præcidat, munitiones oppugnet, copias habet in vallibus, montibus ſeptis non procul hinc deliteſcentes cum paruo equitatu. Hac ego re intellecta, mihiq́; per exploratores delata, caſtra luſtraui, ibiq; ſubſidia poſui, vbi loci inuadendi maius periculum impendere videretur.

tur. Ad reliquas portas decurri, paruoq́; ibi præſidio relicto, ad prætoriam conſtiti cum toto exercitu. Sed antequam aciem educam, placet quædam præmittere, quæ vt video optimi Decuriones attentiſſimè audituri ſedetis. Non enim declinato, deflexoq́; capite in tanta re conniuentes obdormiſcitis, ſed erecti, viribus animi refectis, oculis vigilantibus, me tanquam nouum dicendi genus exorſurum, vt audiatis, animorũ attentionem renouaſtis. Ego quam breuiſſimè potero, totum negotium conficiam. Prius tamen intelligite, arctiſſimam mihi cum hoc homine, quo cum nunc congredior, neceſſitudinem interceſiſſe. At, quorſum hæc animorum tàm repentè immutatio facta ſit, admirantur omnes, qui in hanc curiam, atque in has publici conſilij ſacras ædes conuenerunt nos audituri. Dij, deæq́; omnes hi exclamant, huius tàm nefarij facinoris autorem perdant. Ego conſcientiam animi mei teſtor ciues ornatiſſimi, me nihil vnquam de hoc homine loquutum fuiſſe, niſi quòd huius nomine, ſuauiſſimis moribus, & amicitia noſtra digniſſimum exiſtimarem. Hoc certè vt video, nutu & tu confirmas. Quod ſi aliqui bilingues nobis inuidentes ſecus tibi retuliſſent, id tu non credere debueras, qui fidem meam optimè noras, id quod firmiſſimos, & cordatos amicos feciſſe tum legimus, cum aliquis diſcordiarum amator operam daret, vt amicum nouo genere nugarum ab altero diſſociaret, vel ſi id etiam credideras, cogimur enim aliquando vel iuſiurando, vel crebris verbis fidem habere, prudentiæ tuæ erat id ad me deferre. Qua in re ſi peccaſſem, quod ab animo meo ſemper alieniſſimũ fuit, me tibi expurgaſſem, dixiſſesq́; ipſe nec prece, nec precio, nec gratia, vt dicebat ille in Senatu Romano fluctuante Republica ob nouos cõiuratos, à via recta bonũ virum deduci oportere.

Si te non fugit Platonicū illud, ductu Dei conciliatoris amicos homines fieri, cur tā facilè ab amicitia refugis? At dices fortaſſe Platonicum aliud extare, amicum eſſe non poſſe, niſi habeat; à quo redametur. Ego verò te ſemper vnicè dilexi, diligamq́ue, & ſi tu me oderis: virtus enim tua & à me amatur, & meritò laudatur, neq; verò ità te vnquam amaui, vt aliquando eſſem oſurus, nam id vt Scipio exiſtimabat, hominis impuri, & ambitioſi eſt, omniaq́ue ad libidinem ſuam reuocantis. Scito me hanc rem magis honoris tui gratia diſputare, quàm vt apud hos æquiſſimos iudices me ipſum defendam. Purus enim & incorruptus animus rectè factorum, dictorumq; conſcientia fretus defenſionem non quærit. Nollem te tàm facilè amare, amicosq; nouos veteribus tuis anteferre, quorum enim fidem probaueras, amorem multis in rebus cognoueras, conſuetudinem adamaueras, familiaritatem, multorumq; annorum cōmercium non reſpueras, quibus cum ſeria, & iocoſa contuleras, quæ firmiſſima ſunt amicitiæ fundamenta, hos te nulla accedente cauſa deſerere, negligere, odiſſe, id nè obſecrò eſt hominis fidem humanitatem, Deiq́ue cultum maximè profitentis? Cur tàm cito tanta vitæ cōmoda euanuerunt, & ad nihilum reciderunt? Dic obſecrò ſi aliquis violatæ fidei maculis aſperſus in hanc lucem prodiret, nonnè horum omniū conſenſu ex his ſanctiſſimis parietibus extrudendus, atq; ad Barbaras gentes, vbi fœditatem animi ſui turpificati cum immaniſſimis gentibus aleret, ac foueret amandandus eſſet? Huc antequā aliquis impurus deſcendat, illi omnes maculæ eluendę ſunt. Ego certè à Dijs immortalibus priuſquā huc me referrem, precatus ſum, vt nihil dicerem, quod ab officio meo abhorreret. Locus enim hic, quem videmus, ſedes eſt ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilij

ſilij publici, caput vrbis, ara ſociorum, portus omnium bonorum. Hic mitiſſimæ, non concitatæ orationes habentur. Hic puriſſimi ſermones audiuntur. Hic in illum omnium conuertuntur oculi, qui ea dicit, quæ neminem ledunt. Intimi familiares noſtri præ dolore, totam orationem tuam legere nequiuerunt. Coactiq; ſunt ferè ſuſpirijs, & ſingultibus è pectore promanantibus illam abijcere, & illud ſæpenumero dicere. O fides alma apta pennis, & iuſiurandũ Iouis. Noſti Cætera. At ea te fortaſſe re defendis. Quòd non inter mediocres tantum, ſed ſummos etiam viros acerrimæ interdũ fuerunt contentiones. Quis enim neſcit Ciceronem cũ Catone ſuo contendiſſe? Cum Pompeio quem tamen vita chariorem habebat, ſæpe altercatum? Ariſtotilem nec Platoni ſuo peperciſſe? Quid mirum dices, ſi & ipſe relictis veteribus amicis ad alium me contuli? Sic nè cũ vno hoc homine conſenſi, vt à cæteris maximè diſſentirem? At vide quid dicas. Nam qua tu lege nouos tibi potes amicos comparare, vt veteres deſeras? quid vè cõtentiones memoras inter ſummos illos viros, quibus tamen nulla animorum eſt facta diſiunctio? In fide ſi perſtitiſſes, poteras ſaluis amicitiæ legibus, & tu eum amare, quem nos amamus, & de qua re viſum fuiſſet nobiſcum bono animo decertare. Dices hàc tua alienatione factum eſſe, vt quem omnibus præponis hunc omnes agnoſcant? At erat hic ſua virtute antea cognitus, quòd ſi oratione tua hunc factum eſſe clariorem dixeris, vide nè de Gymnaſiarchi tui ſplendore, non parum detrahas. Ego vero rectè gloriabor, orationem illam quam prius edidi, tibi quo tuam pareres, quiddam infudiſſe. Nam id à me Socratis more factum eſt, quem nouimus, quos ſteriles acceperat maximè fœcundos reddidiſſe. Certè niſi obſtetricum more medicamina

adhi-

adhibuiſſem, nunquam tàm ègregium partum edidiſſes. Vel enim penitus ſterilis fuiſſes, vel abortus tuos omnes deploraſſent. Vides quantũ obſtetrici huic tuæ debeas. Alia mihi ſunt remedia, quibus ſi quando conceperis, & ſtomachus ad nauſeam illam; qua mulieres, & præſertim nouiciæ laborare ſolent, concitabitur, præſto tibi eſſe poſſim. Nollem enim tàm elegantes fœtus deperire. Sed iam aciem educamus, nam mihi paulò altius tecum certamen ẽſt ineundum, quam cum priori initum ſit, qui vix ſuperatus, armis abiectis, hanc lucem exoſus, abijt mœſtiſſimo vultu ex hoc frequentiſſimo loco incomitatus. Euaſit, erupit, exceſſit Decuriones, qui mecum dudũ promulgationis ſuæ ſuffragatores ad digitos dinumerans concertabat, qui cũ de tribus rebus ſe dicturum polliceretur, verebar, nè ob aliquẽ nouum tumultum, & belli procellam deligendus aliquis Dux eſſet, quem iuuentus Cremonenſis armata, vel contra immaniſſimos Turcas, vel fœdifragum aliquem Mitridatem ſequeretur. Sed audito ſolum claſſico, furor hic quieuit. In viam redeat tandem oratio noſtra. Hic verò quo cum nunc conſerendæ ſunt manus, ille eſt (hominem melius agnoſcite,) qui quia prudens nimirum vir eſt, vos admonuit, vt diligenter caueatis, nè paternam illam & auitam gloriam veſtram turpiter amittatis, ne vè finitimorum ciuitatibus, quas ſemper optimarum artium laude ſuperaſtis, nunc turpiter (ſi hoc verbum inculcat) ceſſiſſe videamini tantulæ pecuniæ cupiditate. Audiſtis hominem vos ita alloquentem, atq; ne id accideret, vos ornantem, vt Gymnaſiarchi conducendi conſuetudinem non ommitteretis. Equidem non tam rideo huius verbi granditatem, quod iſti millies repetunt, quam ipſorum inſolentiam demiror, vel potius temeritatem, qui magnam per vos maculam

culam huic vrbi delatum iri clamitant, vociferantur, niſi ſuum huic Gymnaſiarchum conduxeritis. Hui quàm ſcire cupio, quæ nam ſit in hoc principe ſuo dignitas, & amplitudo quem pecuniæ gratia conduci omninò volunt. O' Principem conductum, ò principis operas venales, ò principem pecuniæ mancipatum. Sed mucrones iſtos, vt videtis in vos ipſos deſtrictos retundamus. Vos enim patriam veſtram ſic omni tempore dilexiſtis, ſic laudis, ac gloriæ appetentes fuiſtis, vt vnum, atque alterum ferè ſemper in hac ciuitate eſſe volueritis, qui liberos veſtros eodem tempore publicè erudirent, reique literariæ cum dignitate præeſſent. Superioribus annis habuit hæc ciuitas Somentiũ, & Armenzonum doctiſsimos ambos viros publico ſtipendio eodem tempore decoratos. Quibus ſucceſſerunt Lugarus, & Concorregius, qui & ipſi ſummi viri publico eodem munere cohoneſtati fuerunt. At cum è rebus humanis Lugarus exceſſiſſet ſapientiſſimi patres noſtri, qui in tam ampla ciuitate non vno tantum ſummi nominis præceptore contenti erant, Gaietanum è Pattauio vbi maxima cum dignitate, & nominis huius ciuitatis fama publice legebat, quamprimum euocauerunt, cumq; in locum demortui ſuffectum publico decreto cohoneſtauerunt. Quòd ſi docendi munus vni tantum demandauerunt Maiores noſtri, atque hanc tu non nuper inſtitutam, ſed iam inueteratam conſuetudinem dicis, quid cauſæ tum erat, cur Gaietanum accirent, cum Cõcorregius ea tempeſtate vir maximus literariæ prouinciæ præeſſet? Priuilegium id nè quoddam interpretaberis, dicesq; id potentiſſimorum hominum rogatu, an vetere potius inſtituto fuiſſe factum? Vides quo te paulatim deducam, Gaietano qui deinde ſucceſſerint literatiſſimi viri, quauè nominis ſui laude publicũ hoc docendi

cendi munus obierint, nemo eſt qui neſciat. Fuerunt hi memoria noſtra, atque hæc ciuitas ab inſtituto ſuo minimè diſcedens eos liberaliſſimè tractauit. Tu qui in lucem nuper editus es, eos profectò viros minimè fortaſſe noſti. At ſi medicos huius ciuitatis optimos, quorum indiges curatione, ſi iuriſconſultos clariſſimos, quorum conſilio, ac prudentia ſapere potes, adieris, conſulueris, hi qui ex eorum ſchola prodiere homines tibi illos ante oculos ponent, & quam in animis infixã habent præceptorum ſuorum ſpeciem effingent, atque formabũt. Quòd ſi priſcis etiam temporibus quid actũ ſit ſcire volueris quære ex hac vrbe, quæ ciuiũ omnium de ſe optimè meritorum memoriam cum ſumma fide inuiolate ſemper ſeruauit? Profectò inuenies ab incunabulis literarum huius vrbis per omnes ætates perpetua quadam ſerie id fuiſſe obſeruatũ, vt in ciuitate plures eſſent, quàm tu contendis, qui in humanioribus his ſtudijs adoleſcentes exercerent. Hanc verò Cremonenſium laudem, quæ latè longèq; diffunditur, ſic tu contrahis; atq; in anguſtum deducis? & ſi Gymnaſiarchum tuum non conduxerint, ſic obſtrepis immani terrore verborum. Diſſeminabunt exterarum ciuitatum adoleſcentes, Cremonenſes à maioribus ſuis degeneraſſe, Cremonenſes tanquam in media Barbaria conſtitutos literas, præceptores odiſſe. Has, atq; alias penè Aniles ineptias fingis. Videsnè in quo deliqueris, quamuè aduerſus generoſos magniq; animi viros, hæc dixeris? Quid ſi Magnifici ac glorioſi ciues mei omnia ſemper ad gloriã ſplendoremq; reuocantes, Gymnaſij non principem vnum (vt tu vis) ſed quod ſemper antea factum eſt, plures elegerint, nonnè priuſquam tibi quicquam mali contingat, expiationem illam Steſicori adhibebis? Non verus ille ſermo fuit, Non Cremonen-

ſes

ſes degenerarunt, Non præceptores oderunt, ſunt literarum amantiſsimi, ſunt maiorum ſuorum obſeruantiſſimi. Sed ſi vnum tantũ dixeris aliquo tempore fuiſſe, qui publicè iuuentutem doceret, id & nos fatemur, ſed ea lege, vt & tú illud addas præceptorum id inopia factum eſſe, & quod ſemel accidit, id ne cenſeas in conſuetudinem vllam referendum? Muſonius noſter quo tempore ludũ aperuerit, cuiuè in re literaria ſucceſſerit, quære ex hoc vno, cui tu tantum tribuis. Columba hæc ipſa, quæ tibi inſtar numinis eſt argentea, è cuiuſnam gremio tam ſublime euolauit? Socratis ſomnium tibi videor referre? At rem veram narro. Vides Alitem oliuæ ſurculum cum aureis litteris in ore geſtantem? Lege ſi potes. Vereor enim nè ſplendor ille oleæ circũfuſus tibi aciem perſtringat. Hieronymum Oliuam hæc virum ſanctiſſimum circumfert, omnibus oſtendit. Is poſt Gaietanum vna cum Tarteſio literas publicè profeſſus eſt, fuitq; ex ea re à patribus illis ampliſſimis, qui tunc curiæ præerant, hominemq; obſeruabant, immunitate donatus. Erat hic altero pede captus, & debilis, ſed quod de Ariſtone legimus Lyconem venuſtè dixiſſe, de hoc ipſo dixere viri doctiſſimi. Claudum præcurrere valentem pedibus. Dij quem hominem huic ciuitati, quæ vos ſemper coluit, ſanctèq; venerata eſt, quem inquam hominem inuidiſtis? qua literarum elegantia, qua docendi peritia, qua morum ſuauitate, quibus vitæ ſanctitatis exemplis inſignem, eximium, gratum omnibus, atq; huic patriæ admodũ ſalutarem? Fuit hic verè Oliua illa fructifera in domo Domini. Date mihi hanc veniam, vt his verbis dè religioſiſſimo homine apud vos loquar, quæ cum vberrimos hic fructus tuliſſet, eam cœlites ex hoc ſolo ad fœliciores campos tranſtulere. In huius, quem audiſti literatiſſimi viri locum repoſitus

fuit, deinde Muſonius, qui ſic illius memoria oblectabatur, vt in ea ipſa ſella ſedere voluerit, in qua vir ille maximus maxima cum omnium admiratione, quot annos qui eum legentem audiebant, conſederat. Quid tu aduerſus patrium morem hunc dicis? Quid murmuras? Quid frontem contrahis? Habesnè adminicula vlla quibus Gymnaſiarchum hunc tuũ ſuſtentes? Vides tua caſtra vna vix facta excurſione à ſiniſtro cornu conuulſa, iam ad dextrum aciem vertamus. Dicis ſummos illos viros, à quibus paulò ante ſum exorſus, non eodem tempore iuuentutẽ noſtram inſtituiſſe, ſed diuerſis eos temporibus etiam vixiſſe. Vicimus cõmilitones optimi. Videte quo hic confugiat. Accenſos opponit. Iam iam latebras quæret. Ego verò ſi vellem quod ipſe dicis negare id certè poſſem, teſtibusq; tecum agerem, ſed vt in re bellica ſentias, quam parum valeas, ſtatui telum hoc tuum leuiſsimum grauiore manu in te ipſum retorquere, tibiq; in pectus infigere. Nam ſi ſummi illi viri diuerſis (vt ipſe dicis) fuere temporibus, ſinguliq; nunquam literariæ prouinciæ præfuere, ſed habuit vnus quiſq; collegam alterum alteri ſuccedentem, atq; id te omninò fateri neceſſe eſt, alioquin exploderis ex hac curia & exibilaberis, nonnè vides ex ea re, quæ apud nos iam in multos annos propagata conſuetudo peruenerit? Atq; ſi excors non es, nonnè perſpicis quale tu tuo hoc Gymnaſiarcho monſtrum in ciuitatem noſtram inducas patrijs, auitisq; legibus quàm maximè pernicioſum? Hi ſunt Decuriones optimi boni illi viri, qui cum veſtra ſimultatibus cõmoda præferre, ſeq; huius vrbis amãtiſſimos verbis oſtentent, re tamen ipſa vobis inſidiantur, nouos quippè ritus inducere, veteres tollere, dignitatemq; illam veſtram euertere conantur, quæ vos lectiſſimorum hoc numero præceptorum finitimas

vrbes longè anteitis. Hos ampleɛtimini, hos fouete, horum ſententiæ ſubſcribite. Ridetis video fucatam hanc hominum faciem, qui vos pigmentis, ac fallatijs his ſuis prenſare contendunt. Sed ad pugnam redeamus. Dares (vt video) libenter iam manus, traderesq; tabulas deditionis, & iurares quæ vellem te omnia facturum. At mori potius mihi certum eſt quam tecum paciſci, qui tàm citò à fide defeceris, temereq; in res noſtras irrueris. Quæris quo tempore hinc Muſonius abijt magnis in Epidaurum pollicitationibus accerſitus, cur non in eius locũ fuerit ſtatim alter ſuffectus, cur vè Cremonenſes Tarteſio vita functo plures non elegerint. Hi tui ſunt (opinor) conatus maximi, tua hæc ænea tormenta, quibus munitiones noſtras putas te poſſe perrumpere. Sed iam cognoſce quàm paruo infirmoq; robori confidas. De diſceſſu Muſonij hoc certè ſcio, ſciunt & omnes, qui tunc erant, Cremonenſes meos, qui hominem maximè dilexerant, fouerant, & quibuſcunq; potuerant rebus ſemper auxerant, nè ille è patria diſcederet omni ſtudio contendiſſe. Quid cum primum audiſſent illum ſe in viam dediſſe, nonnè ſingulos angiportus, domorum angulos, inuſitatas vias indagarunt? Tritas non reliquerunt, aditusq; omnes obſeruarunt, vt hominem inuenirent, cathenisq; aureis illum conſtringerent, atq; in patria retinerent? At iam euolauerat. Huic tu dicis neminem ſucceſſiſſe. Non deerant verò qui ſuccederent, ſi non pari doctrina, ingenioque; At non diſſimili in patriam charitate. Sed debebatur locus ille Muſonio, quem tanti viri nominis fama complebat. Hic honor vni Muſonio fuerat deferendus, vt quam diu viueret, poſſetq; ad ſuos reuerti, locus ille ſibi integer conſeruaretur. Nam neq; deſperandum erat, quin aſſiduis ciuium ſuorum efflagitationibus euocatus

maxima animi alacritate in patriam remearet. Interim vigebat Tarteſij Gymnaſium, immò verò vigebant in eo ſexcenta Gymnaſia doctiſſimis viris referta, qui emori potius optaſſent, quàm à Tarteſio diſcedere. Nam etſi diceret ſenex ille ſanctiſſimus, idq; frequentiſſimè repeteret ſe non moleſtè laturum, ſi quis ex confertiſſimo illo examine euolaſſet, nouas ſedes poſiturus, nemo tamen inuentus fuit, qui illo viuente ſecederet. Sic illũ obſeruabant, ſic illius doctrina alebantur, ſic comitate delectabantur. Erat enim in eo homine nõ minus eruditio perfecta, quàm mira iucunditas. Solebatque Alumnos ſuos aliquando in ſella ſua reponere, atq; eos publicè legentes audiebat, quotq; hi erant, quos audiebat, totidem gloriabatur ſe Tarteſios relicturum. Hos vigiliarum, & laborum ſuorum, in quibus conſenuerat, ſuauiſſimos fructus eſſe dicebat, quibus maximè gauderet, libensq; migraret è vita cum tot, tantosq; præceptores peperiſſet, quos dignitatis ſuæ ſuperſtites fore videbat. Amiſſo Tarteſio, vel vt rectius dixerim in cœlum ſublato, Muſonius non, vt Anacreon Teius ille miſſa quinquaginta remorum Naui, ſed totius, vt ciuis optatiſſimus in quo poſitæ erant noſtræ ſpes omnes patriæ lachrymis accerſitus ad nos redijt. Atq; hic ſi vixiſſet, quis ex Tarteſiano illo examine in eius ſinum libens non euolaſſet? in eoq; ſua omnia non poſuiſſet, ac ſtatim conſecraſſet? Nec cauſa erat vlla, cur Cremonenſes reſtituto ſibi Muſonio alios in Academiam legerent. Erat enim vnus inſtar omnium huic ciuitati. Sed proh Deum, atq; hominum fidem, quæ nobis repentè calamitas exorta eſt? Nam vix dum hominem videramus, cum ille ab oculis noſtris publico fatu ſubtractus eſt. In cuius tanti viri iactura hæc ciuitas ea ſe conſolatione ſuſtentat. Quod Tarteſiani ludos aperuere. Quo-

rum virtus, & induſtria magno iam theatro ſpectata eſt. Hos Decuriones viri grauiſſimi, hos ciues vniuerſi probauerunt, his liberos ſuos cōmendarunt. Hos exteræ gentes adierunt, filios ſibi cariſſimos in horum contubernia tradiderunt. Domumq; redeuntes teſtati ſunt, vrbem Cremonam eſſe optimorum præceptorum procreatricem quandam, & quaſi parentem fœtus ſemper meliores parituram. Quid tu hos non publicè electos dices, quos tota iam ciuitas approbauit? Ingredere ſi libet, horū Gymnaſia, videbis hic puerulos non decem, aut viginti, ſed ciuium prolem maximè copioſam, iuuenes ſexcentos honeſtiſſimos, non parentum modò, ſed totius vrbis imaginem præ ſe ferentes. Quæ quamuis ita ſint, tu tamen clamitas Gymnaſiarchiam eſſe in ciuitate conſtituendam; & vt vnum erigas, alios ſtudes deprimere. Sed res agitur apud æquiſſimos iudices, qui vt ſpero neutiquam ſua laude ſpoliari patientur eos, qui maximè omnium pro patria laborarunt, multoq; magis in dies laborant. Sed vos, qui ſeorſum hactenus humaniores in hac vrbe literas profeſſi eſtis, florentesq; ludos habuiſtis, huc adeſte colligite ſarcinas, cōponite libros, in locum, quem hic imperat mecum conuenite. Ne quæſo ſitis tam memores dignitatis veſtrę, tàm amantes honoris, tàm cupidi famæ. Adſunt, vt vides, dicto audientes, ſed vbi nam eſt locus tàm amplus, qui numerū hunc capere poſſit, libenter enim hic omnes reſidebunt obliti priſtinæ dignitatis ſuæ? Vbi nam eſt nomenclator, qui ſingulis locum aſſignet? Nullos volumus, ais, omnes recedite. Noſtri contenti ſumus. Hæc iniquo animo agis; quænam erit patriæ dignitas ſi in publico Gymnaſio, cui vos tantum vnum præeſſe vultis, vaſta hæc fuerit ſolitudo? Maieſtatem certè minuis huius vrbis, atque id fortaſſe non vides, qui contra bonum

publi-

publicum, vetus inſtitutum, patrium Decus, populi dignitatem agis. Verum huic ignoſcite Decuriones, imprudens id agit, bonus alioquin vir eſt, & licet vox illa Caſalmaior Barbarum quid ſonet, eſt tamen perhumanus, & de patria noſtra bene meretur. Quid? Papiæ, Ferrariæ, Bononiæ, vnus nè tantum in his locis legum interpres, ad quem iuuenes confluant iuris intelligentiæ operam nauantes? Plures inquis. Quid Cremonæ? quo tot alienigenæ diſcendi cauſa conueniunt, noſtrates innumeri iuuenes in literis aluntur, atque in auita eruditione retinentur? Quid hic ſtatuendum putas? Cum populus Romanus exiguus eſſet, vnum tantum prætor erat, qui ciuibus, peregrinisq; iura daret. Mox aucto ciuium numero, & in dies magis creſcente duo prætores creati ſunt, Vrbanus ſcilicet, & Peregrinus, ambo ciues Romani, nè illorum exemplo dicas, & ego huic Gymnaſio peregrinus præficiar. Quid hic taces? Quo fugis? Elabetur ciues optimi, quærit per crura veſtra latibula, totum ſe togis veſtris inuoluit. Recedit hic è pugna. Vicimus accurrite Comilitones, caſtra diripite. At non cedo, inquis adhuc ſunt alia mihi tecum agenda. Quid igitur fugis? Quid paues? age conatus tuos, iam omnes experiamur. Sed vt aperto Marte contendamus, qui mos proprius eſt Cremonenſiũ, non alia, quàm gloriæ cauſa dimicantiũ, audi, quid illa ſibi velit oratio, quam tu ſub obſcuram dicis. Ego tot cenſui ſeligendos, erige aures, & attende, quid dicam, ego inquam cenſui tot tantosq; ſeligendos, quot quantiq; eſſent, qui auderent in aciem, atque in ſolem ſe referre, ideſt qui non minus animo valerent, quàm literis, & docendi peritia præſtarent. Quod ſi ſcire vis, vnde loqui, ita didicerim habeo adoleſcentes domi complures, qui tibi cum volueris hanc, atq;

atque aliàs loquendi formas exponent, quas apud optimos dicendi magiſtros obſeruarunt, tu verò ſi plures eligantur, quàm magnus ſit ex ea re faciendus ſumptus oſtendis hoc modo. Tot erunt inquis, qui ad hanc prouinciam ſe idoneos futuros exiſtimabunt, vt vel paululū quid in ſingulos erogādum ſit, vel grauiori onere, quàm conſueuit ciuitas prematur. Atqui ſi paululum quid in ſingulos erogabitur, qui nam erit ſumptus iſte, quem tu contendis fore longè maiorem, quàm nos putamus? Immò verò, quia nulla maior quam quæ antea fuerit, ex ea re ſequetur plures idcirco iuuentuti noſtræ præficiendos puto, quæ in eum iam numerum creuit, ac propagata eſt, vt nec in vnum locum compelli velit, nec ſi tantū vnum ſit nacta moderatorem ſatis commodè regi poſſit. Vides quàm facile argumentationem tuam illam inuertam. At hæc dicis minuſcula erogatio putanda eſt ab huiuſce reipublicæ dignitate aliena. Nunc quandò omiſſo ſumptu, ad patriæ meæ, dignitatem me reuocas, quam tu initio ſpectare debueras. Dic ſi Cremonenſes meos amàs, cum in hanc ciuitatem venerint hi, qui liberos ſuos huc ad literas adiſcendas deducunt, præceptoresque duos viderint, tres vè, aut plures publicè docentes, atque hos audierint eſſe Cremonenſes ciues nulla mercede conductos, ſed gratuitam omnes pietatem patriæ præſtantes, nonnè ea fuerit Cremonenſium maxima laus? Nonnè ciuitatis noſtræ ſplendor ille maximus? Quid tu ad hæc dicis? Paululum illud, vt video, te torquet; Magisq; honorificum huic Curiæ fore putas nulla præceptoribus ſtipendia decerni, quàm pereXiguum quiddam in ſingulos erogari. Sed quot erunt, dic quæſo hi, quibus erit publicè pecunia pendenda? Quatuor numera, ſi potes, qui poſt obitum Tarteſij, auſi ſint ludos aperire. Ad Piſtorem primum ipſe diuerteras,

ras, atq; in priſtinum ferè te detruſeras, ſed immutato demum conſilio, cum ferè ſolus eſſes ac, quàm maximæ curæ te perſequerentur, ex eo loco euaſiſti, atque in caſtra Gymnaſiarchi tui confugiſti. Profer ſyluam iſtam, quam dicis immenſam, ego nullam aliam, quàm Lyſidis Pitagorei Syluam videre videor, in qua latent Belluæ illæ ingentes, quæ miſeras hominum mentes dilacerant, bonaq; omnia depopulantur. Hanc ſi qua eſt in præcordijs noſtris, ferro, igniq;, & omni machinarum genere euertamus, atque excidamus. Nam cum denſi illi vepres abfuerint, qui omnem animi cultum impediunt, cupiditate primum ſublata partu fœcundiſſima cæterisque deinde bellujs mactatis, tum ſemen optimum in hoc ſolo ſpargentes ſperabimus, optimos quoſque atque vberrimos fructus, ad nos inde peruẽturos. Tum nulla de ſtipendio lis erit, nullæque contentiones, tum tu minimè clamabis. O Fruſtra ſuſcepti noſtri labores, ò vanæ cogitationes noſtræ. Quanquam quid erat, quod vocem illam parientis inſtar emitteres? Sic vè eiulares? Quis te hebetem inexercitatumque, ac literarum expertem dixit? Atqui ego tè tam doctum prædico, quam id quod maius eſt expertum ſemper iudicaui. Nec cum Tarteſij Academiam tripartitam eſſe dicerem, te ipſum excepi, ſed ſub principe tuo te poſui, nec te ſolum, qui ſceptrum eius interdum geris, ſed & comitatũ illius omnem. Nam qualem principem eſſe ſcio tales vos reliquos illius aſſectatores eſſe crediderim. Quid tu volebas? æquarinè Principi tuo? Atque ad principatum etiam vocari? At quam tu Aulam habes? Quã ſuppellectilem? Quos aſſeclas? Quem comitatum? Principatum inquis, nullum peto, ſed Cremonenſibus teſtatum eſſe volo extare nonnullos in hac vrbe etiam, qui ludos aperire, & ſi nequaquam auſi ſunt, doceant

 tamen,

tamen, valeantq; ingenio, ac de pueris bene mereantur. Age, rem hanc ita componamus. Aſcende præco in turrim noſtram, conuoca ciues omnes, magna voce pronuncia eſſe homines duos in ciuitate forma religioſos, qui orationem illam fecerunt pro Gymnaſiarcho deligendo literatorum omnium literatiſſimos. Hoc nè tibi præconium placet? Sentio quid velis. I præco, ac maiori voce clama, eſſe hominem hunc vnum in ciuitate literatum, literatiſſimis quibuſcunq; longè literatiorem quot ſunt, quotq; alijs erunt in annis. Sed iam ad id vnde digreſſi ſumus reuertamur. Dicis ſi in ſententiam meam eatur, fore, vt vel ſumptus fiat longè maior, quàm antea factus ſit, vel vt tenuior vnicuiq; pecunia, quàm tantam hanc ciuitatem deceat, publicè decernatur, quorum ne alterum contingat, vnum omninò ſuades deligendum eſſe. Hac vna re niteris, hanc mechinam adhibes, qua putas cauſam noſtram, vel totius vrbis dignitatem potius poſſe labefactari. Ego verò Cremonenſes meos noui ea eſſe ergà filios ſuos beneuolentia, vt in his erudiendis ſumptibus vllis omninò nõ parcant; nullãq; in rem aliam, quàm in eos optimè inſtituendos acrius incumbant. Sunt filij res omnium chariſſimæ, atque horum cauſa libenti animo pecunias erogamus, pericula ſubimus, labores nullos reſpuimus. Et quo meliores homines ſumus, eo magis filios diligimus, atq; eorum curam ſuſcipimus. Quippe qui ex eo, quod ſimiles nobis relinquimus, immortalitatẽ aſſequi poſſe ſperamus. Quid Demodocus ille apud Platonem, cum Socrati filium commendaret, non nè ſic eum alloquebatur? Ego ò Socrates me, meaq; omnia tibi libentiſſime trado ſi Theagen ſuſceperis, eiq; pro viribus beneferceris. Quid tu ſumptus iſtos æſtimas in hac ciuitate, in qua nihil certè ciuium animos, niſi id ſit excelſum magnifi-

cumque delectat? Quid impenſas times, quibus ea poſſeſſionum genera comparantur, quę non grandinem, non hominū vim, non ipſum deniq; Iouem extimeſcūt? Quæ res dic obſecro in ciuitate vlla magis ſalubris, ac neceſſaria, quam liberum inſtitutio? Nam ſi puerilem hanc ſementem neglexerimus, totus neceſſe eſt, vt ſit inanis Reipublicæ cultus. Hæc ſunt præclara illa ſemina, ex quibus optimæ ciuitates oriuntur, quæ cum parentes complexu ſuo tepefacta diffuderint, tum curam longè acriorem diligentiamq; deſiderant. Vt enim plantæ; atq; arbores paruo negotio ſeruntur, at cum hæ vixerint, tum varius illarum cultus eſt ac laborioſus, ſic facilis eſt filiorum ſatio. Res verò plena timoris, & curarum eſt educatio ipſa. In qua niſi vos præceptores adiuuerint, cogitate Cremonenſes quid vos facere oporteat, vobis vè quantopere ſit laborandum, vt ciues optimos, quorum ſemper fœcunda parens fuit, huic patriæ relinquatis. Nā quales fuerint filij veſtri, talis aliquandò erit reipub. gubernatio. Sed videte quæſo optimi Decuriones hominis huius inconſtantiam, qui quamuis plures eligi nolit, ne id fortaſſe contingat, quod à dignitate veſtra alienum putat, vt paruulam neceſſe ſit in ſingulos ſtipem erogari, vnū tamen eligit, eiq; quatuor tantum ſeſtertios, (ſic enim lego) conſtituit. Hui tam paululū in tāta annonæ caritate, atq; in dies ea ingraueſcente? Vnus ergo ſi in tuam ſententiam hi ſanctiſſimi patres diſceſſerint, denis tantum aſſibus publicè hac in ciuitate leget. Quo more? quouè inſtituto maiorum? qua nam Gymnaſiarchi tui exiſtimatione? Quauè vrbis huius dignitate? At hic ſe erigit, capiteq; ac manibus neſcio quid ſignificat. Rem teneo. Seſtertia legit, hoc modo Hs. ſola quatuor erogentur. Planius, profectò nunc loquitur. Sed nos hominis verba ambigue loquentis

tis in aliam partem, atq; ipſe nūc accipit interpretemur ſitq; in eo culpa, qui non apertè, ſed per notas, quas malè nouerat, loqui maluerit. Quid ſi decretum concipiatur his verbis? Gymnaſiarchus is ſit in hac vrbe, qui ita ſcripſit. Hs. SALTEM QVATVOR EROGENTVR, atq; hic ſtipem habeat, quam petit. Credisnè, cum tabellam tuam porrexeris, tibi pluſquam Denarium vnum numeratum iri? Erras bone vir, ſi quatuor millia ſeſtertiúm te habiturum putas. Nimirum tua hæc obſcura pactio tibi fraudi fuerit, qui cum id facere poſſes, legem non apertius conſcripſeris. Sed de hoc ſatis. Ego qui rem omnem ad curiam hanc ſanctiſſimam reijcio, hoc omnibus volo eſſe teſtatum, me ea ſemper fuiſſe ſententia, vt patriæ primùm dignitati conſuleretur, pluresq; ex veteri inſtituto eligerentur, atq; hi deinde quos ciuitas elegiſſet, eſſent ciuium ſuorum beneuolentia contenti. An non ſtipendium ſatis amplum hæc fuerint? Totius vrbis de illorum virtute iudicium, publica dignitas, patriæ cōmoda munerum immunitas, ciuium amor eximius. Hæc profectò tantam vim habent, vt ſi Drachmam vnam his rebus admiſtam in alteram lancem impoſueris, in alteram maximos quoſq; nummorum aceruos, tantum illa propendeat, vt non ſolum pecuniam hanc deprimat ingentem, ſed & ſi terras omnes, ac maria addideris, idē ſit omnino factura. Quare faceſſe hinc cum hac tua cupiditate, & quando ex caſtro maiore ortum habes, cogita quid tu dignum nobiliſſimo illo municipio præſtare poſſis. Hic non de liberis veſtris vni tantum in diſciplinam tradendis, ſed de ſtipendijs Gymnaſiarcho ſuo decernendis vobiſcum agit viri Cremonenſes. Nā & ſi prædicat palàm, vni ſe huius vrbis vtilitati, atq; exiſtimationi conſulere, paternamq;, & auitam gloriam veſtram

ſæpius repetit, nihil tamen aliud agit, nihil curat, quàm vt pecuniam is habeat, cui totus venijt, & ſe ſe conſilio quo neſcio venditauit. Cauete nè vos hæc verſuti hominis ſpecies eludat. Hominem perſpicite etiam, atq; etiam. Orationem eius in manus ſumite: Excutite ſingula verba, atq; in eius mentem penitus introſpicite. Videbitis hominem pecunijs toto animo inhiantem, exiguamq; (ſic ipſe ait) quando magnam ſperare non debet pro Gymnaſiarcho ſuo pecuniam ad morem mendici ſcutella quærentem. Quo fit, vt eos, qui prouinciam hanc publicè legendi præmio ſibi nullo propoſito ſuſcipere velint odio habeat, contemnat, & quod grauius eſt, imperitos, miſeros, inſanos, furentes appellet. Quam mala huius hominis mens? Quam malus animus? Hic eximiam aliorum in patriam hanc charitatem, inuidiam nuncupat, & quam vnam illi habent de vobis bene merendi curam, hanc ſic ipſe interpretatur, vt eſſe quandam inanis gloriæ cupiditatem putet. Dij boni, quibus aculeis viros hic veſtri amantiſſimos pungit. At hi vt ſunt boni viri, nunquam ab officio diſcedent, & iniurias omnes publicæ vtilitatis cauſa voluntaria quadam obliuione conterentes, ea fide, eaq; diligentia operas ſuas patriæ præſtabunt, vt cum plures fuerint eligendi, tum vos æquiſſimi Decuriones, quæ nam ſit illorum habenda ratio optimè cognoſcatis. Ego verò me non eximo, ex eorum numero, qui non minus à vobis amari cupiant, quàm ipſi liberis veſtris prodeſſe velint. Nam & ſi is minimè ſum, quem ſuum ille Gymnaſiarchum fingit, quotus enim quiſq; eſt, qui talis eſſe poſſit, qualis fortaſſe nemo vnquam fuit? eum tamen me eſſe fateor, atq; etiam profiteor, qui quò minus ingenio valeam, eò diligentia mea maiora me aſſequi poſſe confidam. Addo amorem

in

in patriam, qui me dies, ac noctes ſtimulat, cogit, impellit. Adde tu, ſi vis, etiam gloriæ cupiditatem, qua optimus quiſq; maxime ducitur. Nam ſi pecunia à te tantopere expetitur, quantò mihi gloria magis expetenda eſt? Quod ſi mercedem vllam quærimus, moriar, ſi quod glorioſum ſemper duxi, charum ſcilicet eſſe ciuibus, & de patria bene mereri, hoc ipſum laborum noſtrorum præmium maximum eſſe non puto. Eligant ciues mei quos velint, quid mihi vel illi tribuendum ſit ſtatuant ipſi. Hoc vnum peto, vt quando ego ab hinc iam multos annos patriæ huic meæ ſtudio, labore, vigilantia non deſum, nec ipſi ſua mihi beneuolentia, & benignitate deeſſe velint. Video te expaleſcere iam enim cognoſcis, quàm iniuſte agas, qui ita acerbe in eos inueheris, qui operas gratuitas patriæ pollicentur. Quanquam quis ille eſt, qui ſe audeat dicere gratuitò pro patria laborare, cui nec ſi vitam profundat, parem vnquam ſit gratiam relaturus? quid quæſo times? experire, quid adhuc poſſis, abijce retuſum hunc gladium, & telum quod vis acutius ſumito, manumq; inter nos denuo conſeramus, ſed cubito prius nares emungito. Fatemur ais, vtiliſſimam eſſe adoleſcentibus æmulationem, verum vbi maior eſſe poteſt, quam quo maior eorum numerus confluxerit? In vnum igitur locum cenſes cogendos eſſe omnes. At quanta ex ea re confuſio? Erit ea maxima turba, mihi crede, Academiæ totius interitus. Quod ſi Perſas apud Xenophontem legiſti, in forum, quod liberum vocabatur, pueros omnes compuliſſe, nonnè ex eodem cognouiſti duodecim eis principes præfuiſſe? Sic profectò exiſtimabant egregij illi liberorum educatores pueritiæ diſciplinam vni minimè committendam, ſed quod Tribus apud eos eſſent, tot etiam, qui pueros inſtituerent, ſinguloſq; optimos red-

derent,

derent, publicè eſſe conſtituendos. Tu vero in vnum locum conuocas omnes, & vni tantùm putas eos rectè credi, & committi poſſe? erras bone vir, & neſcis quàm magnum ſit onus hominem vnum diſcipulos curæ ſuæ creditos habere ſexcentos. Sed de æmulatione quid dicis? Negas nè, cum plures publicè fuerint electi, qui iuuentutis huius noſtræ curam habeant, ſingulos certatim operam daturos, vt plures, atq; hi inſtructiores è ludo ſuo iuuenes ad altiora ſtudia emittantur? Neſcis qui eaſdem artes ſeparatim tractant, & exercent, eos ſemper magna ſpectare, vt alius aliò præſtantior euadat? Dentur mihi aliqui fratres in eodem artis genere verſantes, ij quandiu ſimul artē ipſam exercuerint, raro inter ſe de operum præſtantia certabunt. Verum alius aliò ſe referat, mox ſuum quiſq; acuet ingenium, curabit vè quàm maximè poterit, vt inter reliquos ſemper excellat. Quæ res in bello militum animos magis accendit, quàm ordinum varietas viciſſim de laude certantium? Quæ vis maior eſſe poteſt in expugnanda vrbe, quàm Italorum manus Hiſpanis admiſta? Nam dum hi, atq; illi pro patriæ gloria dimicant, quæ non mutuo pericula ſubeunt? Quid aggredi non audent? Qua verò alacritate vnuſquiſq; magnorum exercituum animos gerens in muros aſcendit? vel potius in mortem ruit? Hæc nimirum mutua inter eos gloriæ cupiditas, vis eſt illa adamantina, quæ nè ſanguine quidem conteri poteſt. Sic profectò res ſe habet, vt aliena magis, quàm ſuorum virtus mentes, & hominum ſenſus moueat, acriusque eos ad res magnas gerendas impellat. An nondum id in te ipſo expertus es? Dic obſecro, cum aliquem ex meis diſcipulis vides tecum, vel cum alio in ſchola veſtra de re literaria certantem, qui te tùm ſtimulus concitat? Quæ tùm

ſentis

ſentis tibi calcaria admoueri? Moriar niſi vna illa congreſſio te magis excitet, quam mille veſtræ diſputationes anteà excitarint. Hunc ipſum verò congreſſum inter iuuenes varijs ſe in gymnasijs exercentes, ferrum illud eſſe crediderim, quod nonnulli ſapientiæ Symbolum eſſe dixerunt. Hæc ſunt præclara illa certamina, quæ iuuentutem noſtram languere non ſinent, cogentque eam, cum ſuos quiſque duces habuerit, quos ſequatur in laudis, & gloriæ cupiditate verſari. Quarè ſi æmulationem ipſam fateris adoleſcentium ingenijs plurimum prodeſſe, fatearis id quoque neceſſe eſt, eam ſub varijs præceptoribus longè magis pro futuram. Quid tu aliud eſſe putas, hanc quam ſuſcipimus liberorum inſtitutionem, quàm publicè vtilitatis venationem quandam? Quæ quia res magna eſt, atque multum habens laboris, plures ſunt ad eam ſocij, & venatores vocandi, plures inquam, ſi fieri poſſet, quàm olim principes conuenerint ad Aprum illum transfigendum, qui agros totamq; Regis Aetolorum Regionem vaſtabat. Sunt ſanè in hac ipſa venatione multæ locorum difficultates, & multa latibula. Nec tàm id timendum eſt, ne quod quæritur ab vno tantum poſſit venatore comprehendi, quàm illud prouidendum, ne cui venatio, hæc obtigerit, is deinde non ſine magna veſtra moleſtia oneris magnitudine ſuccumbat oppreſſus. Hoc erat, quod te ab initio cum difficilem illam deliberationem proponeres, ſpectare oportebat. Ego qui in primis vtilitatem ſequor, huius vrbis, & perpetuò curam hanc, & ſolicitudinem animo foueo, atque alo, nihil magis cupio, quàm vt plures conſtituantur, qui publicum docendi munus obeuntes, patriæ huic meæ prodeſſe poſſint. Horum hominum opera, & tu aliquandò Rempublicam noſtram indigere, nolens fortaſſe etiam dixiſti. Repete ea, quæ

tibi in tua illa oratione, bono dictante Dæmone, excide runt, atque eo præſertim in loco, vbi Gymnaſiarchum hunc tuum, ſanctiſsimis Magiſtratibus, neſcio quo iure quauè ratione præpoſuiſti. Quid tu, tum volebas, cum homines eos in quos ſumptus faciendus eſſet, tales minimè eſſe dicebas, qui beneficium ſuum venire, quàm non penitus perire mallent? Debueras in eo perſiſtere, quod optimum eſſe huic ciuitati, Mercurius fortaſſe tibi è Cœlo miſſus oſtenderat. At quando Deorum (vt arbitror) monitis obſtitiſti, vides exinde in quantos errores incideris. Error verò ille maximus, neſcioque an tibi in ea re ſit ignoſcendum, quòd cum de ſumptibus ageres, quos in aduentu Regis eſſet hæc ciuitas libenti animo factura, non vſus es eo verbo quo decuit, non .n. pecuniam illam vt tu dicis, effunderemus, ſed in maximam vniuerſorum ciuium voluptatem, adde & fœlicitatem, collocaremus? Qua nanque lœtitia? Quibus vè gaudijs optimum Regem noſtrum, tanquam CAROLVM patrem eius auguſtiſſimum iterum dè Cœlo lapſum intueremur? Sed quid hac quæſo tua animi ſuperſtitioſa ſolicitudine moliris? Das nè operam fortaſſe, vt quicunque humaniores has literas profiteantur, non minutis (vt ille aiebat) ſed ſummis Regibus comparentur? Vt video, nihil aliud agis, parumque affuit, quin te quoque puſillum hominem vix duobus cubitis altiorem cum Gigantibus contuleris. Quã verò argutè diſputas in hunc modum? Nônè Rege huc aduentante, vt eum honorificentiſſimè exciperetis Ciues Cremonenſes, ingentem pecuniam in Regios apparatus effunderetis? Cur & in Gymnaſiarchum pro liberis veſtris inſtituendis Hs. ſaltem quatuor (ſic ipſe ſcribis) non erogabitis? Dialecticus certè es, & minimè iocularis. Tolle verbum illud, quod imprudens

appo-

appoſuiſti, non enim effuſio illa eſt, ſed grati animi in Principes noſtros ſignificatio, vera liberalitas proprius Cremonenſium ſplendor. Sed audi, quid Decuriones tibi reſpondeant. Quid tu cum de rege, maximo noſtro agis, Gymnaſiarchi tui mentionem facis? Quod nouum hoc argumentandi genus? Sic liberos noſtros doces? Rident medius fidius hi parietes hanc tuam differendi ſubtilitatem. Sic inquis, quia fiunt hæc in gratiam Regum, quæ ſunt caduca, & fragilia, debetis multò libentius in pecuniam Gymnaſiarcho decernendam incumbere. Quid tu Diadema? Quid Sceptrum eſſe credis? Quid Regiam dignitatem? Sunt Regibus ingentes apparatus faciendi, ſunt hi ingentibus honoribus accipiendi. Non ſunt ludi magiſtri in comparationem adducendi. Non eſt atro hoc tuo colore purpura inficienda. Diſce, quid deceat, vt impudentiæ nomen fugias. Nos ſi ciuitatem incolumem habemus, ſi leges valent, ſi perditorum comprimuntur audaciæ, ſi maledicta vindicantur, ſi impunita ſcelera non relinquuntur, ſi res profanæ, ſacræq; ſumma magiſtratuum vigilantia cuſtodiuntur, ſi pater cum liberis, & lectiſſima coniuge in laribus ſuis vitam quietam degit, Regi noſtro optimo Patris imitatori, eo nomine plurimum debemus, quem more Homerico paſtorem omnium eius imperio parentiũ poſſumus appellare. Hunc ſi quandò ad nos aduenerit, qui vitam, liberosq; noſtros, nè dum fortunas omnes ei debemus, quàm maximis in hanc vrbem honoribus non recipiemus? Neſcis quo plauſu, quauè hilaritate hæc ciuitas Principes ſuos accipiat. ID CAROLVS Imperator Maximus, cum huc olim aduenîſſet, Cremonenſes Imperio ſuo fideliſſimos viſurus, & cum illis hoſpitaturus, expertus eſt. Dij boni quo tum gaudio vniuerſa ciuitas exultauit? Atq; hanc publicam lætitiam decla-

rauerunt arcus triumphales, magnifici apparatus, armatorum iuuenum pompa, magna Togatorum Senum caterua, totáq; vrbs ipſa, quæ propè conuulſa ſedibus ſuis procedere viſa eſt, ad Cæſarem auguſtè, ſanctéq; venerandum, & maximis omnium ordinum gratulationibus in hæc tecta recipiendum? Hæc, atq; alia ſi pro eo Rege ſumma prudentia agantur, à quo tot beneficijs cumulamur, dices caduca, fluxa, atq; fragilia? Quæ quidem, vt ſine nefario ſcelere omitti non poſſunt, ſic cum præſtantur, magnitudinem animi noſtri, veteremq; in Principes noſtros fidem, & obſeruantiam teſtantur, & in omnem ætatem immortali memoria propagantur. Dabimus, quod petis, & longè plura, ſcimus quanti virtus ſit facienda, ſed illam per te factam eſſe venalem, querimur. Principis verò Maieſtatem volumus poſthac te ſanctius colere, ac venerari, cuius poteſtas proximè ad Deorum Numen accedit, alioquin te ex hac vrbe expellemus, exterminabimus, eijciemus. Audiſti, quid tibi reſponderint Decuriones. Breuiter nunc audi quid ipſe dicam. Dicis te prætereà nemini vnquam conceſſurum, Magiſtratuum magis, quam Gymnaſiarchi operam Reipublicæ neceſſariam eſſe, quanto enim laudabiliora, & neceſſaria magis ſunt animi, quam rerũ externarum bona, his tantò etiam magis, qui iuuenum animos optimis diſciplinis inſtituunt, indigere Rempublicam noſtram affirmas. Dialecticum nuper agebas. Nunc verò incipis philoſophari. Nam cum tria bonorum ſint genera, cenſes ea, quæ ſunt animi, longè omnibus eſſe anteponenda. At illud te Lyſidis Pythagorei admoneo. Haud pium eſſe te Philoſophiæ myſteria tractare, niſi prius animum purgaueris. Elue primum hanc maculam, quam dudum habes inuſtam pectori, hanc inquam nimiam habendi libidinem, cuius ſtimulis

quandiu

quandiu agitaberis, nihil profectò boni vnquam cogitabis, nihil recti meditaberis, nihil quod ad animum ſpectat probè dijudicabis. Motus verò animi nimios omnes contrahe, quorum haud ſcio an longè acerrimus ſit motus inuidiæ, quo qui concitantur, ij procul à ſanctiſſimis Philoſophiæ tectis arcendi ſunt, atq; abigendi, tanquam ij, qui grauiore ſcabie conflictantur. Hoc volui te præmonuiſſe, nè fortaſſe crederes omnium eſſe philoſophari. Nunc ad Magiſtratus venio. Quid tu tua illa argumentatione voluiſti? Profectò nihil aliud, quàm te ipſum Magiſtratibus anteferre. Verùm quàm artificioſè id agis? Curant inquis, ij vobis res externas, animi verò bona præceptores, at hæc ipſa bona quanto ſunt rebus externis laudabiliora? Totum hoc eſt, quod argumentatione tua complecteris. Quod ſi conceſſerimus, ſic eam deinde concludes, longè igitur Magiſtratibus laudabiliores ij ſunt, qui liberos veſtros inſtituunt. Nam ſtatim proferes, quod nunc in animo incluſum tenes, Homines ſcilicet pronunciabis eos, qui meliora agant, eſſe cæteris laudabiliores; Laudatio nanq; tota ab actionibus pendet. An non præclari illi opifices, qui magnas res agunt? & quò maiora egerint, eò alijs clariores euadent? In diſciplinis quoq; nonnè quæ res tractant cognitione digniſſimas, eas putamus inter cæteras excellere? atq; idcirco Theologos ipſos maximè omnium ſuſpicimus, admiramur, quod ij in rerum diuinarũ cognitione verſantur, Regemq; illũ omnium, circa quem cuncta ſunt, cuius gratia omnia, quiq; pulchrorum eſt omnium cauſa contemplantur. Vides, vt comparationi tuæ vim omnem perceperim, vtq; inuolutam argumentationẽ apertè explicauerim, vt mentem denique tuam totam excuſſerim. O miram hominis imprudentiam nè dicam temeritatem. Quid tu Magi-

ſtratus eſſe exiſtimas in ciuitate? non nè ſi Platoni credimus, ij ſunt Deorum interpretes, qui Diuino conſilio, rebus humanis proſpiciunt? Non nè hi ſunt rerum publicarum gubernatores, qui tanquam in ſummo ciuitatis faſtigio collocati totam vrbem circunſpiciunt, totoq; animo in publicam ſalutem ſemper incũbunt? Curant, inquis, ij res externas; immò verò nihil aliud ſtudent, quàm vt ciues optimos, Deo ſimiles, & amicos reddant. Quòd ſi externarum rerum curam habent, ſic tamen id agunt, vt omnia ad iuſtitiam referantur, iuſtitia verò ad vitæ alterius fœlicitatem. Quid tu ciuilem illam ſapientiam eſſe putas, quam ij profitentur? Non nè ea eſt omnium artium dominatrix? cuius imperio parent hæ quoque, quibus magni ſemper honores ſunt habiti. Ars nimirum imperatoria, ratio tuendæ rei familiaris, & benè dicendi facultas. Hac ipſa verò ſapientia, quam diuinũ munus Socrates eſſe dicebat, curant reſpublicas Magiſtratus, hominesq; ita inſtituunt, vt honeſta agant, turpia nè cogitent quidem, vitia odio habeant, virtutes colant, cunctiq; ſub eadem lege, & eodem Principe ad benè, beatèq; viuendum conſpirent. Quid dicis bone vir? Id nè eſt curare res externas? An potius animorum curam ſuſcipere? Legum verò cum ſint ij ipſi optimi cuſtodes, quid tu eos aliud magis curare dixeris, quàm vt homines piè, ſanctèq; Deos venerentur? Hoc enim ſpectant leges, hoc volunt in primis, vt pietas, ſanctitas, religio, purè, & caſtè Deorum numini tribuantur. Et tu hanc Magiſtratuum magis, quàm Gymnaſiarchi tui operam ciuitati noſtrę neceſſariam eſſe nemini vnquam conceſſeris? ò optimarum rerum inſcium hominem, atq; omnium maximè quid deceat ignorantem. Non aqua, non igni, nón aere, vt aiunt, pluribus locis vtimur, quàm Magiſtratuum opera; ſine qua ciuitates omnes

funditus

funditus interirent. Dic obſecrò legibus nè Gymnaſiarchũ præpoſueris? Id profectò vt opinor, minimè auderes, alioquin te inſanum omnes dicerent, clamarentq; tibi tanquam furenti vincula iniicienda. Quàm ego verò ſæpe apud Platonem legi, optimos Magiſtratus legibus eſſe anteferendos? Nam vt hæ ſine magiſtratibus omnino inutiles, ac ferè mortuæ ſunt, ſic illi legum auxilio non egent, immò ipſi potius viuæ leges exiſtunt atq; idcircò ſapientiſſimus ille vir optimam rempublicam inſtituens non in condendis legibus, ſed id forman dis Magiſtratibus ſummè laborauit. Quod ſi Pindarus Cecinit legem eſſe omnium, tam mortalium, quàm immortalium Reginam, vide quàm tu Magiſtratus ipſos læſeris: Quos cum loquentes leges eſſe conſtet, non eos tamen in excelſo loco, vt par erat, poſuiſti, ſed puerorum Magiſtros, cum his conferre, vel potiùs præferre minimè extimuiſti. Hi ſunt errores tui, hæ tuæ pluſquam ſeniles delirationes. At profectò ſi hæc omnia diligentiùs tecum expendiſſes, nunquàm in hos ſcopulos delapſus eſſes, quos orationem tuam præteruectam dicebas. Quid te obſecrò tunc acturum putabas, quando illa de Rege, & Magiſtratibus diſputabas? Credebas fortaſſe Decuriones meos hac tua oratione conſuetudinem legibus probatam, & ſancitam, vſuq; confirmatã in recipiendis Regibus, eorumq; legatis intermiſuros, & vt quod petis, quàm primũ agerent, pecuniam, quam Magiſtratibus pendunt, extenuaturos? Decipiebaris bone vir. Cautum eſt Magiſtratibus, cauebitur, & præceptoribus. Tibi verò ſic ipſe caueo, vt Magiſtratus poſthac maximè reuerearis, ac tanti extimes, vt cum contentio apud te fuerit, quibus plurimum officij ſit tribuendum, principes, ij ſint, eosq; cum Dijs potius, quàm cum hominibus comparandos putes. Verùm deſiſtite

Decu-

Decuriones iam me intueri, oculos in hunc mecũ conuertite. Nihil hic amplius effari audet, totus ſudat, expaleſcit, ac mirum in modum exalbeſcit, ſed quidlibet faciat modò nè nauſeet. Quid nunc agimus? Dolos huius omnes, fallacias, & præſtigias indagauimus, inueſtigauimus, & patefecimus, ferocitatem cõpreſſimus, audaciam fregimus, loquacitatem retardauimus. Videtis hominem mutum, exanimatũ, & vix viuum relictum. At tantiſper hic quieſcat, dum vires, ſi reliquas vllas habet, colligat, animũ erigat, reſpiret, reuiuiſcat. Ego interim amicè, vt cum omnibus ſoleo, cum eo homine agam, qui ſpurca illa, & impura in orationem meam ſuperioribus diebus editam ſcholia, turpiſſimasq; illas in me literas impudicitiæ calamo conſcripſit, atq; hæc legenda omnibus dedit. Nomen taceo, neminem offendo, laceſſitus iniuriam propello. Heus tu amice, quæ nam cauſa ad hoc te impulit, vt ſcripta mea tot maculis aſpergeres? oblineres? inquinares? Nonnè ego te, fratremq; tuum vnicè ſemper dilexi, & ſi quandò occaſionẽ nactus ſum, vt de vobis, totaq; domo veſtra, cuius exiſtimationi non minus, quàm meæ conſultum eſſe velim, apud probatos viros verba facerem, quod ſæpe accidit, tanta id egi nominis veſtri celebritate, vt ij, quibus cum loquerer, meam in vos beneuolentiam, fidem, & obſeruantiam ſatis admirari non poſſent, ò ſi in hanc vitam redeat ſanctiſſimus vir ille pater tuus, qui quandiu vixit, vt Deus mihi ſemper fuit, quibus verbis te obiurgaret? Quàm aſperè in te inueheretur? Qui hominem tui amantiſſimũ, quem ille admodum dilexerat, viperinis morſibus dilaceraſti. Equidem nunquàm id fore exiſtimaſſem, vt aliquis è domo veſtra, cui me certa animi ſententia iampridem addixi, tantæ in me acerbitatis virus euomeret. Siccine agitis cũ amicis veſtris?

Siccine

Siccine ijs, qui vos amant in amore reſpondetis? Cur obſecrò, ſi quid erat in ea oratione, quod auribus tuis faſtidium pareret, ad me ſtatim non retuliſti? Id amicitiæ iura poſtulabant, id ingenuitati tuæ maximè conſentaneũ erat. At quando ſic tibi viſum eſt, maledictis me tuis configere, ego non vt iniuria, ſed amore tecum contendam, te admonitum velim, vt à conuitijs ijs tuis recedas, & in gratiam, cum rectis animi tui ſenſibus redeas, patremq; tuum imiteris, quem hæc ciuitas ob ſanctiſſimos mores ſemper coluit. Hoc ciuibus noſtris gratum erit, qui maledicis, & obtrectatoribus perpetuũ bellum indixerunt, Dijs quoq; immortalibus iucundum hoc fuerit, quos non ignoras eſſe animorum præſides, amicitiæ cuſtodes, concordiæ propugnatores. Hoc poſtremò dandum eſt amori in te meo, vides enim, vt nomini tuo pepercerim. Quod ſi à maledictis non receſſeris, audies, & tu, quæ minimè velles, & diuulgato nomine ſic tecum agam, vt ſentias, quibus armis ſciam iniurias vlciſci laceſſitus. Sed iam ad bellatorem noſtrum, quem ferè humi iacente reliquimus, reuertamur. Anhelat adhuc hic neſcio quid ex imo pectore, diſſipatiſq; maioribus caſtris, denuò prælium reſtituit. Adſit verò pater patratus, & extrema hanc pugnam aſpiciat, qui in fœdere ſanciendo, & deditionis tabulis, quas hic breui ad nos miſurus eſt rectè firmandis, iudicium ſuum interponat. Quid adhuc conaris magnæ Dux? Educ tua hæc, quæ ſuperſunt, parua præſidia, educ reliquas copias, pugnamq; tandem hanc totam conficiamus. Dicis in eo, qui publicum docendi munus ſit ſuſcepturus, hæc duo ineſſe oportere. Honeſtos mores, earumq; artium cognitionem, quæ ad eruditionem adoleſcentium ſpectant. Quid tu hoc Cremonenſes meos doces, quorum ea ſemper fuit conſuetudo, vt minimè

disiunctos

diſiunctos habeant literarum, & morum doctores ? Non bene ciuitatis huius noſtræ leges, non inſtituta, non mores, non iura noſti. Nemo eſt Cremonenſium, qui liberis ſuis eoſdem dari nolit rectè faciendi, & bene dicendi Magiſtros. Curant autem in primis, vt filios habeant bene moratos, atque vt infantium membra, ſimulac in lucem editi fuerint, vt fiant quàm pulcherrimi, dirigi, ac componi ſolent, ſic parentes puerorum animos, vt optimi euadant, principiò aptè, concinneq; fingi, & formari volunt. Nec vlla indigent Cratetis vociferatione. Liberorũ namq; longè maiorem, quàm cęterarũ omnium rerum curam ſuſcipiunt. Vnum inquis eſſe in hac ciuitate, & nos plures contendimus tàm literarum, quàm morum magiſtros, qui non minus rectè viuendo, quàm benè docendo Cremonenſium filios optimè inſtituũt, quodq; ad mores attinet, nihil hi ipſi præceptores, quos dico, magis ſtudent, quàm vt ea religione teneri puerorum animi imbuantur, qua Cremonenſes Deum ipſum, cœliteſq; omnes colere conſueuerunt. Caſtiſſimus nanq; & ſanctiſſimus ſemper fuit in hac ciuitate Dei cultus, ac pura religio. Qua re factum eſt, vt in maximis quibuſq; calamitatibus patriæ huic meę diuinum aliquod auxiliũ, & numen ſemper affuerit. Audi tu, qui tantum vnum prædicas, quid hæc tibi tota curia reſpondeat. Sunt inquit, plures in hac ciuitate pari virtute, pariq; in liberos noſtros charitate, quibus nihil antiquius eſſe certò ſcimus, quàm omni cõſilio, omniq; induſtria prouidere, vt filij noſtri in eos ciues euadant, qui magno huic vrbi ornamento eſſe poſſint. Quid tu ais eſt ? nè vnus tantũ, an potius plures, qui multos iam annos pro patriæ dignitate excubant, vigilant, laborẽt? Atq; hi omnes eiſdem laudum certaminibus, tanquàm remis innixi literariam dignitatem, cum hac ciuitate

natam

natam amiſſis tot ſcientiſſimis gubernatoribus, quaſi nauem in medio mari fluctuantem integram, incolumemq; ſeruarunt, atq; in portu collocarunt. Et tu vnius tantum rationem habes? Nec vis reliquos iiſdem cōmodis frui? ſuorum ciuium charitate ali? liberalitate ſuſtineri? Pro Dij immortales in qua ciuitate hæc prædicas? Apud quos ciues hæc agis? Nempe apud homines rerū peritiſſimos, æquitatis obſeruantiſſimos, ac de patria bene merentium amantiſſimos. Nos eorum patrocinium aſpernabimur, quibus in diſciplinam filios tradidimus? Atq; illorum exiſtimationis curā abijciemus, qui pro dignitate noſtra in liberos propaganda laboribus vllis omninò non parcunt? Immò verò hos amplexabimur, fouebimus, atq; in oculis feremus. Valeant, inquit hæc patria, valeant hi optimi ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes. Quid tu ad hæc reſpondes? Neminem dicis eſſe poſſe omni laude cumulatum Gymnaſiarchum, niſi fuerit magnarum rerum omnium, atq; artium ſcientiam conſequutus. Audiſtis hanc vocem Decuriones? Quod de oratore dixerunt magni viri, hic de Gymnaſiarcho ſuo nunc dicit. At bono eſto animo Amice, non enim hæc ciuitas oratores, ſed Grammaticos quærit, qui liberis ſuis præeſſe velint. Quòd ſi vnum tantum eſſe dixeris in hac ciuitate, qui Grammatici munus explere poſſit, vide quàm cæteris iniuriam facias. At hi, inquis, quinq; linguarum intelligentiam non habent. O' Græculum ineptiſsimum, & Græcarum fortaſſe literarum penitus expertem. Nemo ſermonem patrium, quo cum natus eſt, & multos annos vixit, perfectè vnquàm nouit, & tu externas quinq; linguas vis aliquem paruo temporis curriculo optimè didiciſſe? Mithridatem vigintiduas linguarum cognitionem habuiſſe, nouimus idque omnes teſtantur, ſed vulgaris fuit illa cognitio, non ex ratione ad calculos deducta,

 fuitq;

fuitq; diuinũ illud in eo homine, ac ſummè admirandum, quod neſcio, an quis deinde alius fuerit conſequutus. Melius fortaſſe dixiſſes, neminem eſſe rei literariæ præficiendũ, niſi nouem annos fuerit, quod de Minoë Homerus cecinit, cum magno Ioue colloquutus. Hunc quem tu omnibus præponendum dicis, fatemur & nos eſſe ſummum Grãmaticum, hominem integerrimum, doctiſſimũ, patriæ amantiſſimũ, qui in alienas vrbes magnis præmijs euocatus, conditionem non acceperit, ciuibus ſuis non defuerit, qui funebres orationes habuerit, quem ſibi aliquandò Tarteſius adiutorẽ, atq; adminiſtrũ eſſe voluerit. Hæc, atq; alia non ignoramus. Hominem probè nouimus, amamus, maximi facimus, obſeruamus, & quẽ ſemel amandum ſuſcepimus, huic beneuolentiam noſtram integram, inuiolatãq; ſeruabimus, nec te imitabimur, qui in hunc aliquandò Hipponacteo more verſus conſcripſeris, quos cũ propter inualetudinẽ domo nõ exires, amicis te viſentibus, & Medico recitabas, addebasq; eos tui maximã eſſe morbi alleuationẽ. Hunc nos ſemper amabimus, officiaq; ei noſtra omnia præſtabimus. At ſunt & alij in hac vrbe, qui ciuiũ liberis, & moribus, & literis, quàm optimè id fieri poteſt, informandis, aſſiduè dant operã, & hi quoq; in alienas ciuitates ſummis precibus, maximis pollicitationibus, non paruo ſtipendio euocati, non tamen à patriæ cõplexibus vlla vi diuelli, ac diſtrahi potuerunt. Atq; id mirari non debes. Nam ſi Ithacam aſperrimis ſaxulis, tanquam nidulum affixam vir ille ſapientiſſimus immortalitati præpoſuit, quanti nos hoc patriæ ſolum, antiquiſſimum dignitatis, & gloriæ domicilium ęſtimare, quibus vè maximis rebus non anteferre debemus? Habetis vnum maximè Cremonenſes, ex horum numero præceptorum, qui ſe vobis totos deuouerunt, quem optimus ille Veronenſium Epiſcopus Auguſtinus Lippomanus, ad

laudem

laudem & gloriam natus, cum viueret, ſanctiſsimèq; eccleſiā ſuam regeret, Veronā ſæpius accerſiuit, hic tamen vt à patria recederet, non Epiſcopi autoritate, quæ magna erat apud omnes, non cōditione vlla adduci vnquam potuit. Nuper quoq; ex honeſtiſſimo municipio Nuncij miſſi ſunt, qui hunc ipſum ciuē veſtrū præceptorem publicè poſcerent, ac flagitarent: at nullis id quod volebant, precibus aſſequi potuerunt. Quare hoc in primis vobis lætandū eſt Cremonenſes, qui liberorū vtilitati maximè conſulitis, quòd non vnum tantū, ſed plures habetis in ciuitate, qui vobis, filijsq; veſtris omnia ſua ſtudia, oēm operam, curā, induſtriam, conatus deniq; ſuos oēs addixerūt, ac propè conſecrarunt. At Tarteſium inquis hunc vnū, quem oībus præponis pueris aliquando erudiendis præfeciſſe, nos quoq; id fatemur, laudamusq; prudētiſſimi illius ſenis conſiliū, qui hominē elegerat, qui nec cura rei familiaris, nec diſcipulorū multitudine impeditus, onus illud facilius, quàm cæteri ſuſtinere poſſet. Verum ex ea re nè putes, hominē illum ſanctiſſimū de aliorum exiſtimatione quicquā detrahere voluiſſe, nihil ille profectò alijs detraxit, niſi quod magis cōmodè vni impartiri potuit. Percunctare hac de re ſingulos Hypodidaſcalos, qui Tarteſio tum operā dabant, hi tibi oēs reſpondebunt, cæteros præter Gymnaſiarchū hunc tuum numero contubernalium, ac magna diſcipulorum frequentia obſeſſos, illis etiam puerorū claſſibus minimè opprimendos fuiſſe, cum vnus extaret, qui vt occupationibus non ſanè multis diſtinebatur, ſic munus, quod ei delatum fuiſſet, præclarè exequi poſſet. Sic res profectò ſe habet. Nec tu ea re adduci debes, vt vnum hunc tantum ludi Magiſtrum pueris præficiendum putes. Hoc tu alijs, perſuadeto, non Cremonenſibus meis; quorū in animis fixa hæc inhæret opinio, vrbem hanc noſtram nouis potius atq; optimis inuentis

ornandam, quàm veteribus vlla hominum perſuaſione ſpoliandam. Atq; idcircò Cremonenſes, cum maximis quibuſq; ciuitatibus de laude cõtendentes, nihiluè, quòd patriæ ſuæ ornamento eſſe poſſit, omittentes, Typographum ſuum habent, cuius quidem elegantibus formis, neſcio an magis gaudeant, quàm hominem foueant, atq; amplexentur. Nullam profectò vrbem inuenies, vrbem inquam magni nominis, cum hac noſtra conferendam, in qua ſi literarum ſtudia vigeant, ſi doctrina adoleſcentium ingenia excolantur, plures non extent præceptores, qui publicè doceant, ac rei literariæ dignitatem ſuſtineant. Et tu hanc vrbem, ad quam tot quotidiè iuuenes alienigenæ tanquam ad mercaturam bonarum artiũ confluunt, tuo tantum Gymnaſiarcho vis eſſe contentam? Athenis fuere inter cætera, duo illa Peripateticorum, & Academicorum Gymnaſia, qui rebus congruentes ea re tantum differebant, quòd hi Platonis inſtituto in Academia cœtus, & ſermones haberent, illi verò in Lyceo inambulantes diſputarent, atq; ex his duobus Gymnaſijs, tanquam ex gemino diſciplinarum omniũ fonte, innumeri ſapientes viri fluxerunt. In Creta quoq; & Lacedæmone, vbi antiquiſſima ſapientiæ ſedes fuit, plures quàm in tota Græcia philoſophorum ſcholas fuiſſe legimus, qua re factum eſt, vt in eiſdem locis non viri tantum, ſed mulieres etiam doctrina præſtantes inuentæ ſint. Nam id ferè ſemper contingit, vt vbi maior ſit numerus præceptorum, ibi plus etiam homines in quo vis doctrinarum genere proficiant. Atq; id ſi negabis, clamabunt credo omnia Gymnaſia, atq; omnes tam Italarum, quàm exterarum gentium ſcholæ, hominem te eſſe ciuitatibus maximè perniciosum, qui Gymnaſiarchiam conſtituas, vnius tantum vtilitati conſulas, publicæ rei curam nullam habeas, optimorum pręceptorum gubernationem tanquam optimatum

matum Rempublicam tollas, nouūq; in has humaniores diſciplinas dominatū inducas. Quod ſi te maximè angit, vide quam rationem ineas, ne hæc tibi nota inuratur ad ignominiam ſempiternam. Hæc te mea oratio perterruit (vt video) tibiq; iam oculi, vultus, & verba ceciderunt, & cum nihil habeas quo amplius confugias, abiectis demum armis ad deditionem accedis, obſides adducis. Ego verò te libenter amplector, fidem accipio, deditionemque hanc tuam perpetuam inter nos beneuolentiæ coniunctionem eſſe volo, tibique has leges impono. FIDEM SERVATO. CONCORDIAM COLITO. CIVIBVS MEIS VNIVERSIS FOELICITATEM OPTATO. PATRIAE MEAE IVRA NVNQVAM VIOLATO. Te verò populus Cremonenſis in fidem accipiat ſuam, diligat, foueat, ſemperq; tueatur. Nunc ad vos Decuriones ampliſſimi oratio mea conuertitur. Quid vos tandē de tota re decernendum putatis? Hoſtes expugnauimus, vicimus, in deditionem noſtram redegimus, victis leges impoſuimus. Nos antiquiſſimam huius vrbis conſuetudinem, quam hi euertere conati ſunt, ſumma vi tuendam ſuſcepimus. Sanctiſſimos patriæ ritus, quos hi tollere voluerunt, nos hac manu ſuſtinuimus. Pro Reipublicæ dignitate, quam hi cuniculis oppugnarunt, nos, qui eam magis quàm hanc vitam diligimus, acerrimè propugnauimus. Nos liberorum veſtrorum vtilitati, cuius hi nullam, vel paruam rationē habuerunt, optimè cōſultum eſſe voluimus. Præceptorum, qui tot annos pro patria laborant, exiſtimationē, quā hi contemnunt, amplexi ſumus, ad vos detulimus, fidei veſtræ cōmendauimus. Florētiſſima magnæ huius vrbis Gymnaſia nō ſolū ciuium liberis, ſed externis ēt, atq; eiſdē nobiliſſimis adoleſcentibus referta, ante oculos veſtros propoſuimus, eaq; ne, quod hi vellent,

vellent, poſtremò apud vos loco haberentur, taciti rogaui mus. Officinas literarum, quibus ſemper in hac ciuitate plures præfuerunt, ne ſub vnius imperium, quod hi neſcio quo iure poſtulabant, cōpelleretis, non tam inſtituto maiorum, quàm maximarū ciuitatum teſtimonio vobiſcum apertè egimus. Officinas verò has ipſas non magni facient Cremonenſes, ex quibus non minus ſibi laudis, ac glorię, quàm ex bellica virtute cōpararunt? Nec tanti æſtimabunt, vt omnes quot quot ij fuerint qui inſtructiſſimas eas habuerint, liberaliſſimis decretis honeſtandos putent? Veſtrum eſt Decuriones, qui non ſolum conſilijs veſtris, ſed etiam ſpecie ipſa totius ciuitatis dignitatē ſuſtinetis, inſpicere, quid vetus conſuetudo, quid ſplendor populi Cremonenſis, quid publica vtilitas, quid hæc curia, quid ciuium pietas de patria bene merentium poſtulet. Prudentia excellitis, iuſtitiam colitis, autoritate præſtatis. Conſulite liberis veſtris, & publicæ dignitati, quod æquum eſt ſtatuite, patrios mores confirmate. Nam hi, qui Gymnaſiarchum eligi volunt, quid aliud à vobis petere videntur, quàm vt liberis male proſpiciatis? poſteritati peſſimè prouideatis? ſuum cuiq; nè tribuatis? Nouos ritus inducatis? Vetera vrbis ornamenta tollatis? Id verentes filij veſtri vos appellant, paternam fidem implorant, vosq; amplexantes, & vultus veſtros ſuauiantes, ſic vobiſcum agunt. Quouſque patiemini parentes chariſſimi nos de præceptoribus noſtris tam grauiter affictari, quorum res videmus, nonnullorum ſeditionibus in eum locum adductas eſſe, vt ijs vel è patria abeundum ſit, vel in ea turpiter commorandum? Nam ſi Gymnaſiarchum, quem turbulenti quidam homines flagitant, conſtitueritis, vnumq; omnibus præpoſueritis, qua nam obſecrò illorum dignitate id facietis, quorum probitas, & doctrina iandiu vobis nota eſt, atq; teſtata? Vt miſeri

præce-

præceptores illi erunt, quibus, cum nullo in honore ſe eſſe viderint apud ciues ſuos, ad exteras nationes, nè ingloriam vitam agant, cõfugiendum erit? Quod ne contingat, prouidete quæſo patres prudentiſſimi, neuè ſinite bonos viros pro patria aſſiduè laborantes perinde neglectos iacere, ac ſi eſſent mali, ſederent vè ſemper oſcitantes. Nam vt Euripides dicebat, ciuitates illæ agunt quàm peſſimè, vbi vir bonus, & ad rem gerendã ſtrenuus in nullo honore habetur, ac ſi ſit malus. Præceptores illos, quos re ipſa probauiſtis, quibusuè liberos veſtros in diſciplinam tradidiſtis, nolite deſpicere ſuam vnicuiq; dignitatẽ tribuite. Hoc æquitas poſtulat, illud grauitas veſtra, atq; conſtantia. Quod ſi vnum tantum elegeritis, videte, ne reliquos, quibus iniuriam feceritis, & cum his vnà filios veſtros amittatis. Nam quocunq; hi abierint, certum eſt neminem noſtrũ à præceptorum latere vnquã diſceſſurum. Et ſi hi fortaſſe pro eximia ſua in patriam charitate aliò ſe conferre noluerint, quo cruciatu animi putatis nos vitam acturos, cum viderimus præceptoribus noſtris, quibus tantum debemus, eam, quam ſibi virtute compararunt, exiſtimationem per ſummam iniuriam ereptam, totamq́ue ferè in alium fuiſſe tranſlatam? Sic nos profectò quotidianus mœror lacerabit, & conficiet, vt cum dolore diu contabuerimus, ſimus vobis id ſæpius audientibus dicturi. Vitam, quam dederatis, eandẽ nobis cõſilijs veſtris patres ademiſtis, ſiccine verò agetis cũ filijs veſtris? & quos genuiſtis, eos decreto veſtro iugulabitis? Audiſtis nè vnquam magnã illam, & admirãdam Arſinoes charitatem, quæ liberos complexa matris in ſinum cõfugientes, corpore ſuo, tanquam clypeo percuſſoribus obiecto, ſic eos tuebatur, vt ictus ipſa, quos poſſet, omnes exciperet, atq; ita generosè rem geſſit, vt vnà cum filijs inter oſcula trucidatis mortem oppetere nõ dubitarit?

bitarit? Legiſtis alitem illam, quã Plataleam vocant, ſe pro filiorũ ſalute audacter in ignem immittere, flammaq; penè totam exuri, nec ex ea re tantulum cõmoueri? Vulturem verò, quo filios alat, audiſtis vltrò ſanguinẽ fundere, roſtro ſibi femora vellicantem? Nos filij veſtri de præceptorum dignitate, ideſt de ſalute noſtra non parũ timentes in ſinum veſtrũ confugimus. Non ictus, non vlla vulnera vobis excipienda ſunt, nõ in ignẽ eundum. Decreto tantum veſtro ſeruari volumus, non parentum ſanguine, ſed præceptorum diſciplina alendi ſumus. Hos tuemini, hos nobis ab omni iniuria integros, incolumesq; ſeruate. Non vnum tantum, ſed plures liberis veſtris præficite, eoſdemq; omnes fouete, & pari gloria decorate. Id publica vtilitas poſcit, id ſplendor huius vrbis poſtulat, veſtri ciues id cupiunt, filij obſecrant, expectant externi; Parietes quoq; medius fidius patriæ noſtrę, qui tot publicè legentium vocibus in hunc vſq; diem perſonuerunt, ac ferè iam loqui didicerunt, id à vobis petere videntur. Dãdum verò id eſt in primis cõſuetudini, quam à maioribus veſtris iam inde ab initio vrbis accepiſtis, cui ſi fortè vos (quod non putamus) viam intercluſeritis, nos illam aliquandò aperiemus. Quòd, ſi nihil hæc mouent animos veſtros, moueant ſaltem hæ lachrimæ, quas hic in ſinu, complexuq; veſtro relinquimus. Audiſtis Decuriones liberorũ ſuſpiria, voces, & blandas præcationes. Vidiſtis filios lachrymantes. Quid tandẽ ſtatuitis? Nos quidem magna ſpes tenet, breui fore, vt optimorum illam, quam paulo ante dicebamus, præceptorum gubernationem cõſtituatis, eaq; re optimè publicæ vtilitati conſulatis. Atque in hac ſpe conquieſcentes ab Ioue optimo Maximo, cæterisq; Dijs, Deabusq; immortalibus perpetuam huic vrbi, vobis, natisq; veſtris, ac nepotibus, incolumitatem precamur, felicitatẽ optamus, Dixi. FINIS.

ORATIO
TERTIA

FRANCISCI ZAVAE

IN PVB. VERGILIVM.



CREMONAE

Apud Vincentium Comitem.

M D LXVIII.

ORATIO TERTIA

FRANCISCI ZAVAE

IN PVB. VERGILIVM.

CVM Antiquorum in omni doctrinarum genere acumen conſidero, cum plurimarum rerum abditas, ac recunditas, quarum comprehenſiones, & maximas cognitiones ij habuerunt, inuentiones mente pertracto, non poſſum ANTONI TRECHI Diuæ Agatæ maxime Antiſtes, vosq; cęteri præſtantiſſimi, ac nobiliſſimi auditores nón mecum admodum admirari. Cuius rei admirationem ſcio, & in animos veſtros penetraſſe, penitusq; in illis inſediſſe. Quis enim aliorũ veterum loculentiſſime Hiſtorias ſcriptas non admiratur? Quis aliorum diuinationes, & rerum futurarum pręſagitiones diuinitus excogitatas, animo conceptas, mente cõpræhenſas, poſteris fideliter traditas non ſuſpicit, & tacitus veneratur? Quis quorundam eloquentiam, & apud Græcos, & Latinos incredibili admiratione non intuetur, legit, obſeruat, imitatur, ad vſumq; ſuum, quodcunq; genus illud doctrinæ ſit, in quo quis verſatur, deducit, ac qua arte poteſt

 deriuat?

deriuat? Quis ſocratice de ſolo bono diſputantes non libenter audit? quis non aures libentiſſimas admittit ad pleniſſimas, vberrimasq́; eorum diſputationes, qui de ſummo bono ex communi conſenſu ad hominum ſenſus diſputant? quis nõ libenter intereſſet in vtranq; partem mirifice diſputantibus minime contemnendis Philoſophis Academicam dignitatem hoc diſſerendi genere ſuſtinentibus? Quis quoq; Poetarũ acri ingenio ſatis plene cõmendare poteſt? Quorũ induſtriam cum mecum animaduerto, eos vel è Cœlo delapſos exiſtimo, vel Deorum Immortalium munere effectum credo, vt quod humanis artibus, & ſummo ſtudio nullus vnquam aſſequi potuerit, iſti diuina illa virgula adiuti, & ſubleuati quæq; maxime obſcura hominibus cecinerint, ac patefecerint. Id Poetarum ſtudioſi ex eorum innolucris excerpunt, & colligunt. Humanam enim conditionem hi naturæ maximi, & optimi pictores nobis effingunt, exprimunt, & ante oculos ponunt, ærumnas, & calamitatũ innumerabilia genera, quibus humanum genus expoſitum varijs modis conflictatur, omnibus coloribus, & vario pinicillo pingunt. Quod ab Homero, alijsque, & Græcis, & Latinis eximijs Poetis diligenter fieri animaduertimus. Nec obſcure id à Vergilio Poetarum maximo tractari ſeruamus. Quam rem licet diligenter per vos intueri, haud ignorem, non tamen grauabor, & ipſe (ſi tamen illa dicendi facultate valebo, qua id pręſtare poſſim, voſq́; auide expectare ſignificatis) hoc dicendo exprimere. Non enim deſpero, quin ex Vergilij Poemate ea doctrinarũ genera eliciantur, in quibus omnis antiquitas maxima cum laude, & commendatione verſata eſt. Nos enim hic Satyras depræhendimus, quo genere carminis improborum

proborum

proborum hominum deteſtanda vitia, perditorum & profligatorum, proteruorum impuras, inſanas, petulantesq́; libidines, & furioſas voluptates abdomini natorum corrigimus, exibilamus, & caſtigamus. Comœdias quoq;, quibus mediocre hominũ genus principio cõmoueri ſolet, mox cum præter opinionem fœliciſſimus rerum euentus illi ſucceſſerit, gaudio exilit, & triumphat, reperiemus. Infœliciſſimum potentiſſimi imperij, & florentiſſimarum rerum, ampliſſimęq; familiæ repentinum, inopinatum, & improuiſum caſum, ac exitum, hunc apud Poetam admirabimur, & deplorabimus. Quas inexpectatas calamitates, & rerum viciſſitudines tragœdijs concludimus. Hinc quoque leges, quibus imperia, & ciuitates continentur, ſeruantur, & cuſtodiuntur, adiſcemus. Philoſophiæ vberrimos fructus ex quoq; vberrimo ſcientiarũ iſtarũ fonte abunde exhauriemus, & eliciemus. Quam rem ſuo loco enodabo, & paucis explicabo, cum de carminis maieſtate, & venuſtate, quæ inſtitui dicere, enarrauero, quod quantò antiquius oſtenderimus fuiſſe, eo nobilius id nobis probatum iri non diffido. Taceo Poetarum fabellas, quæ nos vario pigmento, & quaſi admirabili, multiplicicq́; colore & Emblemate notato, & compoſito, mirabiliter detinent, quæ quid quoque ſignificent ſuo loco quaſi prǽteruolantes indicabimus. Quapropter vt ea attentione id diſertiſſimi auditores cognoſcatis, qua rem tantam haud ignoratis dignam eſſe, vos etiam atq; etiam oratos velim. Sic enim & vos non parum in his rebus pondus, & grauitatẽ ineſſe facilius cognoſcetis, & nos veſtris attentiſſimis animis qui candidiſſimus ſplendor index erit beneuolentiæ, qua me ſemper amplexi fuiſtis, magno labore, alleuabitis,

bitis,& ad dicendum inflāmabitis. Qua libentiſſima, & liberaliſſima attentione, nihil mihi hodierno die gratius, & optatius contingere poſſet. Quare agite antiquum Poetarum genus cognoſcamus, quantum enim horum cognitionem habere conducat, amotis tenebris cōſideremus, diuinam hanc prolem in lucem adducamus, vt mox eorum ſententias explodamus, qui ſanctiſſimū hoc genus hominū maledictis laceſſiuerūt; & indignis opprobrijs notauerunt, caninisq; vocibus inſecuti ſunt. Nec vos pigeat audire & internoſcere Poetæ diſcrimen ab oratore, AEneāq; veſtrū antiquū Heroem agnoſcere, vexilum cum maximo Poeta ſuo loco mouentem. Conſtituta igitur hac ingentis mundi, & vniuerſi orbis omnibus admiranda fabricæ ab Optimo & Maximo Deo, quæ ſedes, & hominum per innumerabilia ſecula domicilium futurum eſſet, Poetę ſtatim cum reliquo animantium genere exorti ſunt. Qui rerum omniū, ac tanti operis architecti incredibilem, diuinam fabricandi artem, ſolers ingenium, admirabilem potentiam, agendi maximam celeritatem, operis perfectionem, pulchritudinem inexplicabilem, prætermodum admirandam, & omnibus ſeculis contemplandam, quibus hæc machina ſtaret, voce, & quadam rei teſtandæ cupiditate, quæ illorum pectora titillabat, concinerent. Hinc, vt ſacræ literæ teſtantur, Cainus, & Abellus fratres primum orti, & adulti Deo ſacra fecerunt. Quam rem modulatione carminis apud Hebræos fieri ſolitam legimus, accepimus, didicimus, & nunc confirmamus. Genus hoc quoq; ſacrificandi Abraas cognouit, accepit, probauit, & ſecutus eſt. Voce enim & ipſe ad numerorum comprehenſionem, & perfectionem firmata, Deum in ſacra

aduocabat

adnocabat. Apud eoſdem Hebræos, (hic prætereo multa ſecula, quibus in ſacris celebrandis, diuiniſq; laudibus cōcinendis innumerabiles Poetæ floruerunt) fuit & Moſes vatum maximus, & optimus, qui ſacrorū vſum iam tribus millibus annorū, & amplius, completis à rerum conditarum exordio, & creatarū principio, à maioribus inſtitutis, nouis, & auctis Cerimonijs ad numerorū cantilenam amplificauit, integrum & perfectum ſuis poſteris reliquit. Ad cuius canendi, & conſecrandi conſuetudinem ab illo penitus perfectā, & abſolutam, reliquæ in vario terrarum ambitu ſitæ gentes, & nationes dijs ſuis, quos ignara hominum antiquitas veræ Religionis ſibi Deos effinxit, ſacra inſtituerunt, & inſtituta carminibus fecerunt. Babilones enim qui Chaldaicam gentem legum moderatione gubernabant, quorū Nembrotus Imperator viſo in aere igne, quem Deum exiſtimauit, ſacra inſtituit, ſacerdotes ad Deorum laudes concelebrandas, qui Carminum concentu hymnos Dijs ſuis concinerent, creauerunt. Poſteri quoq; Regis ſui inſtitutum ſecuti ſunt. Legimus & apud Aſſyrios, gentem alioquin ferociſſimam, & Barbaram, bonorumq; morum inſolentem, & rudem, hunc ſacrificandi morem per ſacerdotes fuiſſe. Mox hæc conſuetudo maxime probata, & à pleriſq; iam accepta per totum terrarum orbem vagari cœpit. Hinc apud Græcos Linus, Muſeus, Orpheus maior, Muſei filius, vt ſcriptum legimus, viguerunt. Apud Thraces Orpheus, (Romanos Poetas, vt minus antiquos taceo) minor floruit. Quorum diuina carmina Deorum myſteria, & arcana complectebantur, quæ inuolucris, & integumentis quibuſdam abdita, & tecta (tantam enim vim, & tam cœleſtem

prodi

prodi nolebant) hominum alioquin acutiſſimorum mentes obſcurabant. Id quod non nullis occaſionem & anſam dedit, vt oībus criminationibus ſanctiſſimos Poetas inſectarentur, quorum fabulas cum non intelligerent, illos maxima detrimenta humano generi attuliſſe dictitabant, idq; literis tradere minimè verebantur. Quod quàm inique, & iniuſte, libidinoſe, nefarieq; fecerint, mox docebo, cū vtilitatem, quam maximam ex Poetis Deorum interpretibus, & ſacerdotibus, capimus, intellexerimus. Viderunt & illa antiquiſſima ſecula Homerum, Theochritum, & Heſiodum, quorum licet ſimplex, & nudum carmen videtur, tamen altius intuentibus, occultiſſimarū cognitionum res cognitu haud indigne ſeſe illorū ſcriptis explicant, & aperiunt. Homerū certe quantum peritiſſimi quiq; admirentur, & obſeruent minime obſcurum eſt. Cuius admirabilis doctrina, & colenda induſtria illos vberrimos, & ſaluberrimos, maximeq; copioſos, & fœcundos fructus peperit, quos ſi humana conditio cognoſceret, Philoſophia nequaquam egeret. Hic enim tanquam Prometheus, qui ignem quondam è Cœlo in terras ad vſum hominum (vt Poetæ fabulantur) detulit, è Deorum arce, & Palladis altiſſimis tectis profectus philoſophandi, recteque viuendi rationem mortales docuit, inſtituit, & in eorum ſinu, atq; pectoribus illam repoſuit. Quid enim eius pulcherrimi libri aliud habent, quàm iuſti, & iniuſti acerrimam diſceptationem, & vtriuſq; magnam concertationem; & diſcrimen, quod & ijs liquido apparet, qui in Homero, & in Platone aliquot horas verſantur. Et hic Poeta nobis per antiquus eſt. At dicet aliquis, cur igitur eius aliquæ fabulæ non Athenienſibus receptæ ſunt, vt vincula

matris à filio iniectæ, filium è Cœlo à Patre præcipitatum, & multas huius generis. Non id inficiamur. Verum quam perſonam ſuſtinet in eo pulcherrimo ſermone præſtantiſſimus ille Philoſophus? Nempe Reip. compoſitoris, & totius Ciuitatis morum Magiſtri, in quam præceptorũ facilem ſeriem, & legum non obſcurum ordinem, non erat, vt hic grauiſſimus legum lator Poetarum fabulas obſcuriſſimas, allegorijsq; maxime implicitas insereret. Hic ſanctiſſimus legum ſcriptor non Delphicas voces ferebat, non Ammonis oracula proponebat. Non Dodonæas quercus edebat, nec Sphingis enigmata tradebat, ſed cuiq; intelligenda proferebat. Ne ergo imbeciles adoleſcentiũ mentes obſcuritate fabularum caperentur, & tanquam inexplicabilibus laqueis irretirentur, cauit, propter imperitã multitudinẽ, ne Homeri aliquæ fabulæ admitterentur. Quas ſi per ocium liceret, ſingulas interpretarer, & tanquam velo ſublato aperirem. Verum ne oratione nimis longa vobis moleſtus ſim, vnde digreſſus ſum reuertar, (hoc tamen loco ſuo diffuſius agemus.) Hunc igitur maximũ vatem ſacris, & donis iras Deorũ placandas cenſentem admodum antiquum habemus. Taceo breuitatis cauſa, temporis mihi nimis intempeſtiuis anguſtijs præpeditus, ac intercluſus innumerabiles alios nobiliſſimos Poetas, qui primis illis ſeculis florentibus viguerunt. Et quo genus hoc diuini ſeminarij antiquius eſt, quin eò nobilius, & præſtantius ſit, nemo niſi extremæ inſaniæ ſit, mihi hoc inficias ibit. Vt enim ciuitas cùm aliqua de principatu, & dignitate contendit, ſi præter cętera vetuſtate quoq; alteri præſtat, quod ſummi Viri hac de re, non minus doctè, quàm ſapienter agentes, docent, quo hæc excellentior, & hoc

M dignitatis

dignitatis gradu melior prę ponitur, ſic ſe quo reliquis eſt inuentione, & alicuius rei cognitione prior, ſumma cum dignitate retenta, cò præſtantiorem illam cum maximis viris dijudicamus? Sed quid hac de re diutius vobiſcum ago, & pluribus diſſero apud te præſertim Antoni Treche, qui hæc omnium maxime, & optime nouiſti? Recordor enim te alias de Poetarũ, & antiquitate, & nobilitate diſſertiſſime mecum diu egiſſe, cum in hunc ſermonem forte incidiſſemus. Ex qua doctiſſima tua Oratione, & elegantiſſimo, teq; & maioribus tuis digniſſimo ſermone, hæc omnia ferè, quæ de Poetarum antiquitate, dignitate, myſterijs ocultis diſputo, excepi. Sed hæc de antiquitate. Nũc quam vtilitatem ij afferant, examinemus, vt maiori cũ admiratione illos proſequamur, & quantum his debeamus, ne ingrati tantorum laborum, beneficiorumq; immemores videamur, iſtorũ beneficia fatentes facile cognoſcamus. Sed hanc rem paucis perſtringamus, ne maximarum rerum implicatio, noſtrorũ animorum aciem perſtringat. Quid ergo Phaetontis miſerabilis caſus hominibus ſanæ mentis portẽdit? nône occulte, & prudenter admonemur (ne ſemper œdipos quæramus) nihil petendum, quod honeſtum non ſit, & quod facile concedi nõ poſſit? nec rerum imperito, alicuius rei adminiſtrationẽ temere tradi oportere, ne precibus aliquando victi, vnà cum furioſis, & inſcijs rectoribus præcipites ruamus? Quid Niſi crinis fatalis per filiam inſano amore correctam ſectio? Nône id nos edocet, nihil tam ſanctum, religioſumúe, & pium eſſe, quod veſanus, & perditus amor nõ violet, polluat, maculet, atq; funditus euertat? Quid illud Didonem diu caſtiſſimam, nouis, & inopinatis illecebris, fallacibusque

lenocinijs

lenocinijs capi, & ſui ipſius immemorem fieri? nonne quamuis prudentem fœminã diu fallaciter oppugnatã precibus ſuccumbere, & promiſſis inſidiatoris amantis deludi poſſe omnibus exẽplo eſt? quid rami aurei ope & auxilio ad aſperrima, profunda, & maxime tenebricoſa loca viri fortiſſimi profectio, & eiuſdem in priſtinã rurſus ſedẽ, ad ſuosq; ſocios gratus reditus? nihil profectò, niſi qui virtute ſeptus eſt quocunq; velit iter tutum, & expeditum illum habere? qui vero vitiorum catena colliguntur, quales Atreum, Thieſtem, Tantalum, & huius miſerimæ ſectæ pleroſq; alios in fabulis legimus, hos infernis hydris expoſitis dies, atq; noctes torqueri, nec receſſum inde miſeris impetrari diuturnis precibus, manifeſte apparet. Quid quoq; illa ventorum libera emiſſio, excurſio, & promiſcue concertatio, quæ mare ab infima profunditate ſubuertit? Nihil equidem nobis aliud affert, & demonſtrat, quam rationem victam, ſenſus ſubactos, appetitibus parere, & in eorum dominio penitus contineri. Quæ animi perturbationes niſi hominem illum inuenerint, qui forti, ac ſapienti animo ipſas ferat, ſuo arbitratu regat, coerceat, huc illuc eum, cui appetitus imperant, agunt. Neq; ille Neptuni auxilium vnquam impetrabit, niſi ſe ipſum cognoſcens, nubes, & caligines innixus fortitudini, & rationi, ab ipſo iam ſubacto, & in ſe reuocato, rationiq; animo penitus reconciliato detrudat, & in portũ vagantes naues ideſt ſenſus aberrantes reuocet, quẽ Sol exoriẽs comitetur, & sẽſus recta cognitio, in vnum colligat, & amice cogat, prudentibusq; dictis, comites rationis ſenſus, vndis ferè, & perturbationibus naufragos, & vix oppreſſos, & iacentes erigat, & conſoletur, qui vir maxime ſtrenuus, in ſumma arce, & ſpe-

cula reſidens, cum tempeſtatem penitus ſublatam, & cuncta pacata videt, quæ prius diſſipata, & diſſoluta erant, quiete cum ſocijs naufragio, omniq; periculo defunctis, ac liberatis cognoſcit. Hæc Philoſophia, quæ à Poetis exhauritur, quantam vtilitatem homini afflicto, & prope iacenti afferat, quis non videt cognoſcit, & experitur? Legantur Poetarum fabulæ, quibus Poetæ humanos ſenſus non obſcurant, ſed tanquam occultis myſterijs, & archana philoſophiæ adornant, & illuſtrant ijdem Poetæ. Id tum non obſcure apparet generoſi, ac nobiles auditores, quando vel Ariſtei, vel Dedali, vel Vulcani è Cœlo deiecti, vel matris catenis à filio constrictæ in Homeri commentum incidimus, multasq; alias fabulas, ad veram philoſophiam, & ad intimos amoris affectus eas deducentes exponimus, & declaramus. Neq; hanc vtilitatem Heroicis tantum Poetis acceptam referimus, verum & Tragicis, Comicisq;. Quorum cum parentes filiorum abſentiam deplorant, & huius generis incertos euentus anxio animo expectant, eorundem reditu lætantur, fęlici ſucceſſu gaudent, & vna omnes ſibi inuicem applaudunt. Quæ primo acerba ſunt, ſi aliquo animi ſolatio feruntur, tranquilla reddi poſſe demonſtrant graues Poetæ. In hac hominum vita varijs telis, & caſibus ſubiecta, ſi reperiuntur, qui ſe ipſos excruciant, nec illos deeſſe docent, qui miſeros, & calamitoſos ſolentur, curisq; leuare nitantur. Quod ſalutiferum ſolatium, & quietis remedium Philoſophia tota explicat, quæ in ſpoliandis dolore animis verſatur. Alij quoq; (Tragicos dico) cum riſus primum, fęlicitates ampliſſima regna, natorum ingentem turbam, ciuitatum maximum numerum, clientelas innumeras,

meras,

meras; antiquiſſimi generis incunabula, multorum ſeculorum familias,gentiles ſuos, auos, maximas, & domi, & foris copias, ingentes diuitias, ſummam lætitiam illorũ, qui hæc poſſident,explicant, inuidiam his tot; tantisq; commodis hominibus carentibus, & indigentibus mouent. Qui infimam fortunam ſuam deteſtantes,miſerias, quibus cõtabeſcunt execrantes, potentiſſimorum fortunas ſuſpiciunt, & ijs inhiant. Mox illarum euerſionem,natorũ interitum, regnorum exitum,tantæ fortunæ improuiſam,& repentinam mutationem, cum in vltimis fabulæ actibus exprimunt, terrorẽ omnibus incutiunt, & tandem nihil in humana vita,hominisq; fortuna tutum docent,niſi quod quiſq; ſibi philoſophia quaſi animorũ nutrice, & aduerſarum rerum medicamento ſalutari cõparauerit. Has quoq; Tragedias, & Comędias humanæ conditionis imagines, & effigies, cum Populi Latini, Græciq; fœlicem euentum referentes, tum vero Turni infœlicitatem, extremamq; ruinam,& Priami, totiusq; illius magnæ, & ingentis familiæ, durum, & improuiſum fatum exprimentes, apud eundum ſummum Poetam Græcum, & Latinum offendimus. Quam rem diffuſius hic agerem, ſi nunc illam harum rerum explicandi occaſionem nactus eſſem, qua id aſſequi poſſem. De His tamen ſuo loco non impigre agimus,quod vos optime noſtis præſtantiſſimi auditores. Cum hiſtorias, quas plurimas apte,ordine,cõcinne poſitas multis, varijsq; rebus refertas delectiſſimo Iudicio perpenſas apud ſummos Poetas, ſed hunc imprimis obſeruamus, cum inquam & diligenter hiſtorias attendimus,tũ maxime animaduertimus, & in his occultam, atque abditam philoſophiam ſumma cum veneratione deliteſcere.

Quid

Quid enim AEneæ nauigatio aliud nobis notat, & præſagit, ſi ad Philoſophiam cogitationes noſtras deducere, (id quod faciendum eſt) volumus, quàm hanc humanam omnibus malis, & periculis expoſitam peregrinationem noſtram? Ad quam fortiter ſuſtinendam, nullum viaticum Philoſophia firmius, diuturnius, ſecurius, & aptius reperiemus. Quod maxime animorum medicamentum, in AEnea viro laudato, & cordato fuiſſe cognoſcimus, qui multos annos fortunæ vires periclitatus eſt, & illas omni animi conſtantia fregit, ac debilitauit. Quid equi lignei Hiſtoria? Nonne hac admonemur hoſtium inſidias præcauendas eſſe? Quibus cognitis ciues ad arma conuocandos non minore voce (hic latet cuiuſdam noſtri amici furtum Domi noſtræ factum, prodetur alias, nunc per me ſit tutus) non minore inquam voce, quàm ſtentor ille Græcus Dux in pugnam compellebat Danaorum exercitum proſpicimus. Ij quoq; ſanctiſſimis legibus ſanxerunt, quæ fœdera inter pacatos, & communi iure iam viuentes populos ſeruari cæſo porco deberent, verbis fecialis magna voce prolatis, vt vnus quiſque ſuum tueretur, ne alteri iniuria fieret. Vnde natæ ſunt illæ maximæ religioſæ leges. Sepem ne extra terminos Agelli tui poſueris. Sacra ne violato. Quod Diuis oblatum eſt, ne fallacijs blãdis in tuam redigas poteſtatem; ſunt enim memores Dij fandi, atque nefandi. Sacrilegium ne commiſeris, quia nec furti ſuſpitione carebis. Qui veterẽ amicitiam violauit, cum eo noua non ineunda eſt. Inſuetus infamiæ, & contumeliæ, integritatis corporis, & animi conſcius, petulantes, & luxurioſos Nepotes ne pertimeſcat. Qui cum altero congreſſurus eſt, prius

ex

ex æquo, & bono vires ſuas metiatur. Patriæ conſulentibus, illamque adiuuantibus in Cœlo iam certum locum paratum eſſe. Peregrinus, & Incola nihil præter negotium ſuum agat; ſin ſecus illa veteri lege ab vrbe eijciatur. Qui in omnibus iure communi cum ciuibus non vtitur, hic nomen ciuitatis non ſibi arroget, & qui alias omnium mertium initam ſocietatem diſrupit, ne ciuis eſto. Huiuſmodi leges apud Poetas deprenduntur, & adiſcuntur, quas ſi mortales diligenter inſpexiſſent, didiciſſent, & ſeruaſſent, non tanto labore illas Philoſophi (quod à Platone factitatum obſeruamus) ex Poetarum libris collegiſſent, illuſtraſſent, poſteris omnibus neruis ornatas, & compactas, in ordinemque deductas tradidiſſent. In quibus colligendis ſummi, & maximi Philoſophi totam ætatem contriuerunt. Quod medius fidius maximam fidem facit, omnes & Hiſtoricos, & fabularum ſcriptores, legumque latores, & Philoſophiæ indagatores, rerumque abditarum magnos perſcrutatores Poetis fere omnia debere. Quem enim turba, & rerum turbulentarum confuſione, magnitudineque negotij, ita ſepiri, & obrui videmus, quin ſi Poetarum ali quod elegans dictum legerit, non ſtatim ad hilaritatẽ, animique tranquillitatem redeat, & priorem habitum omnium miſeriarum, curarum vt immemor deponat? Quam antiqui Poetæ ſint, quam ex varia cognitione rerum nobiles quantaúe ex ijſdem vtilitas capiatur, intellexiſtis. Nunc mihi reſtant ea refellenda, quæ ab impuro, & maleſano, maledicoque hominum genere ijs optimarum artium magiſtris, & præceptoribus obijciuntur. Quæ vbi confutauero, & vobis (vt ſpero) approbantibus refellero, ad Vergilij multiplices cognitiones

gnitiones me referam, quod huius negotij proprium eſt munus, & penſum. Aiunt ergo iſti literarum (ſi Dijs placet) maximi cultores (ne dicam elegantes Ganeones) & optimi patroni, morumque ſeueriſſimi Cenſores, & arbitri, ex omnibus vrbibus Poetas eijciendos eſſe, & domibus tanquam fanaticis hominibus interdicendum. Cauſam quare tam ſeuerum edictum diuulgauerint, ediderintq;, hanc afferunt. Quod ciuitates nouis fabulis, & fictionibus polluant, iuuentutem corrumpant, nullis proſint, omnibus noceant; O' inſignem, & memorandam pietatem. O' rerum indagandarum miram prudentiam, & inauditam; ſagacitatem; O' ſimplices, & caſtos, ò iuuandi admirandā cupiditatem. O corrigendorum morum ſeueram, cognoſcendam, & imitandam diligentiam, ò viros quibus in diſciplinam filios noſtros tradamus. Dicite quæſo boni viri, qui ſunt hi praui, diſſoluti, corrupti, cenſorum virgis, flagellisque digni mores, quos afferunt in Ciuitates Poetæ, quibus indignis facinoribus maculant homines cuiuſque ætatis, qui vobis tam improbati, & reiecti, miſerique Poetæ, nobis verò, & reliquis bonis, religioſi, iucundi, grati, & admodū probati? Quæ iſta tanta labes, & tam inſignis macula euitanda? Ne fortaſſe bonorum animos docto ſuo ſermone, elegantique oratione, grauibus ſententijs inficiat? Num quia inducunt Gigantes Dijs bellum intuliſſe, & montes montibus impoſuiſſe? Iouem in varias ſe formas vertiſſe? Mercurium aliquando armentis præfuiſſe? Thracem Poetam ab inferis lectiſſimam vxorem cantu reuocaſſe? Eundem ad cantilenam ſuam montes, & flumina commouiſſe? Somniorū geminas portas ſcriptis tradidiſſe? Deos ab hominibus vulneratos

tos fuiſſe? O'rerum occultarum, & reconditarum inſcitiam, quæ multos in eos errores trahis, vnde non facile ſeſe homines explicare poſſunt. Vtinam Gigantes, ideſt impuri homines, naturæ repugnantes, & penitus aduerſantes bello Deos non laceſſerent, maledictis in pugnam non prouocarent. Melius enim nobiſcum ageretur, non tot bella pateremur, nó fame aliquando contabeſceremus, non peſte necaremur, non deniq; tot, tantisq; malis affligeremur. Deos propitios, & votis noſtris obſecundantes haberemus. Quos propter aſſidua maledicta, & iniuſta bella, quibus illos ad indignationem prouocamus, iratos ſentimus, & vim illorum, potentiamq; experientes quottidianis, diuturnisq; malis victi ſuccumbimus. Quam bene quoque cum vniuerſis mortalibus ageretur, ſi Iupiter in aurum, & pecuniam multarum rerum, voluptatumq; magnarum effectricem non ſe conuerteret. Non enim tot corruptores, & corrupti inuenirentur, qui ſpecula quaq; minima pellecti, vrbes munificentiſſimas, opulentiſſimasq;, & locupletiſſimas, maxima, potentiſſima, & florentiſſima règna hoſtibus produnt. Nec (quod maxime dolendum eſt) Europa famam ſuam amiſiſſet, nec dolo, fallacijsq; ſtrigum in bouis formam animalis ad iugum, & ad labores nati verſa fuiſſet. Vtinam nec Poetæ, ſcientiarum multarum peritiſſimos, qualem Mercurium accepimus, cognouiſſent à potentiſſimis neglectos, in ſeruitutem redactos fuiſſe. Poetæ enim Mercurium armenti paſtorem non agnouiſſent. Hæc, & huiuſmodi fabulæ humanæ vitæ rudimenta, ſi ad illam ſententiam ad quam Poetæ accomodabant, relata fuiſſent à Poetarum obtrectatoribus, non horum inuidorum, & tantæ laudis calumnia-

N torum

torum, tot nugas, & puerilia commenta, anuumq; fanaticarũ delirationes legeremus. At qui dicunt iſti Plato vir ille mendacij expers, & fraudis inſolens, rerumq; publicarum maxime ſtudioſus, morum diligẽs ſeruator, ciuitatum amator, cenſet Poetas ex ciuitatibus expellendos. Quid? eandem cantilenam audio. Cenſemus & nos. Sed quos ò boni viri per anſeres, & catellos eiuſdem Philoſophi hoc edicto Platonis notari credimus? inutiles certe, malos, aſotos, pernicioſos, voluptatisq; doctores, quos plurimum ciuitatibus bene inſtitutis obeſſe ſcimus, impijs, & impuris ſuis carminibus. Nec tantum ex ciuitatibus huius generis Poetas detrudendos iudicamus, verum & in vltimas gentes ſancimus, denuntiamus, & arbitramur. Nec tantũ huiuſmodi Poetas vrbiũ ſentinas, & peſtes, verum & quoſq; ſceleratiſſimos, impuriſſimos, maledicentiſſimos, & reliquas vrbis quiſquilias, & emiſitias expellendas, eijciendas, exterminandas cenſemus, iudicamus, contendimus. Quod genus hominum omnibus vitijs infectum magis ciuitatibus, & ſuccreſcenti ætati officit, quàm quodlibet genus Poetarum illorum, quibus Plato grauiſſimus auctor vrbibus, & omnibus bene inſtitutorum tectis interdicit. Verum quanto amore, quanta veneratione, & reuerentia illos proſequi debemus, qui doctrina, & ſapientia contendunt cum philoſophis, nec mediocribus, ſed maximis, & longe omnium principibus, quantum ijs inquam debemus, quorum præceptis, & ingenio ciuitates, populi vniuerſi, leges cognouerunt, & condiderunt, quorumúe labore, ſcientiaq; eruditæ fuerunt? Cum præſertim legerimus ab Homero totam Græciam eruditam, & optimos viuendi mores accipiſſe. Quanta

quoq;

quoq; excellentia, & præſtantia ij cæteris mortalibus præſtant, conſuluntúe, qui præter eruditionem, qua multum hominibus profuerunt, hymnos in Deos, & in optimos viros laudationes cecinerunt? Quid illa apud eoſdem Poetas, quantæ admirationis, quantæ induſtriæ, quantæúe celeritatis caſtra, foſſis, & agere puncto temporis munire, quoſq; fortiſſimos armare, acies inſtruere, ductores exercitus in pugnam ſagatos prodire, illas ad claſſicum turmas, & cohortes forti, pugnaciq; animo ſubſequi, potius fortiter pugnantes occumbere, quàm niſi cũ Victoria ab armis recedere? In his digerendis, & adminiſtrandis, quos Archimedes quærimus? Quos Scipiones, Metellos, Paulos, Epaminundas, & Themiſtocles deſideramus? Si de iuſtitia agunt, quos Ariſtidas, & Catones imploramus? Si de ſitu regionum, & nationum moribus Poetas agentes ad interiores ſenſus adducimus, quos Geometras, quosúe Hiſtoricos multarum rerum peritos (qui vt ille) multas vrbes, variosq; populos, tanquam vniuerſum orbem peragrauerint nobis ſumma cum admiratione & deſpiciendas, & ſuſpiciendas proferunt habemus? Si fœdus, quos feciales ſacerdotes, quos patres patratos nobis quærendos putamus? Si quod eſt ſummorum Theologorum, & recte iudicantium, quibus pœnis impij afficiantur, quæ loca multiplex ſuntium turba habitet, & quos carceres frequentet, ſi quoque quæ premia bonis, & pijs dentur, quas ſedes, & domicilia incolant, qua perenni voluptate cum cœlitibus fruantur quærimus, ij nobis non minus docte, quàm ſeuere, & prudenter prodiderunt. Si deniq; (vt innumerabilia apud eoſdem ſcitu digna ſilẽtio prætercam) Syderum ortum, & occaſum, variamque eorundem

 natu-

naturam ſuſpicimus, quales Aſtrologos rerum arcanarum, & ſummæ cognitionis peruigiles, & acutos indagatores inueniemus, quanti illos faciendos exiſtimamus, vt quoque taceam mirifice in clypeis res diuerſi generis celatas? Qua in re nullus veterum ſcalptorum vel hic Malas, vel Micciades fuerit, cum his conferendus eſt. Qui in picturæ certamen cũ Poetis veniat nuſquam erit, des mihi licet Zeuſim, Paraſium, Pamphilum, Phidiam, vel ipſum Apellem, qui cæteris pictoribus longe præſtitit. Nunc contemnamus Poetas, quos loquendi nomen diuinitate quadam, non contemnendoq; ſtudio inueniſſe nullus, niſi antiquitatis, & bonarum artium expers dubitat. Quorum aureũ flumen quaſi ex pleniſſimo fonte, omnes, qui non aberrant à rectis ſenſibus, & qui aliquando de eorum puriſſima doctrina deguſtarunt fatentur. Ibunt ne mihi hoc inficias memoriæ à ſummis ſcriptoribus proditum fuiſſe muſas voce Poetarum quaſi loquutas fuiſſe, & Iouẽ non alio ore ſi cum hominibus verſaretur, loquuturum, quàm Poetarum? Neq; id ſine cauſa medius fidius. Sciebant enim doctiſſimi illi viri Poetas ex philoſophiæ penetralibus doctrinæ recunditam vim, qua plurimum valent deprompſiſſe. Admirabilis eſt cuiuſq; rei apud hos cognitio, quã non ex humano, ſed diuino pectore effundi maximi iudicij antiquitas exiſtimauit. Legimus enim Muſarum, Apollinisq; afflatu Poetas quaſi è Cœlo clariſſimo, non ex denſiſſimis ſiluis, & obſcuris hortis ad nos carmina, & Deorũ ſcita deferre. Non alia oratione ij certe Poetarum irriſores eſſent admonendi, quàm alias Athenienſes à ſacerdote illo apud Platonem Egyptio, quos non dubitauit dicendi grauiſſimo genere, & maxime aculeato carpere, quod

in

in ſumma rerum antiquarum inſolentia, & ignorantia verſarentur, qui rerum præteritarum cognitionẽ nullã haberent, quare fiebat, vt nec præſentes ſatis concinne explicarent, nec futuras ex præteritarum commiſſione comhrehenderent. Quo genere ratiocinandi concludebat eorum antiquitatis imperitia non multos annos Rempublicam priſcæ dignitatis ſpeciem retenturam. Id de Poetarum irriſoribus, & nos dicere poſſumus, quod Plato quodam in loco clariſſima voce de profanis diuulgauit, eos nihil putare ſenſibus comprehendi, niſi quod pugno tenerent. Quare cum diſputatione de rebus nõ omnibus notis inſtitueret profanos adeſſe nolebat, ne cum tantarum rerum ignari eſſent, riſu edito exibilarentur, & iam ſuſcepta diſputatio horum ſtultitia impediretur. Poeſim ergo concludamus vtilem, & neceſſariam omnibus eſſe, illamq; maxime ad Reſpublicas ſpectare, & ad vitam hominum inſtituendam pertinere. Quid enim Poetico furore, quos diuino numine afflatos ſcimus, & Deorum laudibus conſecratos legimus, ſanctius, præſtantius, diuiniusúe excogitari poteſt? qui cum illo furore diuino correpti ſunt Deorum res arcanas cum hominibus communicant. A' Dijs enim agitantur, & in furorem impelluntur. Quare cuicunq; fama curæ eſt, is in primis caueat ne Poetas maledictis laceſſat. Ne illi, quod Minoi alias euenit, contingat. Qui infamis Socratis Tragœdia, quoad vixit, apud omnes fuit. Heroas igitur ab omni vetuſtate acceptos, & probatos Poetas appellemus, cum Ennio ſanctos nominemus cum alijs ſacros, diuinos, altiſſimos, illuſtres, nullius doctrinæ expertes, ſcientiarum omniũ maximos ductores vocemus, cum omnibus bene de optimis Poetis ſentientibus Deorũ

munere

munere humano generi ad fontes omniũ doctrinarum recludendos conceſſos affirmemus. Mores noſtros in alienis perſonis effingentes, & vitæ quottidianæ imaginem exprimentes adamemus, colamus, & veneremur. Vt quod Philoſophi vel à natura ideſt à ſummo omnium rerum opifice, vel ab his edocti aperte tradiderunt, nos ex iſtorum quaſi integumentis, & velis, omnibus ſalebris amotis occulte excerpamus. His vt Theologis minime fallacibus pareamus, hos vt antiquarum rerum magiſtros, res quam plurimas ad memoriam noſtram reuocantes ſequamur, vt optimos Geometras circulos deſignantes, diligenter obſer uemus, vt Aſtrologos ſummæ eruditionis pluuiam, & ſerenitatem, turbines, & tempeſtates, cæteraque, quæ in Cœlo variam mutationem patiuntur nobis prius, quam hæc eueniant ſignificantes, quaſi in cœlum ſublatos ſummis laudibus proſequamur. Ij noſtri ſint ſcal ptores, & pictores, ij Patresfamilias, ij ſeueriſſimi, integerrimique iudices, ij noſtri ſint magni, & inuicti Imperatores, quos in pugnam ſequentes hoſtium caſtra capiamus, opima ſpolia detrahamus, ante currum captos hoſtium duces ouantes, & triumphantes ducamus, pacẽ in gratiam redire cupientibus concedentes, ſeditiones turbulentas ſedantes, colonias in diuerſis partibus ponẽtes, municipes ſuo munere nõ defraudantes, Remp. vel ad priſtinam formam, & dignitatem, reuocantes vel nouam cum ſuis legibus, & magiſtratibus, & diuerſis populis vna coaleſcentibus ſtabilientes, audiamus & admiremur. Si quæ ſupra diximus, & diligenter diſputauimus attente percepiſtis, exijs non mul tum bonum Poetam à perito, & ſancto philoſopho inter reliqua, quæ huic cum omnibus aliarum ſcientiarũ

docto-

doctoribus communia ſunt diſtare cognouiſtis. Quos inter ſi aliquod diſcrimen eſt, de antiquitate potius, quam de ſententiarum diſcrepantia, & viuendi ordine atque rectione erit. Hos vt Democritum, qui riſu humanam ſtultitiam deludunt, illos, vt Heraclitũ, qui fletu, & lachrimis miſerias noſtras teſtantur, & Academicorum inſtituto, taciturnitate indicant, & inuunt, veluti in aliquo loco occulto deliteſcentes obſeruabimus, venerabimur, & aſſurgemus. Nunc quid Poeta ab Oratore diſtet videndum eſt, id quod præſenti negotio maxime conuenire cenſeo. Ne cum Poetas, qui frequentes in manibus noſtris ſunt, & valde vtiles, atq; decori, & pudici, cum externi, & alienigenæ tum noſtri diuini Poetæ antiquam Poetriam exprimentes, Deiq; Optimi in humanum genus Pietatem, elegantiſſime, & ſapientiſſime declarantes, quibusque pręmijs, & honoribus cœlites à ſupremo, maximo, & optimo parente decorati ſint edocentes, ne inquam ſi aliqui audaces dixerint, hos virtutis neruos elidere, & horũ fabulas, enigmataque eſſe fugienda, tanquam poetarum extremas delirationes, & aniles cogitationes inultos patiamur. Quorum conſenſiones vbi cognouerimus, & in ſententijs eorum conuenientias animaduerterimus, Poetas non minus Oratores, quam philoſophos habebimus. Poetarum igitur, & Oratorum multa ſunt cõmuni laude, & ſtudio colligata. Docet enim vterque mouet, & delectat, quæ poetæ, & Oratoris magna laus eſt. Ex hominum doctorum, & literatorum communi opinione vterque eodem fere modo diſſerit, vterque nimia, Philoſophorum more, diſputandi ſubtilitate neglecta, pleniorem, magisque popularem, quam nimis ſpinoſam, nimisque acutam dialecticorum argumen-

tandi,

randi, & dicendi rationem ſectatur, & bene, recteque viuendi numeris traditis obſeruāt. Egreditur vterque à propria cauſa ad communē, latè, longè, diffusè vterque vagatur, & tanquam pulcherrimarum rerum pulcherrimos, ſuauiſſimosque flores colligens ex vberrimis, fœcundiſſimisq; campis excurrit. Ambo admírationes inducunt, vtrique amplificationes inopinatosque exitus habent. Sunt apud vtrumque verba ſelecta, & numero compreſſa. Quæ mirificarum rerum, verborum communitas, legumq; aſtrictio effecit, vt tam paucos bonos Poetas habeamus, quam vſq; quaq; commendatos Oratores reperimus. Quorum quam vera illa ſententia eſt, & ab omnibus laudati iudicij probata? Eſt Deus in nobis agitante caleſcimus illo, & illud ſpiritus intus alit. Quid ergo num eadem licentia in omnibus eſt, Oratori, quæ & Poetæ minime. Eſt enim Poeta Oratori finitimus, numeris paulo aſtrictior, qui tamen ante Socratem qui orationem ad pedum numerationem, ſtructuramq; orationis modulabatur, certos numeros non habebat, verborum licentia liberior. Quem vſum, & conſuetudinem niſi Traſymachus, & Iſocrates, quorum inuentum, & Ariſtoteles, & deinceps reliqui de ſoluta oratione agentes probauerunt, & ſequuti ſunt, induxiſſent nullis ex præcepto, numeris oratio conſtaret, & verborum tantum Poetæ, & Oratores, ſelectione, & vſu inter ſe differrent. Quæ de antiquitate, Poetarum maieſtate, vtilitate, quam boni Poetæ recte illos intelligentibus afferunt, de varietate, & differentia, quæ inter vtroſq; prius confutatis, quæ ab indoctis illis obijciebantur, deprenditur, quam tamen ferè nullam agnoſcimus, hactenus à nobis diſputata ſunt optime cognouiſtis.

Vt

Vt tandem me ad Vergilium, cuius diuinum opus hodierno die aggredimur, ijs omiſſis, quæ plurima dici poſſent, referam, & tempus expoſtulat, & maxima veſtra attentio mihi mirandum in modum grata, inuitat. Vt hanc quoq; igitur partem ijs libentiſſimis animis audiatis, quibus reliqua audiſtis, à vobis expoſco. Id quàm breuiſſime potero, expediam, ne vos longo ſermone defatigatos, triſtes demittam, quos hilares, & lętos liberaliſſime accepi. In Vergilio igitur cum doctrinam admiror, variarum rerum copiam contemplor, ingenij ſingulare acumen ſuſpicio, tū vero incredibili admiratione afficior, & cum tot, tantasque res verborum, & ſententiarum lumine, tantaúe breuitatis comprenſione deuinciri, vel potius explicari animaduerto, magis obſtupeſco. Taceo illa dicendi genera, quorum humilitate, mediocritate, grauitate, & Oratores, & Philoſophi ſua ſcripta adornant. Taceo & illos quatuor dicendi modos, quos Græci, characteres vocant. Quorum alij breuitate ſola contenti fuerunt, alij ſicitatem nō reſpuerunt, alij copioſo lętati fuerunt, alij pulchrum, & pinguem ſibi elegerunt. In quibus omnibus fæliciter exultat Poetæ Latinorum facile principis, Grecæ laudis maxime æmulatoris, admirabilis eloquentia, grauitas, & multiplex ſcientiarum genus. Illud non deſino admirari, vim naturæ ab hoc Poetarum Deo ita expreſſam fuiſſe, vt diligentius exprimi non potuerit, à pictore quamuis ſingulari, & egregio, ſiue ille Zeuſis fuerit, ſiue quicunq; alius ex ijs, quos ſummopere antiquitas admirata eſt. Rerum quoq; originem creatarum, & mox creſcentium conſideremus, vt quod verbis nos dicimus, id re ipſa ex iſtius oratione comprobari facilius addiſcamus.

O Rerum

Rerum confuſionem vna miſtarum illo rotundo orę, & periclis voce, atq; ſuauitate, tanta admiratione cecinit, vt omnes fere aſcribendo de eadem dicendi materia deterruerit. Nam primum exorientem prolem, & genus hominum vix tunc natum paſtoricia fiſtula ita eleganter expreſſit, vt ab rerum exordio paſtores vbiq; gentium, culturæ ignari, terrarum ſaluberrimarum frugum rudes, more belluarum, & ferarum victitantes, huius carmine peragrent, & vagentur non certe domicilij incolæ, & habitatores, non rerũ habendarũ, & cõparandarum ſtudioſi, atq; ſolliciti, quæ tum ad victum & cultum ſuum ſpectarent, tum ad natorum alendorũ, curam, & vtilitatem pertinerent, & rationis non inſolẽtes, vim tamen eius nõ ſatis ex illius dignitate cõprehendentes. Omnia illis primo illo ſeculo cõmunia erant, vt arua, & flumina, quæ vnà cum beſtijs paſcebant, & potabant, nec non & multa alia, quæ ad communem vſum habebant, ex quibus Plato multas leges in Republica Athenienſi ad ciuium ſuorũ concordiam ſcribendas operæ pretium eſſe duxit. Quæ legum ſolutio, & viuendi libera poteſtas, rationis expertibus à natura tributa eſt. Sed hæc vita homine indigna rationis experto, tunc illos ſpoliabat omnium rerum maxima cognitione. Mox ſucceſſit illorum altera ætas, qui agros colentes, & animos ſuos excolere cœperunt. Quorum vitia, vt priori multò melior, ſolertior, & magis induſtria, ita commendatior, & laudabilior. Hæc enim & præſentis, & futuri temporis rationem habebat, ſibi cauebat, parentibus conſulebat, natos reſpiciebat, familiam deniq; totam curabat, quæ nec tamen prioris vitæ cultum, & habitum penitus depoſuerat. Veruntamen in dies maiori cognitione

rem

rem ſuam adminiſtrabat. Hanc ſecundam ætatem, ſecundo nauigationis ſuo curſu, & telluris agricultione Poeta doctiſſime ſignificauit. Hinc ad perfectam, quæ tertia fuit, ætatem venit, quæ ab agreſti ferocitate, & tetro cultu meliori quodam fato, ad molem, ciuilemq; vitam, à ſummis, grauiſſimiſq; viris deducta eſt. Tunc vera domicilia, egregia ædificia, non teguria, & caſæ cuiq; nota fuerunt, agris cuiuſq; termini conſtituti, vrbes iam conuenticulis hominum vndique confluentibus, & conuenientibus ædificari cœptæ ſunt. Quæq; natio Rempublicam ſuam ſtatim cognouit. Leges hominũ ſanctiſſimam concordiam, tenuiorum maximum præſidium, potentiſſimorum iuſtiſſimum vinculũ, improborum arctiſſimas catenas, ij quorum auctoritati, ſumma rerum communi ciuium conſenſu, demandata fuerat conſcribebant, in æs incidebant, paſſim legendas diuulgabant. Quiſque rerũ ſuarum euentu, quicunq; ille eſſet, & ſorte contentus in ſumma tranquillitate viuebat, cum quia quorſum elaborarent, cognoſcebant, tum quia rerum omnium fabricatorem, & moderatorem Deum, & ex hac eleganti machina agnoſcebant, & ex cultu religionis in dies magis creſcente venerabantur, erectiſque aris, religione ferè vera conſtituta ſacrificabant. Penates Deos quæq; ciuitas ſibi deligebat, lares colebat, domeſticas aras ſibi erigebat. Quantũ pro patria vel ſeruanda, vel alio deferẽda, ſi fatis volentibus, natiua, & prior florẽtiſſima excideretur, vnicuiq; vigilandũ foret lege quoq; ſanciuerũt. Hinc illę Reſp. veterũ ampliſſimæ, optimis inſtitutis fundatæ, prudentiſſimorum hominum conſilio, atq; auctoritate conſtitutæ, in quibus excellenti virtute, & animo, viguerunt clariſſimi

Duces, & optimi ciuium ſuorum rectores, & vigilantiſſimi ſeruatores. Ad quarum egregiam formam hic maximus Poeta ſuam Rempublicam effingit. Quæ quanto cum labore, & virorum fortium induſtria conſtituatur, ex ſuo ad laborem, & periculum AEnea nato exprimit. Hunc ſiquidem fere naufragum Chartaginem adducit, Barbarorum patriam, & truculentiſſimorum incolarum ſedem, vbi Deorum nomini Troiano infeſtorum, & ſacra, & templa erant. Quas tamen immanes gentes, quæúe numina ſibi inimica, nominis fama, & virtute, qua multum valebat, corporisq; pulchritudine, qua cæteris præſtabat, iuſtitia, opinione, & exemplo, quæ potiſſimum ad perfectum Imperatorẽ ſpectat, gregisq; paſtorem, vt inquit ille, ornat, Vir Troianorum, qui patriæ exuſtæ, & euerſæ, incendioq; vaſtatæ ſuperfuerant, magnanimus ductor leniuit, & mitigauit. Virtuti enim quæ vix nunc apud ſuos tenuẽ locum habet, apud Barbaros, ampliſſimus locus ſæpe numero eſt. Mox à Didone liberaliter ſuſceptus, nouis quibuſdam lenocinijs, & illecebris pectus fœminæ pupugit, & exedit, quæ victa, & tanto viro ſubacta, maximam ei ſpem iniecit. (Quis veſtrum ignorat multa hic cognitu digna deliteſcere, quæ nunc conſulto prætereo) illum populum ampliſſimum, & fortunatiſſimum, & maxime pugnacem, non ſtipendiarium populo Romano ſolum futurum, ſed vna cũ maximis, & fortiſſimis, maximæq; obſtinatis ducibus ſuis ſubactum iri, & poſteris imperij Chartaginienſis extincto nomine, quod multos annos dignitatis, & amplitudinis Romanæ æmulum fuit potentiſſimis Romanis pariturum, id, quod rei euentus docuit. Quam AEneæ Rempublicam inſignis Poeta tanto laudis præconio,

tanta

tanta iuſtitiæ commendatione, tanto virtutum genere complexus eſt, tanta viri celebritate, & nomine, qui hanc Rempub. ſuſtineret, & regeret, circumſcripſit, vt difficile ſit illam Rempublicam inuenire, nec parui laboris talem, tantumq; virum reperire, qui & virtute bellica excellat, religione præſtet, in Deos pietate inter cæteros emineat. Quod vtrũq; munus, & graue onus, niſi ſit, qui proxime ad Deos accedat, haud ſuſtinere poterit, in quorum altero Romulus, & pleriq; vel Reges, vel conſules apud Romanos floruerunt, in altero vero Numa, & nonnulli alij, tum apud Latinos, tum apud Græcos ſumma cum laude enituerunt. At nemo excepto duce Troiano in vtroq; laudatus viguit. Et quo difficilius in tanto terrarum orbe, & ambitu huiuſmodi Rempublicam & talem virum reperiemus, tanto maior illius populi laus, & lætitia erit, qui & tali Republica, & viro tanto merito gloriari poſſit. Nobis igitur Antoni Treche quodammodo gloriari licet. Hæc enim Reſpub. noſtra habet non minus excellentes, ac præſtantes viros, illa bene, prudenter, fortiterq; recta, & gubernata AEneæ Repub. pro qua ſi vnus AEneas vigilabat, pro hac noſtra innumerabiles (neque hic patrem tuum, patruoſque huius patriæ fortiſſimos propugnatores apponam) tum domi, tum foris vigilantiſſimi viri excubant, quos ſingulos, vt hic referam tempus præſens non patitur, nec ſermonis noſtri diuturnitas, cui iam aueo finem imponere, ne cum beneuolentiam veſtram mihi quæram, vobis faſtidio ſim, ſuffert. Vnum tantum veſtra cum bona venia nominabo, in quo ſpes noſtræ omnes ſitæ, & poſitæ ſunt. Quem noſtrum AEneam, quo nõ alter iuſtior, nec pietate grauior, merito, appellare poſſumus. In quo vno

&

& actiones, quæ corporis ſunt, & cognitiones, quas philoſophi ad animi contemplationes, & mentis imperia referunt, nunquam cum res expoſtulauit deſideratæ fuerunt. Quarum vnam vt Homerus in Achille Græcorum fortiſſimo, alteram in ſuo Vliſſe poſuit, ita hic in AEnea ſuo, poeta ingenio, & iudicio maximo excellens, vtranq; prudenter collocauit. Nos & in Comitem Brocardum Ciuem noſtrum, actionem, qua nunquã corporis laborem intermittens, egregie viget, à Dijs immortalibus collatã cernimus. Hic enim aſſidue pro patria hac, ad oſtendendam nobis hanc virtutem re ipſa elaborat variarum quoque rerum cognitio, à natura ei data, induſtria aucta, quæ virtutum animi maxime index eſt, iſtum nunquam â pulcherrimis cogitationibus reuocat. Ex quarum duarum virtutum excellentia ſibi multos inuidos comparauit, non multos pares, vel potius nullos habuit. Huius vero Achates Reſpublica hæc, pro qua nullos recuſat labores, cuius ſemper extat fidiliſſimus cuſtos. Et vt ille ſemper cũ ſuo AEnea, ita hæc in cõſilijs capiundis pro communi ſalute, & dignitate cum ſuo Brocardo eſt. Huius præſtantiſſimi viri de antiqua familia vt aliquid agam, domus inſigne antiquiſſimum me admonet. Infans enim exanguis ore proſidit, quod preclarum inſigne Alexandri Macedonum Regis maximi fuit, & aliquando Regulorum noſtrorum, quã rem, & rei notam nunc quoque in publicis parietibus, & impreſſam, & pictam cernimus. Hanc veterem familiam à Perſeo, vel à regione, cui iſtius maiores præfuerint denominatam fuiſſe crediderim. Huius patres, & ſuperiores, vnde hic oriundus eſt Neapolim profecti virtutum ſuarum inſignia nulla temporis, vetuſtate

anti-

antiquanda, in illa nobiliſſima, & antiquiſſima vrbe reliquerunt, quæ innumerabiles excellentiſſimos viros per omnem temporis, & ſeculorum omnium ſeriem in domo hac illuſtri viguiſſe teſtantur. Illic monumenta, & epitaphia maximorum domus perſicæ virorum, & Heroum, leguntur. Illic Trophea ab hoſtibus erepta cernuntur, vt ab illis accepimus, qui vrbem illam aliquando adierunt, templa viſerunt, illic monumenta in diuerſis vrbis locis poſita leguntur. Quorum & hic ſtimulis incenſus, & laudis auitæ æmulatione inflammatus, quæ tantum in omni ſtudio; vel communiter, vel ſeparatim valet, vt quoſq; vel inertiſſimos; maximeq; ſocordes, & ignauos, delicatosque ad ſtrenuos, duros, difficiles, magnosq; labores, ex quibus ij magnam conſequantur laudem erigat, nihil antiquius ſibi fore duxit, quam decus per maiores ſuos partum; vel retinere, vel augere. Pulchrum eſt enim domi habere preclarorum virorum exempla, quos in eodē ſtudio gloriæ æmulari poſſis. In quo induſtriæ curriculo ne hic à ſuperioribus ſuis antiquæ probitatis maximis exemplis degeneraret, hic omni ætatis ſuæ ſpatio ſe continuit, vt à via iam per ſuos maiores trita nihil deflexerit, vir tantæ continentiæ, vt merito cum Fabritio, & Curtio conferri poſſit, tantæ vigiliæ vt à nullo vincatur. Ita vero laudis & honoris ſtudioſus, vt illis ſolis inſeruiat. Quibus rebus admonitus Rex noſter & Regum omnium optimus, & maximus, vt illum magis ad gloriæ iter, & ad laudis viam iampridem incæptam inflammaret, multis præmijs, & honoribus affecit, cumulauit, & ornauit. Cui maiora daturum hunc potentiſſimum regem, quibus ciuitas hæc æterna memoria decoretur, hinc conijcimus quod nullum Rex ipſe

hoc

hoc chariorem habet, & in eum huius beneuolentia in dies magis creſcit. Sed quid agimus? Eius ne legationes prӕteribo? Melitam per hunc ſeruatã tacebo? Non profectò, ne eius laus ab vna actione ſed à pluribus profecta videatur. Quis igitur neſcit magni comitis Brocardi varias legationes, alias Neapolim, alias in Siciliam, alias in Hiſpaniam, alias ad Paulum Quartum Carafam, alias ad Pium IIII. Medicem, & proxime ad V. Pium ſummos, & ad religionem cultumque integerrime Dei Op. Max. ſeruandum natos Pontifices? Cui quoque obſcurum eſt, quanta animi temperantia pedites, quibus aliquando prӕfuit, rexerit, & in antiqua militari diſciplina, nullo eius imperium recuſante continuerit? Ad quos prӕterea cum exercitu, & ampliſſimo, & inſtructiſſimo ibat, non vt aliquem hunc è mortalibus intuebantur, & ſuſpiciebant, ſed vt aliquem ad mortalium, e Cœlo delapſum vtilitatem admirabantur, & omni animi veneratione proſequebantur. Si quoque cum ӕquitum Turmis, vel ad expugnanda hoſtium caſtra, & oppida, vel ad illos diſturbandos, vt ex aliena poſſeſſione deijciendos iuſſu, & mandatis Philippi Regum Maximi, & optimi tendebat, talem ſe gerebat, vt hoſti terrori, & formidini eſſet, ſocijs, amicisque ſummo ſolatio, omnibus ſuis, ex rerum fœliciſſimo ſucceſſu incredibili admirationi, tãdem ſi licet plurima breuiſſime complecti, ijs virtutibus ſine controuerſia & domi, & foris excelluit, iuſticia, prudentia, fortitudine, temperantia, munificentia, magnanimitate, quibus omnibus ad Deorum immortalium pietatem, ad Regis noſtri commoda & vtilitatẽ ad pauperum inopiam ſubleuandam, ad virgines vel paupertate oppreſſas, vel parentibus orbatas in

matrimonia

matrimonia honeſta collocandas vſus. Verum quid diutius in ijs, quæ in clariſsima luce verſantur moror? Quando hæc non minus nota ſunt exteris nationibus, vbi nihil niſi magnificum in hoc ſingulari, & cohortiũ præfecto, & Turmarum ductore, & fideliſsimo legato, & pio, liberalique viro deprehenderunt, quam nobis, qui Deorum benignitate, & talem ciuem, & patronum habemus. Huius per honorificam, & repentinam ad Melitam, quo tempore omni tormentorum, doli, inſidiarum, cuniculorũ genere, ab infeſtiſsimis hoſtibus, & prædonibus extrema opum vi, & totius Aſiæ maximo conatu oppugnabatur, qui eo miſſus fuerat ab Rege noſtro inuictiſſimo, profectionem taceo. Qui hoſtibus inuitis, & munitiſſimum locum, ſed fere tunc expugnatum vndique obſidentibus ingreſſus eſt, qui tum ab ordine equeſtri, cuius ordinis & hic primarius vir eſt, homo veteris Proſapiæ, multarum imaginum, plurimarum dignitatum, maxima animi conſtantia, vigilijs omni genere laudum celebrandis, defendebatur. Vix explicare poſſum quanta omniũ lætitia Brocardus ab ijs qui intus erant acceptus fuerit. Hic aduentu ſuo obſeſſis ſalutem attulit. Ex obſidentium manibus victoriã eripuit. Hoc certe paulo poſt huius aduentum euenit, vt hoſtis teterrimus, & truculentiſſimus terga verterit, & locus, ex quo ſalus totius Reip. Chriſtianæ tunc dependebat, & Dei Optimi Maximi beneficio, & militum fortitudine, & magni Brocardi aduentu diutina obſidione liberatus ſit. Quanquam tempus ad hoc iam perorandum, & quaſi quoſdam cancellos, quos habita dignitatis tuæ Antoni Trechæ, & veſtrarum occupationum nobiliſſimi auditores ratione egredi nolebam, mihi circumſcripſeram, tamen

cum mihi nunc ſuccurrat, & annis non multis ante in hac familia multos inſignes, & virtute pręſtantes viros fuiſſe, hos ſummo omnium præconio celebrari, non ſine deteſtabili ſcelere ſilentio, licet nulla temporis obliuione intermorituri ſint pterire. Singulari igitur doctrina Brocardus Perſicus & Orator, & Poeta mihi ſe ſe offert, qui & cauſas quamplurimas egit, & legationes ſanctiſſime ad varios, tum principes, Regulos, tum Imperatores, Reges, ſuſceptas perfecit. Principi Neapolitano vicem Regis in cęleberrima illa ciuitate ſuſtinenti gratus, domi, & foris clarus qui quoq; ſyderum cognitione omnes ſummæ doctrinæ viros in eum ſolum tanquam nouum Mercurium, & Athlantem ora, vultusq; conuertere coegit, & huius patruus, qui vix in tot, tantorumque virorum numero mihi exciderat, Marcum dico, non omittendus. Hic enim equitum ductor fuit apud Ferdinandum Regem, quas ingentes turmas tanta facilitate, vel potius fœlicitate rexit, vt nullus eſſet in tam præclariſſimo ordine, qui non iudicaret illum non magiſtrum equitum, ſed egregium dictatorem. Alfonſum vero qualem in ſummo iuuentutis flore accepimus? qui vix pubertatem egreſſus tantum ſpecimen probitatis, conſilij, fortitudinis, modeſtiæ dederat, vt poſſet conferre cum quouis præſtantiſſimo Duce & maximi exercitus rectore, & quolibet religioſiſſimo continentiæ magiſtro. Sed heu miſerande puer, vtinam fata illa rupiſſes, tu Perſicus nobis futurus, qui cunctando rem collapſam reſtitueres. Quis hic lachrymas amantiſſimi ciues contineret? Fecit omni ſeculo dolendam huius morte dignitatis futuræ, quæ ad ſupremos maiorum ſuorum honores, per hũc redibat, iacturã hæc illuſtriſſima familia. Gulielmum

lielmũ & animi fortitudine, & corporis robore excellentiq; virũ conſilio nouerunt patres veſtri prĉſtantiſſimi auditores, nouerunt & illi, quorum opimis, & ſuperbis ſpolijs onuſtus, quæ poſtea hic omnibus ornamentis, & laudibus præditus ciuis in publico armamentario, quam rem loco triumphi habuit repoſuit. Res hæc omnibus nota, illuſtriſſimis quoq; annalium monumentis teſtata, nulla temporis obliuione antiquanda extat. Hic taceo quibus de populis triumphauerit, ne cicatrices iam obductas refricare videar. Hęc recentia, & patrum noſtrorũ memoria. Sed illud quantæ admirationi maioribus noſtris fuit? Gulielmum huius familiæ illuſtriſſimæ per antiquũ exemplũ Guidonis Raudij Mediolanenſis abdicati, & à prætura reiecti omnium Veronenſiũ conſenſu loco ſuffectum? Qui Annus fuit à ſalute generis humani Milleſimus Duc. Trig. Secundus. Neq; id tacuerunt rerum Veronenſium minime aſpernandi ſcriptores. Sed quid agimus? Noua mihi oratio, & quidem longa, vel potius magnus liber, præſtantiſſimi auditores exordiendus, & contexendus eſſet, ſi de tanta familia, tot, tantisque viris præſertim de Brocardo hoc noſtro, de tam liberali, munificoque Rege in eos, quos ex animi ſui ſententia ad res arduas obeundas, & magnas Reſp. regendas natos eſſe cognoſcit, mihi & libere, & copioſe agendum eſſet. Res ipſa omnibus patet & per ſe loquitur, multorumq; annalibus & ſcriptis conteſtata. Contentus itaq; & ipſe Comes, noſter nunquam ſatis laudatus maiorum ſuorum laude, egregiorumq; factorum, & virtutis ſuæ conſcientia, in eam patriæ vtilitatem, & ſplendorem ciuium ſuorum incumbet, quæ perennem laudem ſibi pariat gloriam, & nominis famam

mam poſteris,præſentibusq; & literis,& monumentis decorandum relinquat. Nos tantum virum admirantes, tot, tantasque virtutes huius viri ſuſpicientes, in eorum conſilio, atque auctoritate conquieſcemus, quibus ſapientiſſimis, & fortiſſimis ducibus omnium generum virtutis inſignibus decoratis ad Italiam,ideſt ſempiternam nominis Cremonenſis famam,per varios caſus, per tot rerum diſcrimina tendimus,iuuentutem hanc Cremonenſem turpitudinis, ignauiæ, inertiæ, infamiæq; inſuetam, ad auitam gloriam adhortantes, & excitantes. Quod vt facile conſequamur,id nobiſcum diligenter Antoni Treche cõſiderandum eſt, quibus maiorum noſtrorum virtutibus Reſp. hæc floruerit, quanta cum laude, apud omnes, & populos, & nationes viguerit, quantam ſuis poſteris admirationem reliquerit, eorum rectione,& Imperio, grauiq; conſilio, qui iuſte, pie, ſapienter ſummam Reip. gubernarunt, quorum viam, & viuendi rationem vbi cognouerimus nobiſcum præclare agi ſentiemus, ſi illa iam impreſſa laudis, & gloriæ veſtigia inſiſtemus, & ad eam capeſcendam Fratres, patrueleſq; tuos optimæ ſpei adhortabimur. Quam rem & per ſe facturos non diffido. In ea enim nunc ſtudia incumbunt, quæ ad Reſpub. & ſtabiliendas, & regendas maxime pertinent. Ad hoc laudis ſtudium, ipſi & domus antiquitate, & genere nobiliſſimo, ac clariſſimo impelluntur. His ſtimulis laudum aguntur, in hoc pulcherrimo honoris ſtudio certatim continentur. Hac quoq; ſiti immortalitatis reliqua generoſa proles Cremonenſis ducitur. Huc vario certamine, tanquam ad olympia concurrentes omnes & animi cogitationes, & corporis actiones intendunt. Quare agite nobiliſſimi ciues, egregij

adoleſcentes

adoleſcentes, ſiue noſtrates, ſiue externi, qui quam plurimi optimo genere orti ad honeſtas diſciplinas capeſcendas, & liberalia ſtudia è tenebris eruenda humaniores literas indagantes huc conueniſtis animo connitimini, labore contendite, vt quam laudem à maioribus veſtris accepiſtis, quamúe tanquam laudis hæreditarium certamen defenditis, ad idem immortalitatis iter ætati veſtræ ſuccreſcentes incendatis, vt cũ ijs, qui iam cœlitum beatas ſedes adierunt, ſempiternam animi quietem capiatis, perenniq́ue lætitia, vnà cum ſuperis fruamini. Huc perpetua hominis tendit fœlicitas. Huc maximorum laborum exoptatus finis dirigitur. Hic honoris non fucata præmia bene de Republica meritis perſoluuntur. Hic quieſcit, qui ſibi cum immortalibus vitam communem ex animi perpetua agitatione, mentis actione, infinita rerum cognoſcendarum cognitione eſſe cognoſcit.

FINIS.

ORATIO QVARTA FRANCISCI ZAVAE

QVA LIBERALITATEM CREMO.

IN PARENT. MVLTORVM ILL. VIRORVM CREMO. DECLARAT.

NVNQVAM Rerum publicarum AEdificatores in quaque publica re informanda, ſtabiliendaque Ciues Cremonenſes tantum induſtriæ, tantumque laboris, & vigiliarum poſuiſſent, niſi animo, menteque prius concepiſſent, vnum quemque patriæ plus debere, quam ſibi, longeque illius ſalutem, bona, fortunas, omnia denique commoda, ſuis anteponenda fore exiſtimaſſent. Quiq; de illa bene merentur eoſdem proxime ad æterna beatitudine fruentes, perpetuumq; fæliciter æuum degentes, apud quos ætas ætati non obrepit, ad Deos accedere, ſiue bonitate naturæ, ſiue maiorum diſciplinis admonebantur. Vt enim ex maleficio ſupplicium ſummo cum cruciatu improbis, peruerſisque hominibus, vel apud homines ſeueriſſimos expectandum eſſe non ignorauerũt, vel apud Cęlites mortalium conſiliorum, nedum factorum ſpeculatores, rerumq; omnium AEſtimatores optimos, pœnam

nam ex commiſſo compenſandam crediderunt, ſic Reſpub. ædificantibus, adminiſtrantibus, illis bene conſulentibus, laudem, gloriam, laborum triumphos omnibus ſeculis excipiendos parari, communique bonorum conſenſu decerni perſpicue norunt. Hinc pericula quamuis grauia ſubire, non dubitabant, quæ præ patria decoranda leuia putabant. Sciebāt enim huic vitæ Naturam breue Curriculū circumſcripſiſſe, ſed gloriæ ſempiternam famam, ad quam comparandā ſumme enitendum animaduertebant. Et vt degentes vitam in deſidioſiſſimo ocio, ad id impellentibus inertia, & ſocordia vitiorum omnium nutricibus, blandisque perſuaſtricibus, quibus dominantibus via ad honores omnibus virtutibus clauſa eſt, nihil laude dignū conſequuntur, ita labore, induſtria, optimarum, ſummarumque artium ſtudio, & mentis ad gloriam ardore, ad difficillima quæque aciem animi, ingenijque ſui intendentes, nobis, ſequentibusque ſeculis virtutis ſuę innumerabilia exempla, eaque admiranda reliquerūt. Qui vt domos ſuas illuſtrarent, ſeque præclaris monumentis decorarent, Patriam ſuam memoriæ æui futuri prodiderunt, aliosque ad lucem vitæ his virtutis illecebris adhortantes excitauerunt. Hinc apud maiores, tum Græcos, tum Romanos laudis præſtantiſſimæ clariſſima exempla in templis, Compitis, in comitijs, in Roſtris, in Gymnasijs erectę illuſtribus, beneq; de patria meritis hominibus ſtatuæ ad iam induſtriæ, & laudum curricula decurſæ, adoleſcentes gloriæ ſtudio illectos perſequēda inflamabant, & quodamodo ad eadem virtutis indagandæ, honorumq; adipiſcendorum veſtigia impellebant, qui non ſolum elaborarūt, vt immortalitati ſuæ conſultum eſſet, ſed vt poſteros ad eā-

dem

dem quoque gloriam inflammarent. In qua re ſi tempus nos conſiſtere pateretur, eorum qui in vtraq; Rep. egerint, honoris flagrantiſſimos animos, ægregiosque conatus laborum incitamenta, ad id aſſequendũ, quod & ipſi aliorum exemplis moti ardenti animo cõceperant, non ſenſibus, ſed oculis veſtris diſertiſſimi Cremonenſes ſubijcerem. Cuius rei cum ſciam vos peritiſſimos eſſe, duxi ſatius eſſe ſuperſedere, quam huiuſce rei narratione aures veſtras offendere. Vobis igitur ciues Cremonenſes multum lætandum eſt, quod in ea Ciuitate Deorum beneficio immortalium, veſtrorum ſolertia, atque induſtria Maiorum nati fuiſtis, quæ nulli veterum præſtantiſſimæ, ſiue ingenij vbertate, ſiue excellentiſſimorum exemplis in omni ſcientiarum genere, virorum inuideat. Nam ſi armorum delectum requirimus, hic plures æquitum turmas, quam peditũ choortes in qualibet alia vel latiſſima, hominumq́ue pleniſſima ciuitate reperiemus. Hic Scipiones, Metelli, Pauli, Fabricij, Curij Bellatores, abſtinentesq́ue illi veteres non deſiderantur. Hic poetas Græcos, latinosq́ue, & florentiſſimos Oratores, eoſdemque grauiſſimos Philoſophos, huius fertiliſſimæ vrbis alumnos habemus. Hic venerandam Iuris conſultorum maeſtatem, doctrinam, mores, amplamque dignitatem ſuſpicimus. Aſtrologos, & Geometras, & huiuſmodi viros quã plurimos doctos hic admiramur. Non Zeuſides, ſtatuarios, pictores, Parhaſios, Phrygiones aliũde huc aduocandos, quod eorum egeamus artificio, & opere curamus. In horum omni genere hęc ciuitas abundat, & circunfluit. Nec de ſingulis generibus ſciẽtiarum, quibus hæc ciuitas cum ſemper polluit, nunc maxime pollet diſſeram. Vix enim quando in ham rẽ

inſiſtere

inſiſtere vellemus, Oratio noſtra finē reperiret, ſed eorum aliquos apponam, qui hanc Vrbem litteris, & armis, tum domi, tum foris illuſtrauerūt. Quod vt mecum facilius cognoſcatis, quando vel per ætatem eos non cognoueritis, vel eorum virtutem vix admirari potueritis, egregiorum imaginem factorū, vel potius ipſos homines repreſentabo. Ad quod audiendum, veſtram quam nulli denegare ex animi veſtri ingenuitate attentionem ſoletis, depoſco. Id quando mihi præſtiteritis, efficiam honeſtiſſimi Cremonenſes, ne vos huc hodierno die acceſiſſe pigeat, præſertim, cum me non lateat, pergratum vobis futurum, eorum memoriam referri, & in animis veſtris altiſſime reponi, per quos maxime hæc patria noſtra floruit, quo temporis ordine ij, de quibus dicturus ſum Remp. Cremonēſem decorauerint, nō ex dignitatis gradu, ſed fatorum ſerie, quorum inuidia tam clara lumina nobis extincta ſunt, ennarrabo. Neque ab Vrbis noſtræ exordijs, quibus varijs temporibus hic innumerabiles in omnibus ſcientijs claruerunt, incipiam. Id enim plurimas, & maximas rerum Cremonenſium Decadas exordiri, & inchoare, non tamen prætexere, & omnino perficere eſſet, ſed eorum tantum aliquos efferram, quos ipſi vidimus. Ioannes itaque Baptiſta Specianus præclare virtutis Cremonenſis exemplum ſeſe offert, quem Senatorem optimum, aut rei militaris peritiſſimū, vel omnium artium artificem dicam nō ſatis ſuo. Illum enim in ordinem patrum iam virtutis ſuæ multis factis periculis, totius conſenſu Senatus, Franciſco Sfortia, cuius ductu ſanctiſſimo, & auſpicijs ſumma Imperij Mediolanenſis, tunc adminiſtrabatur, annuente, cooptatum intellex imus, audiuimus, didicimus, & nouimus. Cuius

Q ius

ius in rebus ad Remp. pertinentibus, tanta fuit prudẽtia, tanta temperantia, tanta vis, & induſtriæ autoritas, vt illũ nemo merito, negligẽtiæ, ſeueritatis exactę, lenitatis nimiæ carpſerit, oẽs potius, & in primis totus Senatus, in cuius amplißimi magiſtratus ordine, & prĩcipibus hic erat, admirati ſunt, & ſummis laudibus in Cœlum ſuſtulerunt. Nec minore cum admiratione in Triumuiratu, (cum tamen & priorem dignitatem retineret) ſe geſsit, in quo ſẽper præ'ſe tulit omnibus bonis ſui deſiderium relinquendum eſſe, qui cum improborum patricidarum, ſicariorum, omniumque deniq; facinoroſorum oculos, & peruerſas cogitationes perſtringeret, nefaria ſcelera puniret, bonis præſidio ad vitam erat. Non in quẽpiã morte, vel alio aliquo genere pęnæ, leuius etiã, quam res exigebat, prius animaduertendum putabat, quàm ex conſcientia ſceleris crimina reum fatentem habuiſſet. Non vi, non dolo malo, quicquã agebat. Propinquitas, cognatio, amicitia, neceſſitas apud illum non tantum valebant, vt illis corruptus quicquam quod illius innocentia, integritate indignum foret committeret. Nemo diuitijs fretus ſperabat ſe poſſe illum, à Iuſtitiæ ſeptis abſtrahere. Nec quisquam ita tenui, & deſperata fortuna erat, qui non ſperaret ſecum optime agi, apud hunc ſanctiſſimum, & Senatorem, & Triumuirum, dũmodo extra iuſtitiæ regionem non ſibi diffideret. Non ad ampliſſimos hos Magiſtratus obrepſerat hominum errore, & imaginum fumoſarum commendatione, ſed illo virtutis curſu, & literarum ſuffragio, morum firmata opinione, quibus ad hos dignitatis gradus Speciani ſimiles venire ſolent, quando virtuti locus ſit. Franciſcho Sforcia inſubriũ inclytọ Duce, & maximo moderatore

deratore Magiſtratus, quos ſumma cum approbatione omnium geſſiſſe diximus, iniuit. Quo mortuo cũ hæreditario iure hæc noſtra Tetrarchia ad Cæſaris ſummi, optimiq́ue Imperatoris poteſtatem perueniſſet, nõ ſolum illos Magiſtratus obtinuit, ſed etiam Magiſtri æquitum dignitate auctus fuit. Cuius virtus, & morũ temperantia tam vtriſq́ue probata fuit, vt ab eorũ neutro repetundarũ crimen extimuerit. Et ab eius morte nihil non laude dignum, illiusq́ue celebrato nomine quiſquã audierit, ſed in ore oĩum, oculisq; ſemp̃ extiterit. Cuius funus Cremonẽſes memores tanti viri de patria ſua bene meriti, impenſa publica flẽtes, ac tãta dolentes iactura, lamentãtesq; cohoneſtauerũt, pro quo extat Tarteſij Oratio. Hic togatus talis fuit, vt omniũ in ſe oculos cõuerteret. Nulli.n.q̃ſtus, nullæ querelæ, nullæ lamentationes, nulla denique ſuſpiria audiebantur, Pacem, ocium, tranquilitatem, priuati, & Magiſtratus ſumma cũ animi hilaritate agebant. Quæ omnia cum ex Cæſaris præſcripto ciuibus cõciliabat, & conſeruabat, tum ex bonitate naturæ, quæ huic maxime fauebat, Specianus agebat. Nullius conſuetudinem recuſabat, in quo aliquid virtutis luceret, appareretque. Non opes, aut hominum diuitias, ſed animi dotes metiebatur. Audiui ego illius domum, hominibus cuiuſque generis doctis, ſemper refertam fuiſſe. Qui fortuna afflicti erant, hos ope ſuarum fortunarum ſubleuabat, qui vero bonorum illius adminiculo minime ſuſtineri egebant, illius affabilitate fruentes, ingenij acumen, oris facundiam, hominis comitatem, viri grauitatem, & auctoritatem admirabantur. Conſiliorum prudentiam, huius in omnibus rebus acrem animum diſpiciebant. Hęc in parietibus, & męnibus Spe-

cianus ille de ſe aſpicienda maxima cūm admiratione omnibus edebat. In caſtris vero, & in puluere, dum Alfonſum Vaſtium, qui tunc ad Cæſaris præſcriptum Mediolani principatum tenebat, vt Dictatorem Magiſter ęquitum ſequeretur, quale virium ſuarum robur, tum corporis, tum ingenij præbuit? Qui cum laborū, & periculorum illi ſe ſocium adiunxiſſet, in bello, ita operam dabat, vt earundem victoriarum laudem, gratulationum, in ocio particeps fieret. Bellum enim cōmune cum hoſte vtriuſque auſpicijs ſuſceptum gerebatur, vaſtius Principatum tenebat, tam domi, quam foris, ſed tamen nihil prius agebat vaſtius, quam hunc conſuluiſſet. Quot Galliæ Ciſalpinæ, Tranſalpinæq́; quæ tunc bello ardebant, Caſtella, Oppida, Vrbes, Cępit Vaſtius, totidem Speciani triumphos teſtificantur, & quod alibi gentium, à Principatu ſuo Mediolanenſi, Vaſtius fœliciter geſſit, id huic impertiuit, & cū hoc communicauit. Religione enim omnium officiorum hunc obſtrictum acceperat, quem decipere, fallere, ſupplantare nefas duxerat. Præſertim cum, à Cæſare ſummam omnium rerum tenente, in officio omni tempore permanendum didiciſſet. Hunc itaque omnes, qui eius faſces ſequebantur, vt aliquem, è veterū diſciplina habebant, & in aciem progredientem, vt Scipionem, & Metellum conſpiciebant, cum hoſte prælio dimicantem alterum Cæſarem, à Britanorum multitudine circumuentum admirabantur. Nec eum quiſquā à pugna, diſcedentem prius vidit, quam hoſtem in fugā conuertiſſet, vel penitus profligaſſet. Strage autē hoſtis ingenti audita, illorum potius calamitatem ingemiſcendam, quodam vultu oſtendebat, quam in tali euentu (quod plerique faciunt, rerum humanarū im-

me-

memores) gaudio exultandũ eſſe. In confertiſſimos vero hoſtes eo animo ſe conferebat, vt ſi quid humanitus ei accidiſſet, amore quo patriã proſequebatur, ſibi ferendum non recuſaret. Quod à Romanis antiquis, ab Epaminonda cum laude pro patria moriente, & à Codro Atheniẽſium Rege, factum in Annalibus ab his rerum geſtarum, vt priſcæ Hiſtoriæ ſtudioſus obſeruauerat. Huius lenitas ſine controuerſia, nec non & ſeueritas, tam hoſti, quam militi ſuo probabatur. Qui ſi quando animaduertebat aliquos auaritiæ libidine ductos, vel aliquo (vt in bello fit) crimine, militaris diſciplinæ, ſepta, & cancellos egreſſos, Pœna dignos, ad ſanitatem eos verbis adduci malebat, quam verberibus ad Cruciatum, ſatius exiſtimans, Cæſarem, ſub quo militabat, quã Poſthumios, Torquatos, Papirios, & huiuſcemodi ſeueriſſimos diſciplinæ militaris vindices, ſibi imitandum eſſe. Quod & Alfonſum Vaſtium, cuius nutui obſequebatur, probare non ignorabat, quando ſciebat Vaſtij eam animi manſuetudinem eſſe, vt nihil humani ab eius ingenio alienum eſſe putaret. Nec id temere. Nam ſi iſtos poſt homines natos audierat, vel potius ipſe legerat, tanta immanitate fuiſſe, vt nec quos genuiſſent imaginem vitæ, morũq; ſuorum ſimulacrum ignoſcendum exiſtimarent, nec ad filiorum ſalutem, Populi, Senatusque preces admitterent, eorum infinitum numerum extitiſſe animaduertebat, qui in filios, in ciues, delicto etiam deprehenſo, in hoſtes lenitate, non animaduerſione, ad Reipub. tamen potius maieſtatem, & ad ſuam laudem id referentes egerunt. Illi ſecuri liberis, ne dũ ſeruis, horrendo monſtro, imperium ſuum Ciuibus timendum coercebant. Hi vero animi bonitate, non acerba ſeueritate

poteſta-

poteſtatem ſuam mitigabant, & poſteris imitandā propagabant. Nec enim illud probabat, oderint dū metuant. Huic tam domi, quam foris Iuſticia admodum placuit. Quæ ab honeſti quatuor virtutibus non ſepararetur, ſiue ad veri perſpicientiam, ſolertiamque, ſiue ad hominum ſocietatem tuendam, ſuum cuiq; tribuendo, & in fide rerum contractarum, aut ad magnitudinē animi excelſi, inuictique, aut ad rerum omnium, quæ fiunt ordinem, & modum ſeruandum, in quo modeſtia maxime, & temperantia dominatur. Nihil incaute, omnia meditate agebat. Illud enim Chilonis à teneris obſeruauerat. Se quiſque cognoſcat. Rerum habendarum nulla libidine abſtrahebatur. Quippe qui eiuſdem ſapientiſſimi viri probatum dictum cognouerat. Ne quid nimis. Hæc cum à natura acceperat, tū literarum cultu auxerat. Nemo eſt in hoc celeberrimo, ac doctiſſimo cætu, nobis vel decenio natu maior, qui neſciat hunc varijs ſtudijs deditum fuiſſe, vt quod Scipio de ſe ſolitus erat dicere, hic etiam de ſe prædicare, nō dubitaret. Nunquam ſe minus ocioſum eſſe, quam cum ocioſus, nec minus ſolum, quam cum ſolus eſſet. Et hic etiam cum à Reipublicæ pulcherrimis muneribus requieſceret, motus à frequentia virorum, in ſolitudinem tanquam in portū delatus animum duabus illis rebus, quæ alijs langorem afferre ſolent, ocio, & ſolitudine acuebat, ſtudiaq; aliquando negotiorum copia intermiſſa reuocabat. Cum itaq; varia ſtudia nouiſſet, ea cum per ocium liceret exercebat, imprimiſq; dimetiendę terræ colebat, & ſecum cognitionem retractabat. Nam in metandis caſtris hanc imprimis nobiliſſimam artem perneceſſariam eſſe audierat, didicerat, vſu militari per ſe expertus erat, ab

alijs

alijs, à vaſtio præſertim rei militaris periciſſimo, cui operã dabat, (quod in bello euenire ſolet) acceperat, apud rerũ cognitores legerat, exhauſerat. Siquidem Plato ad rem bellicam hanc maximopere ſpectare aſſerit, ad ponenda caſtra, regionem occupandam, Turmas contrahendas, vel ex rei opportunitate, & cõmodo paſſim dilatandas, & ad cætera, quæ ad aciem dirigendam maxime ſpectant. Quam virtutem diligẽter, & induſtrie Cæſarem dictatorem ſeruaſſe, vt illius rerum geſtarũ contemplator aggerum, foſſarum, pluteorum, muſculorum, & cuiuſq; generis, munitionum, oppugnationumq; ab eodẽ ſumma induſtria deductarum explicareturq; ſtudioſus cognouerat, cum alias, tũ in illa ab omnibus cum admiratione accepta alexiæ expugnatione, quæ ad ſubigendam totam Galliam imperio Romano, Cæſaremq; tot victorijs potitum cũ paruo exercitu contra hoſtium millia innumera inter Deos referendũ vnà ſatis fuit. Sed quod magis in hoc homine mirandum videtur, id quod ab eius familiaribus accepi, Solis, & Lunæ defectiones prænoſcebat, multoque ante prædicebat. Cuius rei cognitionem à C. Sulpitio Tribu militum compræhenſam, Paulus AEmilius contra Perſen pugnaturus perutilem ſibi fore animaduertit. Quod hic in priſcorum monumentis legit, & cum hoſtibus dimicaturis conducere periculo ſuo didicit. Hunc denique nulla homine libero digna ars latuit. Egregiæque omnes virtutes, cum cæteris bonis ad eius liberos, patris nõ diſſimiles migrauerunt. Quorum numero ingenti domus illa illuſtrata fuit. Horum enim alij diſciplinæ militari toto animo ad Philippi Regis noſtri inuictiſſimi nutum, & poteſtatem ſe dediderunt, in eaq; magnanimas animi

vires

vires exerceant, ad Patrium decus ſuſtinendum. Alij iuris ciuilis, cuius non ignorant quam neceſſaria vis ſit, vel ad ciues ſuos defendendum, vel ad alijs conſulendum, cognitioni ſe tradiderunt, ad eiuſdem Regis decus, & ornamentū. Alij (complures enim reliquit) quos ex Magdalena Sacca primaria fœmina ſuſcepit, in diuerſis exercitationibus honeſtiſſimis ſe ſe acuunt, vt ex vna domo plura, diuerſaq; commoda ſibi Imperator noſter, & Rex Philippus ſortiatur, & Reſpublica Cremonenſis tantis virtutum adminiculis ſuſtentetur, decoretur, illuſtretur, vbiq; gentium virtutis nomine Paternæ collatur. Alij ſacerdotij dignitate, & amplitudine decorati Religioni ſe obſtrinxerunt, quorum vnus in rebus aulicis Borbmæi, Cardinalis ad Religionis penè labentis ſummam auctoritatem, & dignitatem confirmandam, retinendamq; proxime è Cœlo Dei Optimi Maximi nutu profecti, ab omni prorſus ambitione remoti honorifice verſatur. Ad vnum omnes Patrem, vt ſanctiſſimum exemplum imitantur. Tanti Patris virtus apud honoris, & laudis ſtudioſiſſimos filius fuit. Patrem ſibi præſtare exiſtimarunt imitari, in virtute domo ſua decoranda, quam alios in diuitijs comparandis. Scientes illam æternam, has vero breues, & caducas, & quo animus corpore quamuis valido, nobilior eſt, tanto pro illo magis laborandum eſſe, quam pro corpore. Et cum Specianus talis fuerit, qualem omnes in Rebuſpublicis ſuis deſiderant, hunc Appium amore in patriam, filiorum fœcundiſſima ſobole nominare poſſumus. Animo ille pro patria excubuit, & hic non pro ciuibus ſuis tantum, verum, & externis vigilauit. Ille cæcus amplam domum regebat, hic ampliſſimam, filiorumq; nobiliſſimorum

morum

morum refertiſſimam adminiſtrauit, ille Romanos ſoluit cæcitate vigilantiſſima. Hic prudentia, conſilio, oculorum vigore acutiſſimo; Mediolanenſibus, Cremonenſibus ciuibus ſuis, alijsque in Cæſaris ditione quieſcentibus cauit. Ille quatuor robuſtos filios reliquit: Hic octo robuſtiſſimis liberis domũ, patriam ad nominis ſui memoriam illuſtrauit. Plura de Speciano dicenda forent; niſi ad eum oratio me vocaret, qui gradu virtutum, ſcientiarumque eo faſtigij ciuitatem noſtram patriam communem vexit; quo in omnium ore, per omnes ætates ſit futura, in extremasq; orbis gentes Cremonæ fama, nomenq; huius virtute, & dignitate propagatum iam peruenerit. Hic, hic eſt Franciſcus Sfondratus ille, qui in toto vitæ ſuæ curſu miram ſpeciem probitatis futuræ oſtendit. Huius enim tenella ætas in omnibus, (vt ego ab eius æqualibus accepi) ad omnes optimas diſciplinas erudita, paulatim (vt fit) ad maiorum diſciplinarum gradus aſcendit. Pueritiam ita rexit, vt eius paribus inuidiæ ob literarum, morumque progreſſus eſſet, maioribus vero natũ magnã ingenij ſui expectationem excitaret. Quam ſpem nequaquam fruſtrabatur, in dies potius augebat, in quamcunq; nouam cognitionem, inuſitatumq; ſtudium incubuiſſet. Tantus erat illius vſq; à teneris diſcendi ardor. At his humanioribus ſtudijs omiſſis, ad altioris ſcientiæ meditationem ſe tranſtulit, breuiq; tantum in iure ciuili profecit, Pontificioque, quod nunc canonicum appellant; nam vtrunq; ſimul amplexus eſt, & in hac dignitatis Palęſtra, cumprimum ab humanioribus ſtudijs diſceſſit, ſe exercuit, vt leges veteres, recentesq; ante cognouerit, quam quiſpiam exiſtimaſſet, primoribus labris, (vt aiunt) illas atti-

 giſſe

giſſe. Natura illi nouerca non fuit. Exercitatione ea tamen fuit Sfondratus, vt ſi quid vitij à natura traxiſſet illud ſolertia, ſtudij aſſiduitate, non ſecus, quam Demoſtenes viciſſet. Quid enim honoris cupidus, præmijs laudis accenſus, literarum ſtudio flagrans, virtutis Patriæ Cremonenſis deſiderio confectus, animi exercitatione, corporis labore non aſſequutus fuiſſet? Sed Minerua non inuita, ingenij fertilitate, naturæ bonitate, quo honoris voluit non irrepſit, ſed contendit. Vix enim legum ſacrarum in ſtudia ingreſſus eſt, cum eas omnibus admirantibus, cum in nobiliſſimis Italiæ Gymnaſijs, tum Lutetia Pariſiorum, florentiſſima Galliæ ciuitate, illuc vndiq; nomine iam tanti diuulgato viri, incunbentibus, atq; in vtrunq; ius incubituris, egregijs adoleſcentibus confluentibus profiteretur, in dies eius progreſſus in ſcientia ciuili fama conualeſcente, & firmius ad expectationem ſuorum creſcente in vrbem pulcherrimam Inſubriæ, Mediolanum iuſſu Franciſci Sfortiæ, conſenſu, tum omnium ordinum, tum Senatoris, & totius ciuitatis plauſu accitus, in ſanctiſſimum Patrum ordinem cooptatur. Illic tantum ingenij ſui, acuminis, probitatis, temperantiæ, prudentiæ ſpecimen præbuit, vt nullus eſſet, qui vel cauſam ſuam ad Sfondratum deferri nollet, illius enim patrocinio cauſa ſibi quiſq; perſuadebat non caſurum vel huius integerrimi viri vltro amicitiam non appeteret. Secum agi præclare exiſtimabat, qui ſe in amicitiam huius tanquam in antiquam Philoſophiam inſinuare, in eiuſq; omnibus probatam beneuolentiam irrepere poterat. Hunc nō minus moribus, quam literis ornatum quotidie audiebant, cognoſcebant, & experiebantur, nihil quod ad hominem honeſtum, ingenuúq;

R educa-

educatum ſpectabat, in hoc deſiderabant. Ita cum amicis erat, vt ex tempore ſummam, vel comitatem, vel grauitatem præ ſe ferret, in iocis perfacetus, nec minus quoq; in illis cognoſcebatur elegans. In facetijs Craſſum, in ſerijs illum grauiſſimum Catonem dixiſſes. Iuſtitiam vero adeo per ſe validam eſſe operã dabat, vt illius nec minimam partem violari pateretur. Hic commodis publicis ſic proſpiciebat, vt ſua, aliorum cõparatione minime penderet. Meminerat enim non ſe tantum ſibi natum eſſe, verum & Patriæ, maioremq; ſui ortus partem, ad ſe patriam vendicare non ignorabat. Quam niſi vita ſua chariorem habuiſſet, nunquam tantos animi labores tuliſſet, nec tanta corporis pericula ſubijſſet, tantasq; difficultates exorbuiſſet. Multos pro patria, & apud noſtros, & alienos, ſe deuouiſſe extremaq; vitæ pericula non recuſaſſe legerat, vt cadentes Patriam erigerent, illamq; incolumem pro qua pugnabant, relinquerent. At hic ſtudia, vigilias, peregrinationes, Patriæ ſuæ, externisq; deuouit, & conſecrauit, vt cũ huiuſmodi extremæ dementiæ vim ſciret, deliramenta poſteris fore, (Pace dixerim vel Curtij, vel Deciorum) ſic iſta ſummæ prudentiæ, opis, auxilia exempla mortalibus, quo animi vigore præſtabat, fore proſpiciebat. Amicis enim, alienioribusq; opere, cura, conſilio, auctoritate, labore, (nulla enim vnquam laſſitudo, & ſi admodum aliquando defatigatus eſſet, officium, & huius viri fidem impediuit) mortalibus non deeſſe, Dei potius alicuius, quam hominis eſſe putabat. Hinc tot, tantaque grauiſſimis rebus huius Excellentiſſimi viri conſulta ſalis plena, integritatis referta, Philoſophiam, maturitatẽ redolentia, quæ nõ hominis voce, ſed alicuius Dei oraculo

 prodita

prodita videbantur. Hinc tot legationes, totúe exantlanti labores ad diuerſos Europæ Principes; quibus facundia conſilij pondere non minus charus, ac iocundus erat, quam illis vnde legabatur. Senſit huius legationis vim, & imperium Carolus Sabaudius. Nam cum in allobroges legatus Cæſaris nomine Sfondratus Senator veniſſet, à conſilio, quod prius Sabaudius ſuſceperat de Nicæa Regi Galliæ tradenda hac breui oratione, CAVE NE CAESAREM OFFENDAS. Eius vires noſti, REBVS TVIS NVNC PACCATIS CONSVLE, deterruit. Gratus Cæſari Imperatori inuictiſſimo, cuius res geſtas in omnibus orbis partibus nulla vnquam obliuio obliterabit. Gratus & Paulo III. Summo Pontifici, qui eo ſermonis lepore, & verborũ pondere, quo apud omnes tantus Pontifex valebat, atq; auctoritate qua plurimũ apud Cæſarem poterat, ab eius optimis Reipublicæ adminiſtrandæ muneribus, ad altiores dignitates, illoq; iam ſene digniores auocauit. Cæſare Pontificis precibus non repugnante. Nefas enim putabat bene de imperio ſuo meritum, non illis honoribus adaugeri, quibus ætas illa omnibus virtutibus illuſtrata, & munita digna erat. Mortua itaq; Anna Vicecomite, huius lectiſſima, caſtiſſimaque vxore, ex familia cum antiquiſſima, tum nobiliſſima, ex qua præter filias religioſiſſimas iampridem ſacris initiatas, duobus honeſtiſſimis liberis auctus fuit, mortua inquam chariſſima coniuge & inſignitus honoribus, quos pauci apud Cæſarem virtute adiuuante aſſequti fuerant, ad tranquilliorem vitam vocatus à Farneſio prudentiſs. Pontifice, prioribus ex ordine Pontificatus decoratus honoribus in familiam Pontificum minorum, quos Cardinales

nominant

nominant, cooptatur, ſed in Senenſium ciuitatem prius aſcriptus erat. Ciuitatem enim depoſitis clandeſtinis odijs, quibus diu, multumq; exarſerat, & communi periculo aliquando dimicauerat, in priſtinam gratiam, beneuolentiam, & dignitatem reuocauit. Cuius conſilio, & auctoritate Reſpub. illa ampliſſima ſtabilita, & confirmata veterum diſcordiarum, veluti antiqua lege Athenienſiũ immemor facta, hunc Patrem Patriæ appellauit. Quod in tabulis, monumentisq; rerũ ſuarum ampliſſimi ordinis patres inciderunt, & notarunt, qui maximus honos nulli Senenſiũ habitus fuit, quod in eorum annalibus obſeruatum ſit. Decoratus itaq; his honoribus per quos aditus fit ad maiores, talem de vitæ ſuæ integritate opinionem, honorisq; ampliſſimi apud omnes expectationem concitauit, vt à morte Farneſij Pontificis, ſuffragio ferè totius ſanctiſſimi collegij cum in demortui locum ſubſortio fieret, ſuffectus in Pauli locum ſit. Sola ſola inquam fortuna, quæ cęptis (vt inquit ille) ingentibus obſtat, Cremonenſibus tantam fęlicitatem inuidit, ne hæc ciuitas quæ ingenij in omnibus doctrinis vbertate inter alias quodamodo triumphat, dignitate etiam, honore, Pontificia Maieſtate, nimis tolli videretur. Hoc enim ex naturæ præſcripto, legeq; in viuis cõmorante, quæ diu florentiſſimis Cremonenſiũ ingenijs, illis fortuna inuidente ad ſummos religionis Magiſtratus clauſa fuerunt, hoc vno iam ingreſſo in penetralia dignitatis, abditaque comitia Cremonenſibus aperiebantur. Cuius enim virtuti, honori, dignitati, ſanctimoniæ, integritate oĩa patebant, is additũ ciuibus ſuis ad dignitates aſſequendas patefeciſſet. Quamobrẽ nemini virtute prædito, temperatis, moderatisq; moribus ornato deſperandũ

amplius

amplius erat, quin virtuti locus eſſet. Illud ſibi etiam inopinanti ſperaret oblatum iri, quod illius virtute dignum, Patria digniſſimum, ſuis omnibus pergratum foret. Eratq; futurum, vt nullo æuo, infinitis ſeculis decurrentibus ciuitas noſtra hiſce dignitatibus colluſtrata per ocium, aut ſocordiam, quæ honoris cupidiſſima eſt, amitteret, quod per Sfondratum ſibi comparaſſet, vel potius hæreditarium accepiſſet, & ad æternũ laudis Cremonenſis decus peperiſſet. Ex lũgo enim, nec definito dignitatum ordine, alius alij ſucceſſiſſet, & viciſſim defuncti hoc laudis certamine, quaſi ardentem tedam poſteris tradidiſſent, quæ fortunæ, dignitatis acceſſio, ita induſtrios, & honoris cupidos accendiſſet, vt laudem hanc intermori nunquam paſſi fuiſſent. Nanq; ſi alibi gentium virtutis pręmio flagrant, Cremonæ præcipue, quæ tantũ bonarũ artium ſtudio ſemper accenſa fuit, vt non multos pares habuerit, ſuperiores nullos. Sed cum ad tempus vitæ ratio varia, commutabiliſq; ſit, & fatis rebus humanis, hominumq; opinione firmioribus nemo reſiſtat, in illorũ potius decreto quilibet prudentiſſimus acquieſcat, nobis in hoc mitiora fuiſſe exiſtimandum eſt. Idque diuinitus accidiſſe nemini dubium videri debet, illius oſſa, extremoſq; cineres in patria condi, à ciuibuſq; ſuis flentibus funeris pompa, ſepulchroq; omni æuo perenniori, quod paucis contingit, qui ad diuinos huiuſcemodi honores tolluntur, decorari. Cuius & ſi virtus omni laude, prædicatione, literarũ monumentis, ita decorata eſt, vt Sfondratus Cardinalis apud omnes victurus ſit, nihil tamen hac re optatius illi euenire potuiſſe facile crediderim, quam ciuium ſuorum erga ſe beneuolentiam, & amorem experiri. Antequam enim

ex hac vita, communiq; iure ad ſuperos migraret, vidit quanto plauſu ab vniuerſis ciuibus ſuis acceptus ſit cuiuſq; generis hominũ promiſcue innumeram ingenti lætitia exultantem, & gaudio elatam multitudinem, ingreſſurus mœnia, cum longo etiam ſpatio ab illis diſtaret obuiam habuit. Iuſtitio indicto omnes ſibi occurrentes ipſe intuebatur, illum & omnes admirabantur. Cuncta à Dijs immortalibus illi ſecunda exoptabant. Omnes viæ ita plenæ erant, noua hominũ confluente vndiq; multitudine, vt in terram aſpectus non daretur. Alter alteri curſum præuertebat, per varios curſitando angiportus ad viam præripiendam. Tantum erat huius viri deſiderium videndi. Quid feneſtræ? Quid podia? Quid denique tecta ipſa? ita mehercle multitudine hominũ depreſſa erant vt parum abfuerit; quin corruerent. Miros omnibus iniecerat ardores amoris ſui Sfondratus. Externorum ingens concurſus huius aduentu intellecto, ex finitimis, longinquis, villis, caſtellis, præfecturis, municipijs, vrbibus, flagrans tantum virum deſiderio videndi, huc decurrit. Hic vero cum in medio noſtræ ſpei curſu diem obijſſet, (cuius grauiſſimo aſpectu diu nobis frui non licuit) ſenſimus quidem nos de fortuna multũ ſperata decidiſſe, id tamen æquo animo tulimus, quando illius manibus hic quieſcentibus, ciues ſui parentarunt, illiusq; imaginem omnis poſteritas ſit exceptura. Nam præter funebrem pompam, quam illi publica impenſa, omni diligentia celebrarunt, tum ex hominis exiſtimatione, tum ex Cremonenſium munificentia, ſi non dignam tanto viro, quia maiora illi referenda erant, tamen illi gratam, ſi in Cœlo de patria optime meriti hæc diſpiciunt, nec Cremonenſibus obijciendam.

dam. Pyramidem illam erexerunt omnibus contemplandam ſeculis. Veſpaſiani ingens amphitheatrum, miram omnibus illud videntibus admirationē inijciebat. Hęc cūctos attrahit ad ſe intuendā, cū ob eius eximiam, excellentemq; pulchritudinem, tum ob tanti viri memoriam in perpetuum æuum deriuandam, ad omnemq; poſteritatem propagandam. AEgyptiæ Pyramides omnium ſola altitudine mentes tenebant, hæc artificioſo, omnibus opere probato, & induſtria admiranda erecta, omnes mire intuentes, & ſuſpicientes tenet. Sed multo magis Sfondrati Cardinalis memoria, & dignitas ad ſe ciues, exterosq; allicit. Cuius præclaro nomine ad virtutis præmia, omnes laudis cupidi, honoris appetentes, patriæ amantes, excitati impelluntur. Huius enim viri veſtigia ſequentes nequaquam deſperant, ſe ad quælibet dignitatis faſtigia peruenturos, quando ſocordiæ, quam ciuitas noſtra, vt clandeſtinū lenociniū, hoſtemq; internecinū ſemper auerſata eſt, locus nō ſit. In huius parētalibus Io. Muſonius funebrem laudationem habuit. Hic præter memoriam virtutū antiquæ Sfondratæ domus auitam, & paternam hæreditatem (huius enim pater Ioannes Baptiſta, huius ciuitatis inſigne ornamentū, fuit, nam & ipſum, in ordinem Patrum conſcriptorum Mediolani receptū ſcimus) præter inquam perennem memoriam & ſuæ, & Patris virtutis duos filios reliquit ſui non diſſimiles. Quod pietate, Deorūq; clementia, & pia indulgentia in patriam noſtram factum fuiſſe haud negarim, ne penitus hanc vrbem aſpernari viderentur. Horum maior hæreditatem patriam gradu honorum, iam nobis repræſentat, vt æquiori animo patris deſiderio careamus. Hunc ciuitatis noſtræ decus ali, ad explen-

explendam Sfondratæ virtutis expectationem, quo ciues omnes miro deſiderio tenentur, Dijs acceptum referunt. Huic domui omnes boni fęlicem, fauſtam, diuturnam vitam exoptant, vt per hanc Cremonenſibus liceat aliquando Dijs annuentibus, gaudio triumphare, quod aſſequentur duobus luminibus huic Reip. ferè inopia ſummorũ virorum enectæ, liberis à patre, tanquam ſuorum magiſtatruum obſibus relictis, fato non aduerſante. Quod ne accidat noſtrum erit Cremonenſes ornatiſſimi, Deos ad meliora precibus pro hac patria reuocare. Nam cum Deum credamus patri iam gratiam retuliſſe, filios fere in medio expectationis noſtræ curſu deſerere, illorumq; præclaros iam inceptos conatus ad metam patris properantes, ſupplicationibus non adiuuare parum grati ciuis, Cremonenſisq; minime humanitatis eſſet. Nobis optime ſperandum eſt præſtantiſſimi ciues. Hi nanq; paterna veſtigia iam inſiſtunt, ex patrisq; regula morũ viuunt. Horum vnus religioni ſe aſtrinxit, quem nunc hic ſummum Antiſtem veneramur, cuius aſpectu fruimur, cuius ſanctiſſimo ſermone alimur, cuius nutu regimur. Alter natu minor priuatam, ſed ita honeſtam (vt omnes qui familiariſſime cũ illo viuunt, mihi referunt) vitam degit, vt à Fratris viuendi rectione, & religioſa vita nihil differat, præterquamquod ſacris non innitiatus eſt. Ille ad religionis tutelam, eiusq; terminos propagandos, quod vt à Deo Optimo, Maximo impetremus libentiſſime illi ſupplicamus. Hic ad familiam tutandam, ſobolemq; dilatandam, vt Seminariũ tantæ virtutis in Repub. ſemper vigeat, & floreat, relictus. Nicolaum Diœceſis Cremonenſis Epiſcopum, ideſt populi ſui fideliſſimum cuſtodem habet, larium vero

S anti-

antiquorum, & illuſtrium curam Paulus natu minor, quem virtutis cauſa, & patris, totiusq; domus Sfondratæ merito cognomento Heroen vocant, ſuſtinet. Sed iam peractis patri parentalibus, iactis noſtræ ſpei fundamentis, in virtute, honeſta vita filiorum, quando iam vterq; religione omniũ officiorum ita ſe obſtrinxit, vt à paterno ſplendore, à grauitate nominis ſui, ab inſtitutis, ſtyloq; maiorum, ne tranſuerſum quidem digitum diſcedant, reliquum eſt vt ad aliud huius ciuitatis lumen orationis noſtræ iam incitatum, curſum dirigamus. Qua in re & vos attentos maxime velim. Nam vt ſuperiores ſilentio prætereundi non erant, tam & ſi in omnium ore verſantur, ita de quo dicturus ſum, quamuis præconio noſtrorũ verborum non egeat, ſua virtute, dignitateq; contentus, hodierno tamen die hunc prætermittere nefas duxerim. Hunc nouiſtis, huius affabiles ſermones audiſtis; familiariter cũ hoc veſtri Parentes, & collocuti ſunt, & vixerunt. ab eius ore ob ſermonis grauitatem dependerunt, cuius quanto recentior eſt memoria, tanto maiorem animis veſtris dolorem inurit. Agite ergo ad Ioannem Baptiſtam Schicium huius antiquiſſimæ vrbis æternum gloriæ monumentum, viuamq; laudis gloriam, noſtra adducatur oratio. Cuius tantum fuit ingenij acumen, tam præclare animis literis cuſtoditæ, Dotes, tot, tanque varia ſcientiarum genera, vt vnde exordiar nõ facile ſciam, idque magis me ab incæpto deterrer quam incitare videtur, ne ſi aliqua huius laudis, egregiorũq; factorum, (quando virum optime nouiſtis) partem omiſerim, nomen apud vos, veſtrosque Patres acutiſſimos rerum iudices, temeritatis notam ſubeam, quod ignarus rerum onus ſubierim, cui ob ſyluam rerum di-

cenda-

cendarum, & à Schicio nobis relictarum, defeſſus ſuccunbam.. Sed nollem acutiſſimi Cremonenſes id vobis perſuaderi, me, aut quemlibet aliũ ingenio promptum, vel maximo vſu exercitatum, perangusto temporis ſpatio, vel potius puncto, eorum virorum laudes ingentes nos tenui oratione cóplecti, & colligere poſſe, quorum ſingulorum in ciues ſuos, in externosque per honorifica merita non ſolum me in varijs occupationibus, hisque aſſiduo illaqueatum, & irretitum, ſed etiam quemlibet, vel maxime ocioſum, illumque in omnibus doctrinis longe exercitatum, cuius nõ difinita regio nullis exercitationis terminis ſepta continetur, defatigarent. Sciant, ſciant inquam in quorũ animos hæc forſan opinio ceciderat, me non horũ ſingula dicta, aut facta narrare, (quod haud fieri poſſet) tẽpore nobis, non rei argumento deficiente, ſed Carptim tanquam per tranſennam percurrere, vt potius delibem, quam exarem. Ioannes igitur Baptiſta Schicius nominis, famæque Cremonenſis magnum incrementum, ita in his ſtudijs, quæ facilem alijs dignioribus aditũ patefaciunt, viguit, quod ego ab eius æqualibus, liberaliumq; artium doctoribus, eius magiſtris, optimorumque morum præceptoribus accæpi, vt ingenium huius Patriæ, quod ſemper acutũ, fertile fuit, ſuperare videretur, illaque inſtitutione Patria, & domeſtica informatus erat, accedente naturæ etiam, & ingenij bonitate, vt qui eiuſdem ætatis erant, ſibi Schicium imitandum, tanquam optimorum ſtudiorum, & morum exemplum proponerent. Eius vero inſtitutores admodum ſibi applaudebant, illum ſibi erudiendũ euenisse, qui præclara ingenij indole, illis virtute ſua, in poſterum perſpicua, ſpe non deſperata iam ſuſcepta

 prælu-

præluceret. Qui cum vix decurſa tenera ætate, e ludis humaniorum literarum diſceſſiſſet, effecit, vt ex recordatione laboris, induſtriæ ſuæ, ingentem fructum animo iam conciperent, & curarum morſus, quos in alijs erudiendis, ob tarditatem ingenij, morumq; peruerſitatem, (nec mirum in tanto numero, à Muſis à rectaque inſtitutione vacuos, & alienos aliquos eſſe) ſufferrebant, huius ſpe laudis futuræ molirent; & ſolarentur. Hunc ita qui Gramaticem omnium fontem, & originem ſcientiarum profitentur, quos inter Marcus Tarteſius vſu dicēdi literarum doctrina, hic quoad vixit floruit, (huic enim & Puteali acutiſſimi viro ingenij, operam dedit) dilexerunt, vt huius ciuitatis, quam hi duo de literis optime meriti viri, commodis ſuis ſemper prætulerunt, columen ne dum laboris ſui ſolacium fore ſperarint. Hæc in pueritia, tenellaque ætate Ioannes Baptiſta Schicius de ſe apud maiores ſuos reliquit, verum cum ab Ephebörum nobiliſſimis gregibus hisque artibus, quibus ætas illa puerilis informari ſolet, exceſſiſſet, ad ius ciuile ſe contulit, in eo tantos breui proceſſus effecit, vt non excurrere, ſed euolare videretur; Quo tantæ hominibus cum noſtratibus, cum alienigenis admirationi, quantæ vix vnquam poſt homines natos, Annaliumque memoriam vllus alius fuerit. Qui cum progreſſus, anteceſſionesque ſtudiorum ſuorum metiretur, maximæ expectationi ſuæ conducere arbitratus eſt, vna cum ætate ſtudia, ad quæ incumbebat adaugeri, ne ſpem, quam puer de ſe domi concitauerat, foris debilitaret. In Patriam igitur nō iam legum auditor, ſed interpres ciuibus ſuis expectatus, domeſticis deſideratus reuertit. Qui vix ſe à ſtudijs refecit, paucos dies cum ſuis commoratus,

quando

quando hunc à Paulo III. Farneſio, Maximo Pontifice ſupplementum, equitatumque Cæſari daturo, in expeditionem Germaniæ coacto exercitu firmiſſimo, Romam accerſitum in fidem cõſiliorum ſuorum Octauius Pontificis nepos, Cæſaris ſcito, & Philippi eius filijs decreto accepit. In conſilio Schicij omnes iuuenis motus, omnes animi cogitationes, omnes ex tempore mentis præclari impetus acquieſcebant, nihil deniq; ab Octauio Duce æquitum præſtantiſſimo gerebatur, quod prius Schicij conſulto, & auſpicijs nõ probatum eſſet. Confecto illo Bello omnes victorias ſuperaturo, omnem immortalitatem exceſſuro, victa, ſubactaque Germania ad ſanitatem ſine ſanguine, ſine AEdificiorum incendio, ſine agrorum vaſtatione, ſine militum cæde, omnibus Denique conſeruatis, Deorum beneficio immortalium, Cæſaris ductu, & celeritate (Nam venit, vidit, vicit) Schicius in Patriam reuertitur, multis muneribus à Farneſio, tum Auo, tum Nepote donatus, actione gratiarum cumulatus, ad maiora ſi fortuna obtulerit pollicitationibus, non confirmatus ſolum, verum etiam perſuaſus. Cum iam Cremonenſes opinarentur aliquantiſper ſe fruituros ſuo Schicio, & vſuram intermiſſi temporis ſarturos, confiderent, Cæſaris Diplomate Mediolanum literis publicis, Senatus, Populique Mediolanenſis ſuffragio, in ordinem Senatorum vocatur, qui operæ precium ducens oleum, & operam Cæſari, totius Imperij Duci vigilantiſſimo conſecrare, eius mandatis præſto adfuit. Qui vix dignitatem ingreſſus tantam ſui nominis famam concitauit, vt omnes ad eum conſultum confluerent, & qui alias cauſas, his vel diffiſi, vel quibus alicuius potentioris auctoritas, ſuſpecta eſſet implica-

tas,

tas, integumentisque obſcuris inuolutas, incertos, dubiosque cauſarũ euentus timentes omiſerant, ad hunc, vt ad legum, iurisque ſummi maximum interpretem, ſeueriſſimum iudicem, æquitatis optimum moderatorem, litium, & controuerſiarum æquiſſimum æſtimatorem, earundem arbitrum, & non formidoloſum extinctorem confugiebant, hic ad ſe delatas cauſas cognoſcebat, ea diligẽtia adhibita, quam huiuſcemodi cauſæ deſiderabant. Cuius vero cauſam defendendam ſuſceperat ſumma ingenij ope, quo plurimum valebat, corporis auxilio, animique conſtantia defendebat. Hic tanquam acerrimus Bellator contra omnium impetus ad cauſas ex æquo, & bono dicendas ſe armabat. Conſilio enim ad rem cognoſcendã maxime valebat. Conſilio vero neq; lingua, neque manus deerat. Quorum fluctuantes cauſas ſuſceperat, (Multi enim fortunas, famamque ſuam, ſe denique ipſos huius fidei committebant), tanta facilitate tranſigebat, vt prius cauſam explicatam audirent, quam ab illo viſam crederent. Quam clientibus fidelis extiterit, norunt illi, qui huius intepridum animũ in cauſa ſua animaduerterunt, contra aduerſarium ſuum prepotentem, quo vel cauſas ſuas agente, vel alienas ſuſcipiente, nemo cum illo cauſam tẽtare, ſubireq; audebat. Neq; illo litigãte cauſas vel iuſtas pro huius aduerſarijs quisquam tutabatur, nedum ſuſcipiebat. Hic non ſuſcepit ſolum, ſed defendit, protexit, diligentia patrocinio cauit, ne fidei ſuæ traditi, & commiſſi, quicquam aduerſi, quando iura, leges, iuſticia pro his ſtarent paterentur, tranſegit, negocium denique totum expediuit, perfecit. Cauſas de quibus multos annos diſceptatum apud grauiſſimos viros ante fuerat, breuiſſime

deci-

decidit, idque admirante grauiſſimo Senatu, Populoq́; Mediolanenſi obſtupeſcente, & gratulante. Quam hic cauſam intelligam ſciunt Patres veſtri, & vos fortaſſe ab illis audiuiſtis, ſciunt & Mediolanenſes omnes nouit Senatus, interfuit Ferdinandus Gōſaga, qui tum prudentia, quæ illius Illuſtriſſimæ domus præcipua, & ſingularis eſt, conſilioque ſuo Cæſaris Imperio populum Mediolanenſem, Cremonenſemque, & reliquos Mediolanenſium ſocios moderabatur. Tanta erat huius Senatoris perſpicacitas, tanta animi magnitudo, tanta nominis Cremonenſis grauitas, tanta in cauſis ſuſceptis conſtantia, vt in qualibet cauſa eum pulcherrime ſtare omnes intuerentur. Hæc cum togatus Ioannes Baptiſta Schicius de ſe edidiſſet, incredibili animi magnitudine laudata, ingenij acumine probato, iudicio eius perſpecto, tantum virtutis ſuæ ardorem, tantum ſui deſiderium Cæſari Imperatorum optimo, maximoque, & eius filio Regum potentiſſimo iniecit, vt hunc conſiliorum ſuorum participem, & auctorem in eadem Caſtra ad ſe accerſierint. Sciebāt enim quantum ſplendoris hoc aſſidente, pœnes ſe Imperio ſuo accerſerent. Qui tametſi perſpicacia vigeant, conſilio caueant, prouidentia proſpiciant, egent tamen Schicijs. Nam in tanto rerum cardine, & pondere, in tanta ve Repub., his præſertim vſque quaque temporibus turbatis, in dieſque bello ingraueſcente, hoſte noua belligerrandi libidine flagrante, Europa, Aſia, Africa ad arma vocatis, quis per ſe tantum pondus ſuſtinuiſſet? Non ſolum enim vno tempore neceſſitate quadam fatali cum hoſte, à quo bello laceſſitus Imperator, & Rex noſter maximus, & optimus fuerat, ſed etiam cum fortuna dimicandum fuit. Vnde enim

tumul-

tumultus, ſuſpiciones fore minime verebantur, noſtri Imperatores. inde grauiſſima bella orta, ciuitates plurimas ad bellum ſolicitatas literis, legationibusq; clādeſtinis, cum periculo dignitatis ſuæ, communiſque ſalutis & omnium noſtrum libertatis audiebāt, & quadam coniectura non difficili aſſequebantur, eodemque tempore Municipia, Colonias vrbes Prouincias, Regna in officio continenda, vel ad ſanitatem reuocanda, ſi quando ab Imperio ſuo honeſtiſſimo, aliquo furore homines minime cauti, impulſi clandeſtino conſilio, illoque temeritatis potius, quam rationis pleno defeciſſent, animaduertebant. Hæc armis conſilio ve tranſigenda erant. Nam arma niſi cōſilium ſit, parum valere rerū vterq; expertus cognouerat. Quare ſibi tam opportune oblatum in rebus ita fluctuantibus Schicium aſciſcunt, & inter alia huic curandā Rectionem ditionis Mediolanenſis, eiuſque Diœceſium conſilio, auctoritate huius moderandam tradiderunt, id enim huius aſſiduitatis eſſe putabant. Quod munus tam exacte, tamq; diligenter curauit, vt in vtramque aurem Cæſar & eius filius obdormierint. Is Hanc prouinciam ea diligentia, atque cura adminiſtrauit, vt Cum Regis noſtri Imperio conſuleret, exiſtimationem ſuam maxime ſuſtineret. Namque ſe tanquam nominis Cremonenſis aliquem vadem illic eſſe non ignorabat. Hocque ſuſceperat accenſus honore, non in beneficij, ſed in laboris loco. Amicos Charos, Propinquos Chariores, Patriam chariſſimam ſecum cogitauerat habendam, ſed honorem famamq; ſuam, quam cum Patria coniunctam ſemper habuerat, his præponendam iudicauerat. Quando per magni viri, naturaque ipſa moderati, necnon doctrina, optimarumq;

rumque artium ſtudijs, eruditi eſſe legerat, & didicerat; ſic in tanta poteſtate ſe adhibere, vt ab his, quibus præſit, alterius induſtria, & beneuolentia, fideſq; non deſideraretur. Cumque in hanc ætatem veluti formoſiſſimam pellicem, antiquæ virtutis corruptricẽ, vel potius inexplicabilibus maculis notatam, turpiſſimis, ſordidiſſimiſque flagitijs inquinatam, multiplicibusque vitijs infectam incidiſſet, Cyrum à Xenofonte ad effigiem iuſti Imperij relictum, nõ minori cura attrectabat, ſtudioque excolebat, quam Scipio Affricanus, tum ante, tum poſt multas victorias, qui nunquam de manibus illum ponere ſolebat. Illud enim Platonis doctrinæ, ingenijque Principis, imprimis ſeruandum his, qui ad aliquam Imperij rectionem accederent, meminerat; beatas Reſpub. tum fore, quando ad illas regendas ſapientes homines aduocarentur, vel qui illas regerent, omne ſuum ſtudium, in doctrina, ac ſapientia collocaſſent. Nec ſolum qui in Imperijs ſuis floruiſſent, ſibi imitãdos propoſuerat, antequam munus fidei ſuæ comiſſum ſubiret, ſed eorũ etiã præcepta exquirenda, qui de Rebuſpub. ſeruandis, augendisque aliquid ſcriptum reliquiſſent. Vt illum Patrem familias imitaretur diligentiſſimum, qui optime nouit, domum ſibi comiſſam, notam eſſe debere, ne quid illius negligentia, naufragij patiatur, ſic quæ ad Decus Prouinciæ ſuæ pertinerent, animo præuidebat, dehinc rem mandatam fidenti animo, curaque, & diligentia gratiſſima exequebatur. Et ita ſe ad extremum vitæ actum ſeruauit, vt nullæ querimoniæ, nullæ lamentationes, nullæ queſtiones, ad Cæſarem, Philippumúe, pœnes quos ſumma totius Imperij reſedit, de aliquã officij parte ab hoc omiſſa, deferrentur.

Apud omnes vbique bene audiuit. Illud Cremonenſes diſertiſſimi, Schicio admiratione digniſſimum accidiſſe iudicarem, omnes eius vitæ præclaros exitus optimis principijs fortuito reſpódiſſe, niſi ſcirem eum infinitarum actionum peritum, inſtitutiſque varijs eruditum, primos, & extremos actus Poeatarum, Actorumq; ad vnguem ſeruaſſe, quos, ſi in aliquo actu deſeciſſent, explodi ſciebat, ſi vero ad extremum non interrupto bene incępti operis filo, deducto, illos bonos Poetas, induſtrioſque Actores, ſummo totius theatri plauſu accipi meminerat, ab horum curriculo non ſibi diuertendum eſſe, qua prudentia erat, perſuaſum habebat, vt in extrema vitæ parte, munerisque concluſione, ſui negotij diligentiſſimus memoriam ſuæ prudentiæ, laudatæque continentiæ poſteris conſulto relinqueret. Quod negotium aliquanto magis conſilij eſſe putabat, quam fortunæ. Sciebat enim, nullius, vel parui negotij eſſe, illos in bene viuendi præceptis continere, quibus præeſſet, ſi ipſe in rationis officio ſe continuiſſet. Cuius natura, talis erat, vt & ſine doctrina, moderatus eſſe potuiſſet, ſed illa adiutus fecit, vt qui cum illo verſabantur, illum intuerentur, vt quendam ex memoria veterum Annalium, aut, è Cœlo diuinum hominem in communem vtilitatem delapſum putarent. Sic cum pecuniæ, & voluptati, tum omniũ fucatarum rerum cupiditati reſiſtebat. Nam vt acutus erat, animi moderationem, morumque temperantiã, non in tenebris latere, neque abditam eſſe, ſed in luce totius Italiæ, in oculis chariſſimæ ſuæ Patriæ, in auribus omnium gentium, & nationũm poſitam eſſe videbat. Cum hac tam inſigni continentia vteretur, non tamẽ liberalitatem Patriam amittebat. Nullus enim

erat,

erat, qui huius hoſpicio nõ liberaliſſime vteretur, quãdo nulli liberalitate ſua Schicius interdicebat, quem comercio ſuo dignum exiſtimauerat, locorum mutauerat Regionem, non tamen Patrios mores, naturæq; inſitam bonitatem. Id cum ad dignitatem ſuam amplificandam aptum cenſebat, tum ad Cremonenſium exiſtimationem ſuſtinendam maxime pertinere cernebat. Cum hic familiam honeſtiſſimam, quam Cremonam, præclara indole fratris filiorum fertilem, ad Philippum Regẽ accitus, Mediolano remiſerat, muneribus decorare potuiſſet, in alios erogare malebat, quam domum ſuam ijs, quæ ſua erant cohoneſtare. Cumque domeſticam rem in caſtris exhauſiſſet, nulla tamen re indigebat, ſatagentibus etiam ſuccurrebat. Huius non maior animi liberalitas, quam verborum. Nam præterquãquod re omnibus prodeſſe operã dabat, Conſilio etiam, ſi quando fortuna afflicti ad eum cõfugiſſent, illos ſubleuabat. Talis erat Schicij actionum ordo; vt non minus in vita, quam in oratione omnia conuenirent. In huius viri Togatorum maximi, iuris conſultorum optimi prudentia, conſtantia, grauitate, reliquisq; animi nũquam ſatis dotibus laudatis diutius conſiſterem, niſi omnibus has perſpectas compertum haberem, in primis illam ad Regem Galliæ, de pacis conditionibus audiendis, cognoſcendisque notiſſimam legationem, quas cum non probaret, infecta re maxima cum dignitate noſtri Regis ad eum, cuius nomine legatio ſuſceperat, reuertit. Quod cum diuulgatum eſſet, in Schicium ſummum virum omniũ ora conuertebantur. Quod is eſſet, qui verborũ captiones quamuis occultas prænoſceret, quique conſultum eſſe honori ſuo cum vellet, tum vero Cæſari, &

eius filio, qui huius negotij ſummam illi in primis tradiderant. Ampliſſimis, & omnibus cognitis honoribus Schicius perfunctus, hãc; ſordium, & fæciũ pleniſſimam terram auerſatus, quo boni extremam, & nõ fallacem quietem animo intendunt, aſcendit. In huius vero demortui locum; ad tantæ prouinciæ gubernacula ſuſtinenda, duos ſubſtituendos communi conſilio Pater, & Filius curauerunt. Huic bene merito de Patria publice celebrata parentalia, omnibus illius mortem immaturam mœrentibus, calamitatem, vicemq; communem dolentibus, publicum dolorem teſtantia, quæ quam Ciuibus ſuis charus, ac iucundus fuiſſet, argumento fuerãt; Hunc publicum mœrorem Io. Baptiſta Mainoldus Iuriſconſultus ęgregie doctus, & fidelis oratione diſertiſſima proſequutus, & præclariſſima laudatione teſtatus eſt. Nos illum amiſiſſe facile cognoſcimus, in quo noſtræ ſpes, & cogitationes ſitæ erant, & illius morte ita animo cecidiſſe, vt Deos tantæ fortunæ Cremonenſium inuidentes, vix alio tẽpore ſperemus tantam iacturam, tantum ve Reipub. noſtræ naufragium emendaturos. Sed ne eius ſummę fœlicitati, ac quieti laborum, & miſeriarum, quæ nos in dies inopinantes aggrediuntur, inuidere videamur, Vela, curſumq́ue incitatæ orationis, quo properat, remittamus; ne lachrimis ex morte Schicij recenti impediti, reliqua perficere nequeamus, ad quæ nũc omni animi impetu deferimur, vix tamen lachrimas cõprimentes, idque conſolationis cauſa agamus, & virtutis cumplurium Cremonenſium, ergo cognoſcendæ, tractemus. Ne vno, pluribus ve nobis ereptis, à fortuna, quæ morte tot præclarorum virorum nobiſcum toties conflixit, & nos ſępe ludificata eſt, ſupe-

rari

rari videamur. Quid igitur Ahalarum clariſſima omnium virtutum quaſi ſpectatiſſimum, & maxime nobilitatum Theatrum, domus diuini potius ingenij, quam humani fęcundiſſima parens, nunquam ad prolem mira indole producendam effœta, & exhauſta, quo euolauit? Quibus quadrigis totum terrarum orbem obiuit? quos viros prætexta, togaq; virili indutos produxit? quos legũ interpretes peperit? quos ſagatos edidit? Quos Philoſophos educauit? Quos munitionũ, caſtrorum, & vrbium artifices, & Magiſtros protulit? Quos deniq; Poetas, Oratoresue eduxit? Illos nempe, qui in omni genere officij enituerunt, in quoq; doctrinarum ſplendore verſati claruerunt. Illos dico, qui nulli obfuerunt, quibus liberaliter, officioſe potuerunt, omnibus ardenti iuuandi ſtudio profuerunt. Quod facit, vt fortunam mortalium conditionem ludificantem minus extimeſcamus, huius iracundiam minus formidemus. Quos enim igniculos, & ardores animis noſtris Paulus Ahala iniecit? Quanta nos ſpe ſubleuauit? Hic omnes dicebant, ille eſt, cuius maioribus parentes noſtri plurimum debent, hic qui ſuorũ oblitus commodorum nos iacentes extollet, in cuius conſilio, & prudentia, dulci, doctoq; ſermone, & ſingulari liberalitate, munificentiaque tota Ciuitas conquieſcet. Ergo vt inquit ille, maius opus moueo; Hunc igitur iuſtitiæ ſelectum Patronum, ſanctiſſimi ordinis Senatorij patres in Schicij locum ſubſtituunt, in quem ampliſſimum locum antequam cooptaretur totius Ciuitatis noſtræ nomine legatus Mediolanũ miſſus, audito, & ꝑcepto neſcio quo murmere, excitato à Papiẽſibus ex veteri more ſuo agẽtibus, de veteris dignitatis loco Cremonenſibus diſturbandis, & eijciendis.

dis. Cum illo iuerunt multi vrbis noſtrę primarij viri, vt et ipſi tantæ rei ſermonis, et colloquij teſtes eſſent. De qua re tam docte, tamúe prudenter diſputauit, vt Papienſes, qui illuc venerant, rationes veteris Cremonēſium dignitatis cognituri, tunc eloquentiſſimum Iuriſconſultum audientes ſummopere admirarentur, facundiam iuris cōſultiſſimi viri in cœlum laudibus tollerent. Quanta Dij boni verborū copia? quanta dicēdi grauitate? quanta exemplorum affluentia rem hanc egit apud grauiſſimum Senatum? quanta omnium, qui aderant attentione, omnia quæ ad veram dignitatem, & nobilitatē ſpectant, tractauit? Tum credo Papiēſes vnde ſub aduentum Cremonēſium, exierāt oblitos dixiſſe, Satius erat, res noſtras domi agere, quam hac de in contentionē cū Cremonēſibus, qui in omni re ſe inuictos atteſtātur, veniſſe. Non hic medius fidius, tunc de agrorum vbertate, Non de fungis, & læumellinæ, aſparagis, & moris diſſeruit, ſed de populi vtriuſque ſolida, vera, & germana excellentia, & nobilitate, de tollenda huius rei contētione, de ſocietate inter vtrūque populum ſeruanda, de loci dignitate, vel tuenda, vel recuperanda, quo modo, quo ve iure, quis dignitatem ſuam recipiat, & qua arrogantia, quis aliquando aliena vſurpet, & multa huiuſmodi diſſerendo explicās tanta mehercle facilitate, & doctrina, vt nullus eſſet, qui non diceret a nullo veterum, vel de ortu maiorum ſuorum, vel de imperio transferendo, vel de agrorū finibus ponendis, vel de veteri ex maiori copia homninū, ex loci antiquitate, ex rerum multiplicium abundantia, ex armorum, aliarumque nobiliſſimarum artiū, & ſcientiarum cognitione, exercitatione, frequentia, tractatione, dignitate tutanda ſubtilius diſceptatum fuiſſe.

fuiſſe. Quo munere ad oium qui aderant ſenſus digniſ ſime & abſolutiſſime expleto, ad ſenatus ſummã gratiã pleniſſime perfecto, domum redijt, rerum, & verborũ ordinem à ſe de controuerſia communi tractatarũ admirãda breuitatis cõcinnitudine, ciuibus ſuis narrauit & omnibus probauit. Hoc quo tempore Ferdinandus Gonſagæ ſummæ rerũ Mediolanẽſium, totiusque eius rectionis ſtatus præerat, geſtum fuit. Hic idem quo tẽpore vaſtius maximus bellator Rempub. Medio. regebat, ſedauit, & ſuſtulit controuerſiam, quæ ex Caſalis maioris incolis, & Sõcinni habitatoribus cũ ciuibus noſtris, nõ parua de re orta erat. Omnes in huius ſentẽtia, & auctoritate acquieuerunt, & penitus illius rei quæcunq; erat, contentio huius decreto, & iudicato ſublata eſt. Hic quoque cum ad cenſum ex querelis omnium, excepto Mediolano, ciuitatũ, quæ ea tempeſtate Ferdinandi moderatiſſimo imperio obtemperabant ventum eſſet, & res ad dimenſionem, ex Geometriæ calculis ſubducta ratione, omnium populorum perueniſſet, omnis cenſus æſtimationis poteſtas, penes vnum Paulum, qui tantæ, tamque implicitę controuerſæ cauſæ, æſtimator, moderatorq; eſſet, reſedit. Rem cõplexus, ex ſentẽtia totius communitatis, & ſocietatis cẽſum clauſit, Senatus probauit, rei cõprobatę tabulas in ærariũ retulit. Hoc quanti negotij, quantæ induſtrię, & curæ, quanti iudicij, quantæ ve exiſtimationis, quantæ laudis, & dignitatis eſſet exiſtimauit Senatus, qui quãuis non ignoraret plurimos in illo ampliſſimo ordine eſſe, per quos res illa tranſigi poſſet, à nullo tamen maluit cauſam illam extricari, quam ab Ahala, huc omnium Senatorum non obſcura voluntate accedente. Quod tanquam ex Pithij oraculo editũ

non

non diffidebat, Arrigonus & cæteros mox probaturos, & valde commendaturos, quãdo illo homine nihil verius, nihil ſyncerius audiri poſſet, nihil quod nõ omnibus probaretur ab hoc profecturum nouerat. Quando illum omnes habebant, per quem omnes leges loquerētur, in cuius pectore omnium iudicio iuſtitia ipſa habitaret, à quo omnis doli mali ſuſpicio abeſſet; cui nihil charius eſſet ipſa nominis fama, & nominis Cremonenſis exiſtimatione, quando inquam probitatis ſuæ multa exempla in diuerſis cauſis eluxiſſent. Hac cauſa ad omnium expectationem, & beneuolentia cognita, diiudicata, & deciſa non multum à controuerſijs ſedandis quieuit, & vacauit. Nam ſtatim ab illa cenſus ſublata, ad alias, quæ inter Brixianos, Mantuanos, alioſque vicinos populos, vt ſolet inter de finium agrorum terminis, aquarum ductibus, fluminum deriuationibus, & aggerribus ponendis contendentes exoriri, ſubortæ erant, tollendas miſſus eſt. Ad quos cum perueniſſet, contentio, quę prius inter populos illos nobiliſſimos ardebat tota iacuit. Mihi facile perſuaderetur, ijs nihil antiquius euenire potuiſſe, quam in illam diſſenſionem deueniſſe, quæ iudicio, & ſententia tanti viri dirimeretur, & penitus ſedaretur, vt rei magna animi contentione ſuſceptæ, ad communem horum omnium populorum beneuolentiam, & reconciliationem extinctæ, & Pauli Ahalæ prudentia ſepultæ, memoriam in ſingulorum monumentis Annalium populorum extaret. Quod ſibi, (vt erat) magnum ornamentum fore putabant. Hic breuitatis cauſa prætereo, quamplurimas alias huius generis legationes ab eodem ſuſceptas, ad animos diuerſarũ nationum ob grauiſſimas res, maxime diſcrepantes

iungen-

iungendos,& firmius copulandos, amiciusque reconciliandos, quod huic ſemper fęliciter, & fauſte, quo verborum pondere,animi manſuetudine, bonitateque omnibus cognitus valebat,euenit. Neque hoc obliuioni tradēdum, hunc eundem Andreæ Auriæ,& reliquis eiuſdem illuſtriſſimæ familiæ aduocatum,quando eorum res, vt fit,in controuerſiam cum aduerſarijs ſuis adducebatur,fuiſſe. Vnde cum & optime de multis primarijs liguribus meritus eſſet, factū eſt, vt multos ad triremes relegatos, & in remos iam incumbentes non exorauerit ſolū, ſed facile quos petierit, impetrauerit. Qua in re egregiā,& nunquā moriturā Andreæ patris ſui patrui pietatē imitabatur. Hic.n.optimus,& maxime ea tempeſtate locuples,& pecunioſus ciuis cū hoſtis potētiſſimus,cui præerat M. Mattheus Cardinalis Sedunēſis, & Ioannes Paulus Balionus, breui irrupturus in Ciuitatem diu obſeſſam, & fere iam expugnatā eſſet, pecunia cuius sūma erat quadraginta millia coronatorum, quam plurimam domi habebat,& ad domeſticos vſus, & ad Ciuium ſuorum commoda reſeruatam, illum à mœnibus procul hoſtem amouit,ab imminēti periculo retraxit, hoſtis impetū ad communē perniciē ardētis auertit. In fugā,quæ deſperationi ſimilis videbatur,cōuertit,patriā lōga,ꝑiculoſiſſimaq; obſidione liberauit, libertatē Ciuibus reſtituit,tēpla, lares, focosq; patrios opibus, & pecunijs ſuis incolumes ſeruauit,& id āte bis fecerat. Hac munificētia qd larguis? quid ſplendidius? quid maius? quid potētius? quid ea domo dignius? quid Ciuibus ſuis magis neceſſarium, & opportunum enarrari poteſt? Quem nā legimus in omnium mortaliū Annalibus, codicillisúe hoſtis ingentem,fortemque exercitum pecunia priua-

ta rupiſſe? Proferant qui legerint, adhuc tam præclarũ facinus in nullis antiquorum monumentis ipſe legi. Non matronę Cremonenſes ornamenta ſua huc detulerunt, non viri torques ſuas, & annulos, ſed Andreæ Charitas, pro omnibus certauit. Hæc Ahalarum liberalitas. Huius generis cauſas Paulus agebat, tales & reliqui fratres. Nemini quoque parentum veſtrorum, nec vobis ignotum arbitror, qua facilitate, diligentia, & ordine non ſine omnium laude, in quorum manus illæ venerint, Riui, quod Nauilium appellamus, formulas, & cautiones confecerit, obſignauerit, vniuerſo Senatu comprobante ediderit. Huius Arrigonus Senatus Princeps Apprime doctrinam, prudentiã, innocentiam, fidemq; nouerat. Cauſas enim quas ſumma cura, ingenij ſubtilitate, animi moderatione, mentis perſpicacitate, ingenij ſolertia, agẽdi celeritate, & præſtantia tractandas nouiſſet, huic cognoſcẽdas, & vt difficilium, obſcurarumque cauſarum optimo patrono, & moderatori demandabat. Huius rei teſtis eſt cauſa Tabernæ maximi Senatus Mediolanenſis ſcribæ. Quæ quanti ponderis, & induſtriæ eſſet, nemo & hic eſt, & apud Pop. Mediol. aliasque nationes, ad quas hoc delatum ſit, qui hoc neſciat. Quæſtor quoque rerum capitalium, cuius cauſam, & hic præfecti Senatus mandatis accepit, quanta huius eſſet prudentia, quantum huius probitati Arrigonus tribueret, cum alias cognouit, tum quando cauſam ſuam ſolo Pauli Ahalæ iudicio examinandam, & ex fide tam probati Senatoris dijudicandam accepit. Quid illud cum ſcribẽdum eſſet de rebus maxime ſpectantibus ad Reipub. Mediol. totiusque ſtatus ſalutem, & dignitatem, ad Carolum Quintum Romanorum maximum

Impe-

Imperatorem? Ad Philippum Regum Regem, Caroli filium? Ad Venetos Reipub. Chriſtianæ firmiſſimos,conſtantiſſimosq; propugnatores? Alioſque diuerſarum gentium Reges? Dynaſtas? Et Principes? Huic ſoli tantæ rei curam, & onus demandari? Senatus cum id ageret, eiuſdemque præfectus cum id faceret, quid omnibus perſuadebat? Hoc nempe vnum Paulum eſſe, in cuius conſilio, prudentia, ingenio, fide, non tantum priuatorum maximas cauſas niti, verum & publicas, & vniuerſi Senatus exiſtimationẽ depoſitam fuiſſe. Quæ omnia cum prudenter, & præcla re egiſſet, ſpem omnibus iniecerat, maiora nobis ab illo ſperanda, niſi mors quæ nullius torquibus vincitur, nullius annulis,vel Gygis captatur,nullius præſtigijs domatur, nullo vel Socratis demone reuocatur, curſum vitæ humanæ ex fatorum conſenſu diſpoſitum intercidiſſet,& deſperanter interrupiſſet. Illum enim iam Senatus Mediolanenſis præſidem haberemus, Regis Diplomate, ampliſſimi ordinis libentiſſima,& ſtudioſiſſima ſubſcriptione. Quid enim Arrigonus doctiſſimus, & prudẽtiſſimus vir huius ordinis Princeps, nullius vnquam vel eloquẽtiſſimi Rhetoris ſatis digne præconio laudatus dixit, cumprimum huius mortem accepit? Non ne hæc mæſtiſſima, & veriſſima vox ad omnium non aures tantum Senatorum, ſed intimorum ſenſuum receſſus penetrauit? Paulum Ahalam patres amiſimus. Huius morte maximam iacturam fecimus. Hic res noſtras prudentiſsimis conſilijs ſuis regebat. Quãta nos de ſpe deciderimus nunc videtis. Quo me vertam ampliſsimi patres neſcio, illo caremus, quo hic ordo nil prudentius, nil temperantius,nil dulcius, nil affabilius, nil denique amabilius vnquam habuit,

an ſit habiturus haud ſcio. Hoc viri tam laudati præconio quid plenius? Quid grauius? Quid perfectius? Quid dignius? Quid teſtatius? Quid ad immortalitatem honorificentius? Quid quoque hac voce tanquam hymno excellentius, & ſplendidius ab omnium Senatorum ore mox profecta? Obijt prudẽtiſſime pater, quo ſolo nos omnes delicatiſsime alebamur. Nos ergo non tot præſtantiſsimorum, ſanctiſsimorumque, & temperatiſsimorum virorum morte expleta, nec miſerijs noſtris ſatiata, fortuna deludens Ahala fideli, bono, & legittimo tutore priuauit, Senatum orbauit, miſeros depreſsit, iacentes præcipitauit. Sunt ij noſtri plauſus inanes, ſunt hæ mortalium caducæ, & fallaces hominum ſpes, ſunt eæ quoque fortunæ ſupploſiones, ſunt ij eiuſdem ludi, & captiones, ſunt eæ fortunę ſupplantationes. Mihi hoc loco multa de hoc Egregio Senatore, & nobiliſſimo ciue noſtro in omnes liberaliſſimo, & frugi, temperatiſſimoque viro narranda eſſent, quæ ſi vellem ex conſuetudine particulatim narrantium referre, Oratio noſtra non illum facilem exitum haberet, ad quem properat. Verum quæ in prudentiſſimum Senatorem cadere poſſunt, quæ literatum virum decent, quæ nobiliſſimum virum decorant, quæ optimo patrono conueniunt, quæ ſanctiſſimo viro cunducunt, horum omnium non participem, ſed penitus illuſtratum, tum natura ſuffragante, quæ huic familiæ perfacilis, & benigna ſemper fuit, & huius ingenia maxime fouit, tum præceptis, doctrina, ſtudijs optimarũ ſcientiarum, laboris, aſſiduitate, omnium ore concludemus. Huic vnum tantum defuit, corporis bona valetudo, quam labor in literarum ſtudijs aſſiduus debilitauit, ex qua ſi emergere potuiſſet, non tam cito mi-

ſeri

ſeri iacuiſſemus. Hic hic, ille fuit, qui fide nihil ſanctius habuit, cui non iuranti maior fides, quam alijs iurantibus habebatur, quem in fidei exiſtimatione, vt Quintum Metellum obſeruabant, vt Xenocratem venerabantur. Sed vbi peruentum ad huius parentalia, qua hominum frequentia eo concurſum eſt? ea certe quæ maior eſſe non poterat. Quem enim viuum coluerant, nefas putabant omni pietatis, & religionis officio non adeſſe, dum illius ſanctiſſimi manes publicis precibus cohoneſtarētur, & quieti ęternæ commendarētur. Huius vniuersæ vitæ curſus ab incunabulis eruditionis puerilis exorſus Iacobus Antonius Mutius Iuriſciuilis peritiſſimus, & magna eloquentia Iuuenis, pulcherrima, & doctiſſima laudatione celebrauit, huius mortem cum Ciuibus omnibus defleunt. Qua dicendi vehementia id egerit ſcitis, prope enim omnes interfuiſtis. Et hic Rempub. hanc non ſpe ſolum, quā iampridem apud omnes de ſe plurimam concitauerat, ſed ipſo auxilio orbauit. Nam cum cauſas Cremonēſium, nomine totius ciuitatis apud Senatum Mediolanenſem aſſiduus, maxima fide, & diligentia ageret, perijt, qui ſi cum ſuis diutius manſiſſet, quot, quātosq; virtutis, laboris, induſtriæ fructus accepturi eramus? Mutius certe erat iuris cognitione, Antonius quoque quem Romani, & Craſſus eximius orator nobiliſſimarum, & difficilium Cauſarum actorem admiratus eſt. At hic nobis hoc anno vix trigeſimum annum egreſſus e vita exceſſit. Iam vnde digreſſus ſum redeo. His peractis me ſtatim ad Vidam recepi, qui quoat vixit, vrbis noſtræ auguſtiſſimum oraculū habitus fuit, mortuus nunquam intemoriturus ſplendor. Huic quia Ahalæ parentalibus, torminibus enim, (vt ipſe dicebat)

bat) leuioribus laborabat, intereſſe non potuit, exequiarum magnificentiam enarro, totam rei elegãtiam defero. Et cum omnia me in ſingularem admirationem adduxiſſent, qua & omnes ducebantur, illud imprimis, qua potui breuitate, & ſermone renuntio, Decemuiros, qui alias legum conſcribẽdarum cauſa legatos miſerant Athenas, ad illum in exedra funebris pyramidis ſedentem veniſſe, & nullis pileis aperto capite, à Paulo nouas leges dictante accepiſſe. Sed audite Carmina, quæ in hoc illuſtre funus Vida luſerat. HAS QVOQVE PAVLE ROSAS, VARIOS HOS ACCIPE FLORES, QVOS MOESTI CHARVM SPARGIMVS AD TVMVLVM. SIC HVMVS AETERNIS TIBI VERNET CIRCVM AMARANTHIS. SIC TIBI PERPETVOS HALET ET AVRA CROCOS. SALVETE ILLVSTRES MANES, VOBISQVE PERENNIS, SIT SINE FINE QVIES, SIT SINE NOCTE DIES. Hæc, & multa alia Vida illacrymans, licet in cœnotaphio legiſſem, mihi recitauit. Quæ per ſe quam grauia ſint ipſa teſtantur, digna certe & hoc grandiloquo poeta, & ſanctiſſimo iuriſcóſulto. Hæc de Senatore Ahala, qui viuus, quibus potuit ſaluti, & ſolatio fuit, mortuus dolori, & maximæ omnibus iacturæ. Quem cum mœrore communi deplorauerimus, non poſſum non ad recentes lachrimas Ioannem Franciſcum eius fatrem adducere, vt quibus, quotue hæc præſtantiſſimis viris domus floruerit, non ignorent futura ſecula, nobis enim hæc nota ſunt. Qualem igitur hunc habuimus, & experti ſumus? Benignum certe, & affabilem, omnibusq; iucundum.

Qui

Qui admodum adoleſcens Papiam ſe contulit ornandi, & illuſtrandi cauſa animum ſuum, quem nobiliſſimum, generoſum, & magnanimum, à parentibus ſuis acceperat, educatione puerili adornauerat. Breui tãtum in philoſophiæ incunabulis profecit, vt hic omnibus, & legum doctoribus, & diſcipulis cognomento ſophiſtes, ideſt acutiſſimus diſputator appellatus fuerit. Hac laudis, & nominis appellatione allectus, ardentiori, alacriorique animo philoſophiam amplexatus, eius ſtatim latiſsimos terminos diffundere, ſuauiſſimos fructus omnibus, qui illum adibant, ſpargere cœpit. Illico omnibus admirabilis fuit. Tanta enim dicendi ſuauitate ad ſe alliciebat quotidie magis, nouos auditores, vt ex ſophiſta iam perfectus Philoſophus haberetur, à quo illud ſummi Peripatetici cognoſcerent, quo modo oporteret moribus bene illum inſtitutum eſſe, qui de rebus honeſtis, iuſtis, ad rem ciuilem ſpectantibus, diſſerẽtem auditurus eſſet. Hæc ſumma cum diligentia explicabat, hæc admirabili attentione audiebantur. Dum hoc ingenti ſtudio delectationis efferretur, dum ingenti nobilium iuuenum multitudine ſeptus attentiſsime audiretur, nuncius adcurrit, iuſtitium edictum refert, leges ſilere nunciat, totam ciuitatem in ſagis, & tunicis eſſe clamat. Mox illud addit. AEre ciere viros, Martemque accendere cãtu. Illud &. AEriſono Tremit horrida terra tumultu. Non diutius animi pendens, ne turpi ocio langeſceret, cuius domus hæc ſemper inimica fuit, quæ ſumma cum laude vtrunque ſtudium armorum ſcilicet, & litterarum, ex temporis occaſione, amplexa eſt, non ignara in ijs duabus artibus veram nobilitatem, & animi præſtantiam conſiſtere, & ipſe ſagatus egreditur.

Multis

Multis interfuit prælijs, in varijs bellis verſatus, cum in Apœnnini, tum in Alpiũ tramitibus, & diuerſorijs. Hic idem paludatus ex ijs maxime fuit, qui Petrum Strocium iam egreſſum, (vt ipſe putabat) periculũ, & imminentem ruinam, diſruperunt, eius comitatum enecarunt, in fugam verterunt, armis, Aquilis, ſignis, vexilliſque expoliauerunt. Hic quatuor vexilla ex hoſtium manibus extorſit. Adfuit quoque, & interfuit bello Parmenſi, ſequutus ſtrenuũ, bellicoſumq; totius exercitus Ducẽ Ferdinandũ Gonſagã, & Marchionem Marignani. Cum multi ductores militũ hunc cognouerunt acriter cum hoſte confligentem, tum vero Sebaſtianus Picinardus, quem Martigenam fortiſsimi bellatores appellarunt. Qui vt nullo ſuperiorum inferior fuit, ita eorum, qui tunc erant nullum parem habebat. Hunc enim Tyro veteranum, & in duriſsimis, maximiſque, & diuturnis bellis exercitatum cohortiũ Cremonenſium, aliundeque euocatarum Ducem, alias pro Regulis noſtris, alias pro Cæſare, & acerrime, & fideliſsime pugnantem tum primum, ſequutus eſt. Huius vigilantiam, & animi conſtantiam, nec Cæſar in bello Germanico deſiderauit, quo profectus cum reliquis, qui Cæſarem ſequuti ſunt, victor, & ouans ex illa victoria, quæ vna celeritate, ipſa Cæſaris clementia, omnes antiquorum victorias ſuperauit, redijt. Neq; cum Cæſar anni difficillimo tempore obſeſſum, & oppugnatum Metim profectus eſſet, hoc vigilantiſſimo, & bellicoſiſsimo cohortium ductore caruit. Sed vtinam hic ad eius munitiſsimi oppidi obſidionẽ vita non caruiſſet. Nos enim tam cito illo non caruiſſemus, qui plura hoſtium Caſtra ingreſſus eſt, quam vllus ſuorum æqualium vidit, plura ſigna militaria ab ho

ſtibus

ſtibus eripuit, quam ſuorum parium quiſpiam manibus attrectauit, qui ſæpius cum hoſte dimicauit, quam vllus alius eiuſdem ætatis hoſtem conſpexit. Quæ ad maximum, optimumque Ducẽ ſpectant, hæc ipſe diuturnitate belli aſſequutus eſt. Vſum enim militarem in multis, & varijs periculis egregie accepit, cum fortuna aliquando milites ſuos retrudente pugnauit, eam vicit, fugiẽtes in cohortes reuocauit, & in priſtino loco repoſuit. Tãta pterea caſtitatẽ, tãta pietate, tanta in oĩ re moderatione, tãta quoq; ſanctitate, vt ſummi Imperatores talem raro habuerint, ſępe deſiderarint, nũquã optãdo inuenerint. Hęc vera, & propria laus illius domus. Quam morũ integritatem, cum ſanctiſſimorum parẽtum procreatione acceperunt, eorundẽ educatione confirmarunt, per ſe illuſtrarunt. Ex hac mortaliũ colluuione, ĩ Metis grauiſſima oppugnatione, febri diu, grauiterque iactatus ad meliores, fœlicioresque oras emigrauit. Cuius morte ita oẽs milites animis ceciderе, vt potius de caſtris mouendis cõſilium cęperint, quam oppugnationem perſequendam cenſuerint. Ita non multo poſt eius, e vita extremum diſceſſum, vaſis more militari cõclamatis, domum re infecta redierunt. Eius mortẽ vniuerſus Cæſarianus exercitus deplorauit, Crediderim & hoſtes, niſi illis re ipſa exploratum fuiſſet, per hunc ſe tantopere oppugnatos, & ita obſeſſos, vt parum abfuerit, quin eorum munitiſſimũ oppidum expugnaretur, huius morte nuntiata ingemuiſſe. Ne quæſo grauemini teſtimonium de hoc inſigni viro, doctiſſimi, nobiliſſimique poetæ Cremonẽſis virorum fortium, proque patriæ decoro pugnantiũ, amantiſſimi, audire. SISTE PARVMPER GRADVM HOSPES. HIC SITVS EST

IOANNES FRANCISCVS AHALA, QVI E PVERITIAE LVDO, CVM SIGNIS, ET IMPERIO IN BELGAS CAESAREM SEQVVTVS, IN METIS OPPVGNATIONE FORTITER MORTEM OPPETIIT. NON MODO A' SVIS MILITIBVS, SED ETIAM AB EXERCITV VNIVERSO MVLTVM, DIVQVE DEFLETVS, CVM EO ADOLESCENTE VEL PRAETER TANTAE VIRTVTIS INDOLEM NIHIL ESSET AMANTIVS, NIHIL AMABILIVS, PLVRIMIS IN VNVM CONGESTIS ORNAMENTIS, QVAE SINGVLA SATIS FORENT, AD VNVMQVEMQVE PRAESTANTISSIMVM VIRVM HONESTANDVM. ID VOLEBAM, ABI NVNC IN REM TVAM, SI POTES SINE LACRIMIS. Hoc teſtimonio, Quid poteſt eſſe fidelius? Quid ſanctius? Quid plenius? Non multo ante Pauli obitũ Benedictus frater, (Ioãnes enim, Franciſcus multo ante perierat.) e viuis exceſſit. Quantus hic poeta eſſet, quantusue Orator, quã oĩum ſcientiarũ expertus ſępenumero HYERONIMVS VIDA, quo cum hic familiariſſime viuebat cognouit. Nam quicquid cum illo ſecretioris, interiorisque cognitionis communicabat, pleniſſime quo animus Vidæ intendebat, ex huius omnium doctrinarum refertiſſimo pectore exhauriebat. Nihil in ſuprema antiquitate ita abſtruſum,& recõditum erat, quod protinus huic non pateret. Si quis architecturę, perfectæ, & abſolutæ formas, & ſimplices modos in

aliquo

aliquo nobiliſſimo, illuſtriſſimoque ædificio referre, & oculis ſubijcere anxie deſideraſſet, hunc adibat. Totius ædificij extruendi archedypum ab hoc accipiebat. Nec in eam omnibus magni iudicij viris Caroli Afaytati magni cognomine admirandam formam, vel potius rei compoſitæ maieſtatem domus, quam Pallacium dignitatis cauſa, merito omnes appellant, aſcēt diſſet, nec tam late, apte, concinne, vſquequaq; compoſita, apparuiſſet, niſi illius formoſiſſimi ædificij princeps Franciſcus Pizafocus datarus, quem nouum vitruuium peritiſſimi architecturæ vocant, formam à Benedicto, vt taceam reliqua ædificia, quæ plurima affabre extructa Cremonæ magna cum admiratione viſuntur, ab hoc deſcripta accepiſſet. Humanus erat nulli aditum, qua affabilitate erat, ad ſe negabat, ab hoc ſtatim ſummus, & maximus Architectus diſcedebat, qui artis huius elegantiſſimæ ſtudioſus fuiſſet, apertiſsima, clariſſimaq; voce pdicans, quicunq; hunc adiſſet, ſe plura ab hoc, vno præcepto aſſequutum fuiſſe, quam ex totius vitruuij elegantiſſima, probatiſſimaque architectura. Cuius non nullis obſcuriſſimis locis, nec ante intellectis, Architectis noſtris, id quoque fatentibus, maximam lucem attulit, & illuſtratos Petrus Antonius Tollentinus iuuenis prętantiſſimis moribus, & eo acumine ingenij, quo niſi aduerſa valetudo deſiderijs noſtris obſtitiſſet, futurum erat, vt non ciues noſtri tantum lætarentur, verum & qui ingenia Cremonenſia maximopere admirati ſunt, nobis gratularentur. Tollentinus inquam Vitruuim multis in locis in apertiſſimam lucem ab Ahala ex obſcuriſſimis tenebris reuocatum Danieli Barbaro viro doctiſſimo recognoſcendum miſit. Hic idem omnibus ingenuis

ſtudijs illuſtris, leges Duelli tanta facilitate, & induſtria comprœhenderat, vt qui de honore, & nominis dignitate contenderent, omiſſis iuriſconſultorum libellis, ad hoc ſcriptis, & aliorum ſcriptorum præceptis, huc pertinentibus relictis, ad hunc tanquam morum ſummum Cenſorem, honoris litium diſceptandarum acutiſſimum æſtimatorem, controuerſiarum, & contentionum cuiusque generis, quod huius nobiliſſimæ familiæ ſemper fuit maximum patrocinium, tollendarum, arbitrum confugiebant. Differentem qua de re illum conuenerant, non minus attente audiebant, quam ſi non diſſimulantem, & cauillantem Gorgiam, ſed vt Sceuolam iuriſconſultum, in cuius oratione nihil falſi, nihil ſimulati audirent. Ad cogitandum enim peracutus fuit, non tantum quid in ſummo iure, quęreretur, verum & quid in æquo ponendum eſſet. Quid verum, quid falſum quoque eſſet facile, qua ingenij prętantia valebat, animaduertebat, tum quod mente compręhenderat admirabili verborũ breuitate referebat, cuius perdocto, & eleganti ſermone fiębat, vt qui mente hoſtili, odioque mutuo inexplicabili illum adijſſent, expectantes, quo iure, quo ve modo iniurias illius dicto vlciſcerentur, & veteres inimicitias perſequerentur, oĩbus arbitris amotis, ſeorſum illis euocatis, qui animis diſcordabant, & nimio odio ſecum diffidebant, donatis illi iniurijs omnibus, depoſita omni ſimultate, ad mutuos complexus auocabat, & alterum alteri ſuauiſſima, prudentiſſimaque oratione recõciliabat. Quo virtutis genere nunc Ioannes Baptiſta, Daniel, & Ioannes Petrus, tanquam huius ſummæ laudis hæredes, illius fratres maxime excellũt. Quod enim inimicitiarum genus, quas diſſenſiones

ſiones non leniunt, mitigant, leuant, modo qui contendunt ratione agendum putent, tollunt? Sed de his alias. Quando hac ſola virtute Benedictus illuſtris fuiſſet, non ne ſatis eius dignitatis factum putaremus? Quid enim in qualibet ciuitate melius illis viris eſſe poteſt? Quid ſalubrius? Quid ſanctius? Quid ad conſeruandas familias? Quid ad dignitatem Reipub. tuendæ? Quid denique ad religionem, & cultum Dei Optimi Maximi excolendum, illuſtrandum, ad ſalutẽ oĩum propagandum dignius excogitari, req; ipſa trãſigi poteſt, quàm illos Ciues eſſe, per quos quiete vniuerſa Ciuitas viuat, religioni inſeruiat, inter ſe amet, poſteris maximæ concordiæ vnanimes Ciues exemplum relinquat? Non ne in hoc tota Platonis eſt Reſpub.? Non ne eius diſcipulus Ariſtotelẽ dico, Ciues ſuos ijs præceptis erudit? Expolit? Et inſtituit? Mihi contexendus magnus liber eſſet, ſi de hac familia abunde loqui vellem. Ad Benedictum redeo. Alfonſius Vaſtius bellica virtute illuſtris, multis victorijs immortalitati conſecratus hunc adamauit, & præcipuo, ſingularique amore hunc amplexus eſt, non propter tantum humanitatis, leporis, ſalis præter modum elegantiam, qua mirifica excellentia omnibus admirabilis erat, ſed propter egregias virtutes, & ſummi boni ornamenta, quæ in hoc apud omnes non mediocres, ſed ſummos Principes elucebant. Ferandus Vaſtij filius, qui nunc in Scicilia perſonam, & Vicem Reſtis noſtri ſuſtinet, propter eaſdem virtutes, quibus pater Ahalam amauerat, hunc dilexit, & vnice amauit. Hic ſueſſæ rectori, & Principi, Regulo nulla hominum memoria morituro, rebus fœliciſſime, prudentiſſime, fortiſſimeque geſtis, cuiq; fortiſſimo, & prudentiſſimo

tiſſimo Maiorum bellatorum comparando, gratiſſimus fuit, & hic Mediolanenſibus præfuit. Quis hunc, & propter vitæ ſanctitatem, & ſingulares virtutes non amaſſet? Quis propter ſermonis dulcedinem, & dictorum concinnam grauitatem non adijſſet? Et non attente audiſſet? Huius virtutes impulerunt Carolum Quintum, Turcarum, Germanorum, reliquorumque qui à fide chriſtiana deſcriuerunt, maximum terrorem, & fortiſſimum expugnatorem, Dei cultus optimũ defenſorem, & conſtantiſſimum propugnatorem, vt Mandrucius Tridentinus Cardinalis, qui tunc Cæſaris Imperio, & conſilio Populum Mediolanenſem, eiuſque ſocios quamplurimos regebat, in ſingulos menſes Duo millia, HS huic ꝓſoluẽda curaret, quod ſtatim effecit. Id & præmij gratia Ahala, & virtutis ergo aſſequutus fuit. Quo genere largitionis Solon dicebat Reſpublicas potiſſimum contineri. Nam vbi virtus præmia ſua agnoſcit, illic ponit veſtigia, illic vires ſuas diffundit, illic pulcherrimos ingenij fætus emittit, ad eoſdem partus, & gloriæ fructus alios inuitat. Ex quo fit, vt Reſpub. quæ huiuſmodi Seminaria habet, nunquam præſtantiſſimis viris careat. Cæſar ergo cui maxime notum erat, quantum cuiuſq; Reipub. intereſſet habere illos viros, quorum virtute, dignitas ſua, ſi non augeretur, quid enim illa maius eſſe poterat, at in varijs rebus ſibi commodis vteretur cognouerat, hunc in ædificijs, & publicis, & priuatis deſcribẽdis peritiſsimum, in quem & huiuſmodi viros cum Cęſar beneficia aliqua conferebat non dare, ſed accipere videbatur, hunc inquam ad oppidorum, & Caſtrorũ munitiones conſtruendas illum acceperat, quo nemo antiquorum nec firmius, nec elegantius, nec ad tor-

mentorum

mentorum ictus arcendos, repellendosue quicquam conſtantius vſpiam conſtruxiſſet, nec ad obſidendos hoſtes quicquam facilius,& commodius excogitaſſet. Hæc fama ex vera virtute perfecta, & omnium teſtimonio comprobata effecit, vt Cæſar, Cæſarisq; filius hunc præfectum fabrum totius Mediolanenſis Dictionis deligerent, qui Cæſaris, Philippique vicem in diuerſis Italiæ locis pugnantes ſuſtinerent, hunc fideliſſimum, & prudentiſſimum conſiliarium haberent. Effecit inquam huius multis rebus teſtata virtus, vt Cæſar bene mereretur de illo, quem ad optime de Imperio ſuo merendum quoties ſe ſe occaſio obtulerit, paratiſſimum habuit. Quem quoque Cæſaris filius præfectum fabrum totius Mediolanenſis dictionis eſſe voluit. Vt taceam eius honorificas legationes,& ad potentiſſimum, liberaliſſimum, munificentiſsimumque, & omnium ingenuarum artium, & natura,& maiorum ſuorum imitatione maximum patronum Regulum Florentiæ, & ad Ferarienſium Maximum Principem, ad quos miſſus fuit, à Rectoribus totius Reipub. diuerſis temporibus Mediolanenſis, qua in omnes liberalitate fuit? Quam officioſus? Quam procul ab omni ambitione? Quam bonarum artium appetens? Quam cupidus procul ab hominum frequentia, quo poſſet honeſtiſsimis ſcientijs animum ſuum explere, & rerum arcanarum, diuinarumque cognitione, quo totus trahebatur exſaturare viuendi? Et cum hoc ea cauſa appetebat, vt in ſolitudine reliquum vitæ ſpatium duceret, tũ vt agriculturæ,qua nihil, (vt inquit ille,) melius, nihil dulcius, nihil vberius, nil homine libero dignius, ſuauiſsimos, vberrimosq; fructus deguſtaret, qua & ſummos Imperatores delectatos, non ignorabat,

bat, aratrum, manibus, quibus hoſti ſpolia detraxiſſent triumphantes Turmas rexerant, cohortes diſtribuerāt, attrectaſſe. Id prætérea ſciebat, qui maxime ab antiquis laudaretur, bonum Agricolam, bonum Colonum appellatum fuiſſe, & ex agricolis viros fortiſsimos, milites robuſtiſsimos gigni, quam ſanctiſsimam prolē, (ſed quā ab illo antiquo ſeculo huius ſeculi Agricolæ degenerauerūt?) Antiquitas admirata eſt. Hāc animi tranquillitatem deſiderabat, vt egreſſus ab Vrbe tanquam ex alto, & turbulento mari, Rus veluti in portum ab omni tumultu liberū ſe reciperet, vbi poſt animi varias cogitationes ſe oblectaret, & agros luſtrando Laertem homericum ad leniēdum ex filio ſuo deſiderium, agrum colentē animo cerneret. Curium, qui de Pyrrho triumphauerat extremum ætatis tempus ruri degētem imitaretur. Cincinnatum cui magiſter equitum Ahala erat, Dictatorem, ab aratro ad faſces Imperij Romani vocatum admiraretur, & multa alia oblectamenta caperet, quæ ruri innumerabilia ſunt, cū optime ſciret ſe ibi fore, vbi inter reliqua beneficia, quibus multos cumularet, ſe illis quoque non parum profuturū ſperaret, qui illum de colendis agris, deque illorum ſterilitate in ſummam fœcunditatem, & copiam vertenda, terræ enim, & arboribus imperare, & illas ad voluntatem ſuam, propter illarum maxime cognitam naturam ſubigere videbatur, conſuluiſſet. Qua in re mirificam ingenij virtutem, vt prætercam agrorum irrigationes maxima induſtria, & admiranda facilitate per hunc inuentas oſtendit. Hęc ſunt bona, quibus animū ſuum Benedictus illuſtrauit. Hæc quibus meruit à Principibus, & ſummis viris amari, & de eo bene mereri. Quam verò eleganti, heroicaque

corporis

corporis forma, & facie eſſet, qua totũ hũc cõpactũ eſſe, declarat tabella quæ à noſtris, & alienis domi Tollentini viſitur, quam qui vident, & propius intuentur Benedicti viuentis egregiã formã agnoſcunt, & mirũ propèq; diuinum artificis ingenium deprehendunt. Hæc .n. pictura, illa omniũ iudicio cõmendatior, qui aues mutuo laudis certamine cũ æquali cõtendẽs fallebat. Nullũ hęc fallit, niſi quod admodũ pauci ſciunt illud opus eſſe Luciæ Anguſſolæ, ſororis Sophoniſbæ, qua Regina Hiſpaniæ Philippi Regis optimi vxor, dum vixit, nihil prudẽtius, nihil caſtius, nil charius cognouit, & habuit. Cui quoq; Europa ſoror, illa, illa quæ multis Pontifi. mortali hac cõpage ſolutis, pingendi ſummo artificio vitam reſtituit, & Piũ V. cuius prudentia, & moderatione vniuerſa Reſp. omnium rerũ Creatoris, & Maximi, Optimiq; Rectoris, nunc temperatur, & ad oĩum beneuolentiã, cõciliationẽq; bonorũ regitur oĩbus apertiſſima fronte, facie, & vitæ ſanctitate videndũ retulit. Et hæc dudum Carolo Schinchinello nuptijs cũ matrimonij dignitate, tum vtriuſque ſingulari amore iuncta fuit, has Brocardo Perſico Comite componente: Ex oẽs, vt nunc mittã Mineruam, Mineruæ omni arte inſtructam, & politã Annãq; Mariam, filiæ ſunt Amilcaris Anguſſolæ, & Plancæ Pontionæ ex antiquiſſima, & nobiliſſima familia, qui comites cognomento, ex veteri dignitate dicuntur, oĩbus muneribus, & ĩmunitate à Regulis noſtris, de quibus hæc domus optime meruerat, antiquitus decorata. Quærendũ cenſerẽ hanc ne tã perfectẽ pingendi artẽ cõprehenſam, vt ſi cũ quolibet vel Zeuxide, Parrhaſioúe, ne dicã cũ Seuero Imp. Socrate, & Platone philoſophis, Euripideq; poeta, quos mirifice hac arte delectatos cõſtat peritiore cõtenderẽt, victoriã referrent, ab ſũmo aliquo artifice, an à loco vbi ortæ, altæq; ſunt acceperint, niſi parẽtes ita ingenioſos, & ſolertes haberemus,

vt ijs nihil ingenioſius, nihilúe ſolertius eſſe poſſet. Nã & illarum domi iſtarum educatus omnium monſtroſorum monſtroſiſſimus, ſeruus, cetero qui aliarum rerum omnino expers, & ipſe expreſſa, elegantiq; figura quodlibet ei oblatũ effingit. Ad Benedicti contemplationem redeo. Huius imago affabre picta eſt apud ipſum Petrum Antonium. Cuius tabulam, qui videt magnanimum, & antiquũ heroem intuetur, hominẽ grauitatis antiquæ ſpeculatur. Tollentinum crebro adeo cum eũ viſendi cauſa, tum vt Benedicto Ahala, qui illic omnibus lineamentis perfecte expreſſus eſt quoad fieri poteſt, fruar. Habet idẽ Tollentinus in eodem cubiculo eorum Romanorũ Imperatorum, quorum potentiã, & felicitatem, varioſq; mores omnis terrarum orbis admiratus eſt ſimulacra, habet & ſummorum, illuſtriſſimorumq; & veterum, & recentium Philoſophorum effigies ad veram imaginem expreſſas, quo ſtudio in primis delectatur, tum quia grauidinoſus, quo deliteſcente, & adhuc incognito morbo aſſidue afflictus in optimis ſtudijs igniculos, quos à natura ad maxima quæq; & optima conſequenda acceperat, ponere non potuit, nec illos à pueritia mirabiliter incitatos exercere quiuit, tum quia non ignorat, & hoc ſtudio ſummos viros, quos breuitatis cauſa prętereo, oblectatos fuiſſe. Neq; id ab hoc ſine maximo iudicio factũ quiſpiam mihi negarit. Nam quid homine libero, ingenuoq; & ad res arduas cognitioneſq; diuinas nato dignius, quam cũ non poſſis te in eo ſtudio exercere, quod tuũ videbatur, & quo maiores tui floruiſſent, ad illud te referre in quo percurras egregia, & facta, & dicta eorũ quos rebus geſtis, aut aĩo pertractatis, & cõceptis hominum opinione inter cęlites antiquitas collocauit, & vt maximis Dijs ſacra fecit? Num hic Talis, teſſeriſq; capitur? Num alueolis delectatur? Num aleã quærit, & tractat? quo honeſto viro nihil indignius? Num maioribus poculis conuiuia frequen-

tat? Id certe nunquam egit. Num igitur Veneris pictu-ram hic intuetur? Num vinolenti Bacchi ſomnia quærit? cuius bacchanalia, vt antiquorum annalium non imperitus olim à prudentiſſimis Romanis ex tota Italia exterminata fuiſſe haud ignorat? Num hic Sardanapali ſimulacrum admiratur? Num corinthia vaſa ſuſpicit? Num tecta pulcherrime celata, & laqueata eum admirantem detinent? non profecto. Morbus enim qui hunc olim quinquennium, & multo amplius in lectum relegarat, lenior factus domũ nunc relegat,& contractiori vſura, vt limen non egrediatur ni fortunæ temeritatẽ,quod vt prudens non faciet, periclitari velit, interdicit. Magnam capit delectationem,quando Benedicti ſui tabulam inter Philoſophos quorum adyta aperuerat, inter Poetas, Oratoresq; elegantiſſimos,quorum magnũ vſum habebat inter magnanimos, inuictosq; Imperatores, quorum hic magnanimitatẽ referebat cernit. Equidẽ ſi huic corporis vires firmiores natura elargita fuiſſet, non Petro Baldino Iuriſc. qui Tollẽtino olim profectus nomen huic familiæ dedit, & hac in vrbe domicilium ſibi elegit, poſteriſq; varijs affinitatibus illuſtratam tradidit,non inferiorem ſe præſtitiſſet. Quem cum ſciret à Franciſco Sfortia quo tempore Tollentinũ oppidũ in agro Piceno cuius incolæ Tollentinates dicuntur poſitum imperio poſſidebat,compluribus magiſtratibus decoratũ fuiſſe,maluiſſet imitari, & ad maiorum ſuorum illuſtrem gloriam currere, quam intra domeſtica tecta veluti relegatus,& tanquam ad extremum ſupplicium amandatus vitã hanc ſibi ærumnoſam, amicis minime iucundam propagare. Legerat quoque Collam P. Baldini fratrẽ Cataphractorũ Equitũ præfectũ electum fuiſſe ab eodem Sfortia, qui non de vno tantum promereri volebat ſummis in bello dignitatibus, verum & de duobus,& de pluribus ſi Lancionij (hoc .n. familiæ

prius erat nomen) complures fuiſſent. Et inter reliquos ellectiſſimos viros, & armis, & togis quos domus hæc habuit, fuit & Nicolaus Iuriſconſ. quem maiores noſtri in iudicũ ordinem hic cooptatũ viderunt, & eius in dicendo eloquentiã cognouerunt, in legũ interpretatione ingenij acumen, & peritiam ſenſerunt, in clientũ cauſis ſuſceptis fidem mirati ſunt, in ciuitatis commodis proſpiciendis diligentiam, & induſtriã perſpexerunt; & ſummo opere commendarunt. Hunc Petrus Baldinus Cremonenſibus progenuit, quo beneuolentiæ pignore firmiſsimo, ſe iampridem in ciuiũ noſtrorum numero ſignificauit. Hic Danielẽ Tollẽtinũ Frãciſcanæ familiæ Theologũ grauiſſimũ conſultò prętereo. Anniš.n. paucis ante Prouinciali munere defunctus perijt. Hæc domeſticam coniunctionem ꝓxime attingunt à qua vt nunquã Petrus Antonius animi magnitudine degenerauit, ita corporis actione lõge ſuperatus eſt, quam intercluſam & tanquam Ergaſtulo ſeptã, quia vidit ad illos conatus euolare non poſſe, quos puer animo conceperat, non paſſus eſt tam claræ, & nobilis familiæ hic firmiſſime impreſſa veſtigia antiquari, & extremæ obliuioni tradi, quod quãto dedecori poſteris ſuis ſi qui ſuperfuiſſent accidiſſet, animo cernebat, diuturnis meditationibus præuidebat. Quare præter ciues ſuos, quos vt memores, & antiquæ nobilitatis ſuæ, & maiorũ ſuorũ amantiſſimos habet, quibus ingenij viribus potuit, & veteres amicos ſeruauit, & nouos ſibi cõparauit. Qui tot ſunt, vt nec ſcribendi maximo ocio eos cõplecti poſſem, nec longo ordine cõprehendere, duos tantũ nobilſſ. & literatiſſimos nominabo, quorum clariſſimo nomine cõtenti, temporis anguſtia prępediti, & ferè interpellati, nõ ægre ferent cęteri, ſi duobus tantũ hic poſitis reliquos ſilentio pręteribo. Nemini igitur veſtrum obſcurum eſſe arbitror, quam Barbarorũ familia apud Venetos antiqua, & nobilis ſit, in cuius nobiliſſimis tectis iampridem muſæ

oẽs habitare creduntur. Quo.n.Hermolai Barbari nomẽ literis illuſtratũ, maximis, & optimis diſciplinis nobilitatum non euolauit? qui locus in terris eſt, qui egregium huius viri nomen non cognouerit? quæ obſcuritas in maximis difficillimisq; ſcriptoribus eſt, quæ lucem huius vigilantiſſima induſtria non acceperit? Huic ſucceſſit Daniel nulla in re Hermolao patruo inferior, neſcio an multis in rebus ſuperior, ne hanc inter patruũ, & nepotẽ, quæ tamen patruo grata eſſet, cõtentionem ponam, eodẽ diſciplinarum genere vtrunq; decoratum dixerim. Hic Aquileienſium patrum, qui ampliſſimus, & honeſtiſſimus ordo eſt, princeps ellectus eſt. Cum hoc tanta literarum viciſſitudine vltro citroq; miſſarũ Tollẽtino amoris coniunctio eſt, vt nihil copulatius, licet alter alterum nunquã viderit, eſſe poſſit, nihil amabilius in oĩbus beneuolentiæ delicijs quiſpiam inuenire queat. Nam qui externorum gratiam cũ Tollentino inire vult Danielis Barbari ad hoc opera vtitur, qui ex Cremonen. alijsúe aditus ad Barbari beneuolentiam ſibi conciliandam patefieri exoptat, nullius vt hoc conſequatur faciliori ſtudioſe poſſe vti putat, quam Tollentini, qui cum multis rebus homine libero dignus præſtet, hoc præſertim laudis genere excellit, & ab oĩbus cõmendatur, hunc ad ſummorum & varijs virtutũ inſignibus ornatorũ beneuolentiã quotquot in hoc laudis genere facillimum eſſe, cuius diligenti opera, & mihi multos amicos cõparaui. Nunc ad alterum venio de quo & mihi propoſitũ dicere fuit. Sebaſtianus igitur Erizzus Io. Triuiſani patrum ordinis Venetijs Principis, cuius in Tridẽtino Concilio vbi ſummorum Antiſtitum prudentia rei Chriſtianæ ad priſcorum formam, præſentem inſtitutionem reuocantiũ cœtus cõuenerunt, doctrina ex intima philoſophia, & ex maxime arcana Theologia deprumpta oĩbus qui tunc aderant perſpicue patuit, eſt nepos. Hic (Sebaſtianum dico) Antonij filius, qui præter cæteras

dignitates quibus Venetorum rectores, & præſides litera-
tos, nobiles, antiqua proſapia progenitos cohoneſtare ex
veteri inſtituto ſolent, Byzantij quoq; Baiulus fuit, quod
dignitatis nomen quantę exiſtimationis ſit, qui Byzantia-
rum rerum non expertes ſunt, nouerunt. Quod .n. noſtri
ſcriptores latini corpori impoſuerunt, illi nō dubitarunt
animis, tanquam omnium rerum maximam curam hoc
aſcribere. Qui enim huiuſmodi opera ſuſtinent, merito
putantur quamlibet Baiulorū noſtrorum onera grauiora
ferre, & ſuſtinere. Hic multa prætereo quæ ſi commodū
eſſet, tanquam in hanc antiquiſſimam, & nobiliſſimam
Erizzorū familiam iam aſcitus nō dicam oratione inter-
pellata amplecterer, ſed continua percenſerem. Verum
cum hæc eo illuſtri in loco poſita ſit, vt vndiq; circumſpi-
ciatur, tenebras illi oratione mea nimis fortaſſe perplexa
& breui offundere minime velim. Quæ quando illos non
habuiſſet, quibus Veneti gloriantur, Sebaſtianus de quo
nunc agimus, ille eſſet, qui & maiores illuſtraret, minori-
busq;, & poſteris illuceſceret. Nā hic præter cognitionē
ſermonis latini, Græciq; & Hetruſci, cuius proprietatem,
& in verborū concinnitate, & in natiua domeſticaq; Thuſ
corum pronunciatione, & ſuauiſſimis numeris, occultisq;
ſenſibus optime nouit ad rerum antiquarum abditiſſimis
in tenebris deliteſcentiū inuentionē facillime libris qui
breui diuulgabuntur, nunc.n.imprimuntur aditū indicat.
Nec illud minus eiuſdem mirabile, inijſdem maxima luce
digniſſimis libris docēdi perfectū, & verum modum rerū
cognoſcendarum quæ in doctrinā cadunt, quibus in pul-
cherrimis explanationibus, & rerum ciuilium ſplendide
cognitio apparet. Quibus maximis doctrinis quā amęne
rebus Platonicis ſe aſſuefecerit doctiſſime declarat. Neq;
hoc rerum effingendarū cōpoſitionem, & naturam adhuc
quiſpiam artifex acutius inuenit. Veram effigiem deſcri-
bit, deſcriptam oībus videndam profert. Eorum iudicio

qui hanc artem callent, hoc nihil perfectius, nihil abſolutius. Huic quã Tollentinus ſit charus, Erizzi ad hunc multæ,& doctæ literæ perſpicue,& pàlam propediẽ teſtabũtur. Cuius amicitiam nulla alia re facilliori ſibi,cõciliauit quam morum ſimilitudine, id quod mutuis literis comprobatum fuit. Nam pares animi licet longo interuallo diſiũcti ſint,incredibili tamen facilitate iunguntur. Hinc fit vt quos nunquam vidimus, tanquam præſentes amplexemur,& eorũ aſpectu nõ vt Ppydię ſimulacro quo nihil hominum manu fabricatum admirabilius, ſed vt prẹſenti corpore fruamur. Neque hic minorem delectationem ex Barbari, & Erizzi animo concepta, & intimis tanquam rerum ante oculos ſeſe mouentiũ Idea ſenſibus impreſſa, aſſidua, dulciq; cõmentatione, & meditatione capit,quã ex Io. Pauli Gulferami, & Ferdinandi Bonetti frequenti,docto,amœno,ſuauiq; colloquio,& vero, germanoq; vtriuſq; aſpectu. Qui vt vrbis noſtræ maximum ornamentum, veteriſq; probitatis ſingulare exemplum, ita huius maximæ delitiæ, ad quemlibet animi dolorem leuandũ maximũ ſolatium. Quorũ vterq; vt à Mercurio prognatus,ita Palladis lacte educatus creditur,cũ quouis .n. horũ loqueris,cũ prudentiſſimo Neſtore te loqui exiſtimato. Horum iuuenũ cõſilio,& prudentia ciuitas noſtra lætatur,gaudetq; externi sũmi,& excellẽtes viri iudicio, & ſententijs in rerũ ſuarũ ordine componendo vtuntur. Vtriuſq; ſcientiarũ,& doctrinarũ diuerſa ſunt ſtudia,eadẽ tñ animorũ coniunctio,& ſimilitudo. Quos .n. modeſtiæ terminos Gulferamus ad vitę huius breuis ꝓductionẽ ſibi cõſtituit,eoſdẽ Bonettus nõ diſſimili prudẽtia ſibi cõparauit. Quibus quoq; remedijs,& rationibus vnus ad improborũ technas auertẽdas,ijſdẽ alter ad cuniculos fallẽdos vtitur. Nec alter altero fortior in ijs ferẽdis quæ maximi philoſophi,& in ſcolis deriſerũt,& in hoĩum cętu cõtempſerunt. Horum conſuetudine Tollentinus nihil charius,

nihil antiquius, nihil quod magis eius moribus reſpondeat, conueniat, & vſquequaque conſentiat, habet. Ij cum vna ſunt nihil gratius ſentiunt, quàm de virtute ideſt ſolo bono agere, de quo aſſeueranter diſputantes, & diſputata breuiſsima complexione ſubducentes in ijs actionibus omne bonum reponunt, quæ integra fide, præclarisque vitæ officijs conſtant, in ijs denique, quæ nos Deo amabili charitate iungunt, cuius diſertiſſimæ diſputationis recordatione, nunc & ipſe dicendo alor. Ij ſunt Palladis, & Mercurij, non Martis, & Bellonæ duo fulmina. Ij ſunt quibus cum Tollentinus mentem alit, ſenſus oblectat, quorum doctiſſimo ſermone ſi langores non tollit, at leuat. Sentio generoſe, & illuſtris Benedicte quàm longe hac oratione mea ad Tollentini viriles igniculos, at capitis crebra laſsitudine ferè ſopitos, & extinctos proferendos, amicos exponendos, ad eiuſdem maiores prodiendos, ab eo quod mihi propoſueram aberrauerim. Qua in re à te peto, vt quam veniam Architectis, Structoribus, Fabris aliquando declinantibus à tibi deſcripta linea, & forma, vel natura loci, vel adornandi ædificij, aptiusque muri ponendi, munitionum, & caſtrorum commodius, & elegantius conſtruendorum cauſa dediſſes, nunc mihi quoque des. Quam mihi dulcem digreſsionem, nec tibi iniucundam crediderim, tum ea maxima, & antiqua affinitate, quæ tibi cum Tollentinis iampridem eſt, tum naturæ tuæ ſuauiſſimo ingenio. Tollentini fortunam, vel ſi mauultis fatum accepiſtis, quamobrem ſe maioribus ſuis adæquare non potuerit, eiuſdem in gratia cum optimis, & literatiſsimis viris ineunda facilitatem, ſatque bonam fortunam, & illuſtrem gratiam cognoſtis. Nec tamen credo quæ de Ahalæ ingenij vbertate, animi præſtantia, liberalitate, temperantia dixerim vobis excidiſſe.

In huncolim cecinit hæc Vida. BENEDICTO AHALAE NON VNIVS TANTVM ARTIS NOMINE PRAESTANTI, SED QVOCVNQVE ANIMVM INTENDISSET SVMMO. MERVIT ADOLESCENS IMPERAT. CAROLO QVINTO. NEC MINVS DEINDE PHILIPPO HISPANIARVM REGI CHARVS. ACRI AD ABDITISSIMA QVAEQVE INVESTIGANDA INGENIO. PLVRIMIS ADINVENTIS DOMI, BELLIQVE ADIVMENTIS, QVAE QVISQVAM ALTER NE SVSPICATVS QVIDEM FVIT ANTEA. HOMO FRVGI, HEROICA QVADAM RERVM HVMANARVM DESPICIENTIA INSIGNIS. Ij ſunt Triumphi; quos fortuna ex tam illuſtri domo abſtulit, eæ ſunt exuuiæ, quas nobis eripuit, hæc ornamēta, quæ ciuibus noſtris ademit. Hæ ſunt excurſiones, & cum Ahalis fortunæ cōflictiones. Quorum tot præclaris viris cum Maximo Ciuium mærore tam Illuſtris domus orbata, ne laberetur diuina Deorum immortalium prouidentia, & bonitate prouiſum eſt. Nam vt Ioannes Petrus, ſic enim & Pater horum appellabatur, duos literis politiſſimos, Paulum Senatorem, Benedictum omni ſcientiarum genere excultum, aliquando in re militari verſatum, reliquit, quatuor multarum, copioſarumque cohortium Ioannem Franciſcum, Ioannem Baptiſtam, Danielem, Ioannem Petrum impigros Ductores, litteris non mediocriter, & ipſos cohoneſtatos, Patriæ, ex Polyxena Cambiaga egregia oēs forma, & indole ſuſceptos, antiquæ huius

domus clariſſimos obſcides dedit, ſic per Ioannem Petrum filium Petri æqueſtri nomine, & titulo inſigniti, & per Luciam huius antiquę domus recentem claram, fertilemque lucem Dij immortales, Ioannem Franciſcum nobis reddiderunt, Paulum reſtituerunt, Benedictum retulerunt, Fabium addiderunt, à quibus niſi nos coniectura fallit, nō minora ſperanda ſunt ijs, quæ eorum patrui ad omnium admirationem ediderunt. Horum enim ex generoſa fronte præclara ingenij, & virtutis indoles elucet. Quorum euentus, vt expectationi noſtræ, totiuſque Ciuitatis reſpondeat Dij immortales iam nuncupatis votis faxint. Quantum nobis de his ſperare liceat animo cernere videor. Quam enim proxime ad Maiorum, parentumque ſuorum effigiem, & mores accedant prope vniuerſa Ciuitas nouit, nedum ego, pęnes quem erudiuntur. Verum quo me hæc præclara, nobiliſq; familia virtutis, exiſtimationis, ingenuitatis, morū, liberalitatis, honeſtiſſimi ocij, tranquilitatis, continentiæ domicilium rapuit? Ferte quæſo hęroici Manes, vt bona venia veſtra ad illum me vertam, qui viuos ſolatus eſt, cuius facundiā viui ſenſiſtis, qui Manes veſtros docto colloquio affatus eſt, cuius laus maximo ſtudio comparata, Numinis ſanctiſſimi afflatu illuſtrata, muſarum beneuolentia conciliata, hominum fauore, & cōſenſu bonorum, litteratorumque cuiusque ſcientiæ expertorum comprobata longe, lateque diffuſa, totum terrarum orbem peragrauit, cuius cęlites grandem orationem blandiſſime ad aures ſuas admiſerūt, cuius in dicendo ſtylum grauiſſimum omnes probauerunt, amici noſtri ſenſerunt. Quem & mutæ nationes, terrarum vltimarum ſola audiuerūt. Priſcorum Reſpublica vaga hunc nouit,

uit,

uit, mox ſtabilita commendauit. Sed vnde exordiar? liceat mihi more poetarũ præfari. Pandite nunc Helicona Deæ, cantuſque mouete. Ad illum igitur iam implorato muſarum auxilio acceleremus, qui cum ſibi æternam gloriã compararit, nos, liberosque noſtros per hunc in varijs, ſempiterniſque ætatibus futuros, ad extremas orbis partes tranſportauit, nomenque noſtrum orbe latius diuulgauit, quo ad ſuprema Cœli faſtigia varij generis opera concinente, peruolauimus. Cui quicquid perpetui decori, & ornamenti nõ ætatis, ſed immortalitatis, hęc patria apud poſteros habebit, huic acceptũ referet. Cuius ex ordine geſtos inſignes Magiſtratus me exarantem, vt æquo animo audiretis depoſcerem, niſi ex fronte, animiſque veſtris voluntatis veſtræ perſpicuæ, in horum auditionẽ maxime inclinatis apertiſſimum indicium cognoſcerem. Quod cum ita ſit inſtitutum noſtrũ ſtudium perſequamur. Nulla fuit igitur dignitas, quam priſci Romani decoraturi familias ſuas ambientes, opinione tum virtutis, tum vera virtute obtinebant, quam hic ſuffragio virtutis, morum integritate, laboris contemptione, qua omnem deſidiam expulit, non aſſecutus ſit, & in ſingulis Magiſtratibus ſuis talem ſe geſſit, vt à nullo Cenſoria nota ſe Magiſtratibus abdicare coactus fuerit, omnium enim gratiſſima admiratione, illos conſequutus eſt. Nam qua laude, quo ve honore non dignus habitus eſt in adminiſtratione Quęſturæ, apud Franciſcum Regis Galliæ filium? Cum enim Quęſtura apud Romanos reliquis honoribus aditum patefaceret, operæ prætium duxit, & hic poeticã artem tanquam Quæſturam ita profiteri, vt quæ poſtea aggreſſurus eſſet, eius optimo dicendi ſtylo congruerent.

Ludicri quadam acie præmiſſa, maximæ delectationis ludo, & bombicybus in ſinu Gonſagæ Iſabellæ fouendis repoſitis. Et vt multo difficilius non ignorabat Iuuenes Romanos cum exiſtimatione ſui, hominumq; probatione ab illo omnium primo honore diſcedere, quam Dictaturam cum laude, totiusq; populi applauſu reliquis Magiſtratibus perfunctos deponere, ſic peracta, confectaque poeſi ingenioſus, & bonus hic poeta vidit, non fore ſibi difficile, alijs tradita præcepta eodem exactiſſimo ordine, & poetico ſeruare. Hic ergo quæſtor, Franciſco Regio filio dum Herois commoda percurrit rerumque & fortunæ viciſſitudines ſapienter explicat Heroum præſtantiſſimus euadit, variorum Procerum edocens Magiſtratus, faſces ſuarum dignitatum futurarũ præmittit, virtutis ſuæ ſpecimen, quicunque attente hanc Quæſturam percurrerit; nihil quod ad ſummum ſpectat poetam deſiderauerit. Illic enim exactam legentium curam præmunit, ſtrenuos duces armat, magnanimos communi Marte Imperatores cõcurrere illic docet. Milites inſtructo agmine in aciem irrumpentes, hoſteſque bello laceſſentes, in priſtina Caſtra dato ſigno, ordine omni ſeruato militari, reuocat. Inducias inter vtrosque Duces fieri, ad pacem, vel deprecandum, vel bellum acrius indicendum magna arte, vtrinq; appingit, fide ijs data, & ſeruata educit, nec minori aciem diligentia inſtrui, ex huius arte Ludicra animaduertimus, quam à ſummo & exercitatiſſimo Imperatore. Qua ioculari trepidatione, conuerſioneque, Scacchiam ſuam ita affabre depingit, illiusque honeſtiſſimi ludi oculis ita ſuggerit formam, vt quilibet tanquam peritiſſimus, illam legens, iocari videatur. Nam hic dolus dolo detegitur;

delite-

deliteſcentes inſidiæ deluduntur, Reges concitato agmine, equitatu in pugnam accenſo, in hoſtium Caſtris Vexillum ponunt, repelluntur à tergo, inopinantes, alij ipſos adoriuntur, hoſtes punctim, cæſimque ferientes Caſtris potiuntur, in Victoriam denuo certatim incumbunt. Quid Matronæ? Quid innumera multitudo noſtratium, aliarumque honeſtiſſimarum Virginũ, cum voluptatis, ſiue emolumenti cauſa iuuet habere Bombycum Caſtra referta. Vnde ſi huius artis exquitunt perfectam, excultamq; cognitionem exactius excerpere, adiſcere, cognoſcere queunt? Hoc ſtudio Iſabella Gonſaga immortalitati conſecrata eſt. Huius rei memoria in Poſterorum oculis, labor in omni ſtudio vigelantiſſimi, in omnique doctrina politiſſimi Hieronymi Vidæ ſemper viuet. In quam enim admirabilem magnitudinem ex re, filoque tenuiſſimo, opus illud excreuerit nemini illorum lenium, tenuuiumq; Caſtrorum ſtudioſo obſcurum eſt. Qua facilitate paruula illa animalia educentur, qua ve arte reparentur, ſi pœnitus interierint, & in quos vſus eorum verſicolores, Regijque fœtus, & ornatus ſeruentur hinc facile cognoſcimus. His & huiuſemodi alijs innumeris pigmentis Quæſturam ſuam Marcus Hieronymus Vida complet, hac nullam gratiorem, aut clariorem, diligentioriue cura adminiſtratam fuiſſe, facile admonemur, quo officio, & ſtudio ſibi bonos viros vltro omnia virtutis præmia delaturos fore, in animum inducebat, ex more Candidatorum, Purpuratorumque Romanorum. Nam cum legitimum Quæſturæ annum nondum poſuiſſet, talem de ſe opinionẽ apud grauiſſimos homines in ſummis Magiſtratibus conſtitutos, Clementem & Leonem ſummos Pontifices, induſtria,

ingenij

ingenij ſui concitauit, vt nullam dignitatem quanuis magnam, fretus virtute, innocentia integritateq; ſua confiſus, Virium ſuarum ſæpe facto periculo deſperaret. Cum enim adoleſcentiæ in omni re probatæ magnum indicium lectiſſimis viris relinqueret, ad alios ex ordine ſequentes Magiſtratus aditum ſibi patefactũ animo cernebat, id quod re conſequutus eſt. Nam Quæſtura honorifice functus, qua omni cum expectatione, qua concitata, & iam probata laude prioris dignitatis, ad Præturam ideſt ad humanæ ſalutis autoris, & ſeruatoris vitam quam Chriſtiada nominamus, acceſſit? Nouimus in Prætura Romana duas res vehementer deſideratas fuiſſe, quæ ad Conſulatum adipiſcendum optime functo Quæſtura prodeſſent, muneris expectationem, quæ rumore, ſtudio, ſermoneque omnium in bene geſta, & literis conſignata Quæſtura creuerat, alteram euentus, ex omine prærogatiuo fælicitatis famam. Vtrunq; huic diuinitus in diuino illo opere eueniſſe facile cognouimus. Large enim, & effuſe huius induſtriæ, & elaborati ſtudij, in omnes munificentia perſpecta fuit, cum in lictores, reliquumque comitatum, tum per varias prouincias, arduas, difficiles, ſaxoſaſque peregrinationes Diuini Hęrois morborum omnia genera ſanantis, & in priſtinam lucem vita defunctos reuocantis, exponendo, & illuſtrando, nihil ab hoc, & homine, & Deo factum omittendo. Sed vnde Oratio digreſſa eſt reuocetur. Ex prætura itaque Marci Hieronymi Vidæ, quam in Chriſtiados libris enucleate, omnibus vigilijs elaboratam Iuriſdictioneque exactiſſima abſolutam, perfectamque habemus, quæ Ducis partes, quæ militum munera ſint perſpicue nouimus. Hic enim ingenij vires ſummas,

acerrima

acerrima ſtudia, optimam doctrinam, vſum dicendi maximum, ad fortiſſimi, optimique Ducis tenuem exercitum cogendum protulit. Hic famem, ſitim, corporis pericula, animi angores, horribiles hoſtium appetitiones, inſidias clandeſtinas, ſed Regi prudentiſſimo notas, Pugnas non communi Marte geſtas, ſed Ducis periculo vitæ compreſſas, & ſedatas adiſcimus. E Topiario Vexilla ſublata, hoſte eluſo eodemq; profligato, ad Quirites æternæ quietis, & Imperij tulit, & ibi ad Tholum aureorum templorum defixit immortalia Trophæa. Victoriam partam, pro quibus ſe deuouerat impertit. Matronas morte Ducis confectas, pręmio victoriæ ſolatur, omnes eius Caſtra ſequutos, innumerabili ſtipendio donat. Pacem apparitoribus eiuſdem in Cœlum dimigrantis aſſignat. Nullum denique bonum virum præterit, qui in omni ætate non prædicaret ſe inclyti Ducis, cuius in Prætura Vida inſignis Aquilifer fuit ingenti liberalitate vſum fuiſſe. Non enim tantum Ciues, ſed etiam Peregrini, ritu antiquæ Præturæ Romanæ ſibi in hoc Magiſtratu optime per Vidam, cōſultum vno ore omnes fatentur. Dum hic omni laude dignus talem ornat Præturã, iam ſanctiſſime geſta Quæſtura, qualem aditum ad reliquas claritates, honorumque amplitudines, ſibi impoſterũ fecit, omnium conſenſu hominum, Deorumque fauore? Nam cum Prætura ſe abdicaſſet, conſulatus honorum ſummus huic defertur, quem tanta literatorum expectatione adiuit, vt cui hic Magiſtratus omnium ſuffragio deferretur, non facile aptus inueniretur, quãdo hic inſignia, duodecimque lictores, & cohortem Prætoriam recuſaſſet, Tentarunt multi, ſed inauſpicato. Hic vero vix munus obiuit, cum ſe huic ille obtulit,

tulit, cui omnia in cunctis ſuis Magiſtratibus proſpere geſta, & adminiſtrata accepta Vida retulit. Cũ Deo enim Patre principio, & oĩum rerum origine Hymnos ſuos ad Cęleſtẽ harmoniam ita cecinit, vt huius aſpectu frui videatur, ſermoneque præſenti capi. Et dum huius Imperatoris ſupremi Maieſtatem exequitur, horrendum, immenſumque Imperium, & Diuinam poteſtatem, æternamque auctoritatem profitetur. Huius enim ſolius in hoc cantu, Hymnoque diuino gloriam, laudem, honorem, potentiam complectitur, quàm ſummã ita extollit, vt omnia quæ nobis bona perficiſcuntur illi debeantur, cuius nutu omnia reguntur, & temperantur. Huius adyta nobis ita recludit, inextricabilemque rerum abditarum ordinem ſic illuſtrat, & patefacit, vt longas Priſcorum ambages, verborumque anfractus, & infinitas circuitiones ad huius potentiã, bonitatem, largitatem explendam, clementiamq; recognoſcendam, non requiramus. Quæ ab alijs vario, multipliciq; ſermone tractata ĩuolutoq; ſẽſu meditata, literisq; mandata, hominẽ quãuis Neſtoris ętatẽ viueret, ſuſpensũ, reiq; dubiũ, & incertũ tenerent, hic ſine vllius exquiſita, & laborioſa interpretatione facillime explanauit. Hic noſter maximus Antiſtes, conſulque legitimus nunquã ingenio ſuo diffiſus, diuino pręſidio maxime ſeptus, gratiaque munitus, quanta facilitate, quam breui, apertoque præſcripto huius diuini Imperij regionem, toto orbe terrarum latiorem, nobis, Poſteriſque noſtris reliquit? Hocque Hymno patri decantato, illius virtute, & præſtantia declarata ad filij vnigenæ ſobolis purpuram, ſceptrum, & regia inſignia defertur, quorum tum in Conſulatu, tum in omnibus ſuis Magiſtratibus Imperia connectit, & cum vtrisque

com

cõmunicat, & hæc ipſe obeunda, & luſtranda ex velitationibus & excurſionibus, quas antea honeſtiſſime in Quæſtura tentauerat, Heroico, & Diuino Carmine, Poeticaque exercitatione, vt faciliorem aditum ad difficiliora haberet ſibi reſeruari prædiuinabat. Filij itaque præter infinitam auctoritatem, à Patre conceſſam, perpetuitatemque omnium bonorum datam, tantam doctrinam, tantam in omnes pietatem, tot res geſtas æterna admiratione literis mandatis profitetur, vt omnes huius Magiſtratum diſpiciant, Quòd Parentis, & filij multa ſecula intercepta, fere obliuione ſcita cognoſcant, quæ diſcordibus placitis ſciſſa, & diſtracta hominum ineptijs, vel potius improbitate erant, amotis tenebris, huius luce virtutis, Diuino ſuffragio adiutæ, admota, à Deo primum, de hinc ab hoc Antiſtite laborioſo, per quem tenebris inuoluta in lucem reuocantur, ſe accepiſſe vno ore docti prædicant. Quid? Exuuijs etiam in Conſulatu ſuo, ab hoſte ereptis, Patris, & filij internuncium cohoneſtandum cenſuit, vt omnis boni fontem, & originem, Maria, Cœlum, terram, ſuo numine implentem. Quo annunciante orbis ſalutem, mortaliumque extremarum miſeriarum vera, ſalutariaque medicamenta, & cõmunem libertatem, teterrimus, & infeſtiſſimus, cõmuniſque hoſtis vaſtiſſimo Regno ſuo, profundiſſimis inferorum ergaſtulis tenebricoſiſque, & obſcuris plagis Tartareis cæpit diffidere. Nam fractis, exhauſtiſq;, & penitus eneruatis viribus ſuis, vna cum Imperio ſuo, in tenebris perpetuo cum impuriſſimo comitatu ſibi iacendum videbat. Quod illi obtigit, dum filius Patris nuntio parere non recuſat. Hic Cœli omnipotentis aura, ſanctus, Diuinusque ſpiritus flentes homines, & in ſqualore iacen-

tes ſolatur, cūctis oſtēdens opima victoris, cruēta ſpolia. His decantatis Hymnis, Herois gratiarum actionem, extremamque ſacri panis, cum Quiritibus, ac lictoribus eius cōmunionem, ita exacte celebrat Vida, in eodem Conſulatu, vt Diuinus Heros, qui ab hinc multis ſeculis patrium adiuit conſpectum, hæreditatem paternam creuit, eaſdem epulas nectare, ambroſiaq; perfuſas, nobiſcum celebrare videatur. Quirites vero fideli Charitatis, gratiæ, periculorum labore, apertiſſima exempla, qui Ducis veſtigia ſequuti, corporibus, varijs tormentis admotis, teſtati ſunt, quæ ipſi paſſi fuerunt, dum quiſque pro libertate Chriſtiana, in arma rueret, præmijs diuini carminis ſui hic munificētiſſimus Antiſtes remunerauit, vt & in hoc Magiſtratu, Quæſtoris nomine, tanquam in bello fungi videretur. Sunt & Matronis in eodem opere ſua prę mia, ne minus animo vigilantia, cura, quam munere, & Conſulari liberalitate ſingulis Diuinum Heroem ſequutis conſultum eſſet. Suntes exēplo reuocatorū ad lucem, Pauli præſertim, ad ſpem ſalutis, modo ſibi non deficiant, allicit. Qua in re dum præmio laudum, & meritorum illa Priſcorum conſuetudine Conſulum, qui Rempub. communi iure ſuſceptam æquabilitate etiam adminiſtrabāt, omnibus conſulit, memoriam huius adminiſtrationis perpetuæ hominum memoriæ dedicat, omnique monimentorum genere conſecrat. Vix hunc Magiſtratum, quem ſanctiſſime adminiſtrauit, depoſuit, cum ad dictaturā more Romano, quo vni ſumma rerum aliqua vi repente oborta, nouoque tumultu bellico excitato, & aliunde bello ſibi indicto demādabatur, acceſſit, omnibus hanc illi ſummā dignitatem ex grato, fauſto, felici, fortunatoque ſuperiorum dignitatum

tum euẽtu ſuſtinuit. Huius dictatoris ora ſingulari virtute prædicti Viri intuentes, quorum aſpectu vix ſatiari poterāt, ſibi magna promittebant, cum in reliquis Magiſtratibus talem cognouiſſent, qualem ab hominibus natis nullum, vel legiſſent, vel ab alijs in ſimili genere certaminis accepiſcent. Quid? dicet fortaſſe aliquis dignitatum Romanarum non penitus inſolens, is ne omnibus honoribus inſignitus fuit, qui Romanos alioquin prudentiſſimos in extremas fortunarum contentiones impellebant? vbi auguratus? vbi ædilitas? vbi Cenſura? vbi iudicandi poteſtas? Id non putabam quęri oportere, quando ea extabant, quę id apertiſſime teſtarentur. Quoties enim templa inſtaurauit, quę plurima renouauit, non ne toties dum templa auguraretur lituum manibus geſtās, auguris, & AEdilis perſonam, & dignitatem ſuſtinuit? Cum Rempub. attigit, & ad eam ſe accomodauit, vel potius ad communes ſenſus eam direxit vnicuique id canens, quod apte ex rei actione perſonis conuenire ipſe maximi, & ſeueriſſmi iudicij, vir exiſtimaret, non ne qualis iudex, & Cenſor eſſet, (ſed de cenſura paulo poſt) omni ſublato errore demonſtrauit? quid ſi ego addo illum, & Tribunatum geſſiſſe, licet nullas, à patricijs, & maioribus ſuis antiquiſſimis ad plebem tranſitiones fecerit, ſed in antiqua, nobilique familia ſua non in aliena adoptatus, manſerit? quid ſi hunc quoq; Magiſtrum Equitum ſuo loco demonſtrabo? Nam quando populum Albæ Pompeiæ, quę hunc Epiſcopum multos annos habuit in maxima fame, frumento, alijſque rebus pauit, quem alium populo illi ſe præbuit, quam plebis cuſtodem, & Tribunum ſacroſanctum? In quo gratiſſimo, & Tribuno plebis frugaliſſimo, illud Albenſes pleniſſimum

immortalitatis exemplum obſeruarunt, & ad familias ſuas alendas colligerunt. Erat fundus ſatis amplus prope Albæ mœnia, in quo Vida quotannis fabam ſerebat, quæ cum ad maturitatem perueniſſet, plebem in agrum immittebat. Vnde quo maior ſiliquarũ copia colligebatur, tanto maior ſequenti die apparebat. Id per multos dies viſum fuit, admirantibus omnibus Albenſibus, & Epiſcopo ex ęde ſua innumerabilem illius populi multitudinẽ incredibili animi lætitia proſpiciente, in fundum illum vberrime in horas fructus multiplicantem certatim irrumpentẽ. Quod quia Diuinum non humanum munus omnes tunc cognouerũt, literis mandare non ipſe dubitauit, vt non ſolum id præſens ſeculum ſciret, ſed vt quoque ad omnem poſteritatem perueniret. Id eſt ne ſolum Tribuni, an potius Dei, huius Tribunatum probantis? Quid præterea, quando res ad veterem dignitatem aliquando diſceptatas, frontis contractione, ſuperciliorum grauitate reuocandas cenſebat? Et in veteri poſſeſſione, qui à rerum imperitis diſturbarentur, reponebat, non ne omnium cẽſorum & iudicum perſonam referebat? Et quemlibet virum in omni re grauiſſimum declarabat? id nulli dubiũ eſt. Id ergo miſſum faciamus, & quod omiſimus hac interpellata oratione, in locum ſuum re uocemus. Hunc igitur & ſeneſcentem iuuit, quæ didiciſſet, ſecumque diligenti cura commentatus eſſet, poſteris tradere. Veſtigijs itaq; priorum dignitatum omnibus probatis, in ſummam Reipub. ad ſe delatam ingreditur. Quæ forma Reipub. ſeruandę, augendæq; ſit, tum ex præſcripto Philoſophorum antiquorũ, tum ex ingenij ſui acutiſſimi acie, ex natura prouida, & ſolerti, tanquam ſummus Dictator, & Pontifex edocet,

vbi

vbi omnes, honeſti partes, florentiſſimarum rectores Rerum pub. imitando exequitur, & in Ciuitates, iam aſcitos homines docet, & erudit. Dumque hāc Rempub. Conuentumque hominum in domicilium coactū, & virtute potentiſſimorum virorum in ædes conuocatum, inſtitutione, doctrina, vſuque expolitum tractat, non dubitat hanc ipſam illi genere hominum, qui conuecticula in abdita, & retruſa antea conuocabant, longe anteponere, illa acerrima contentione, & vitæ cultu, Deique Optimi religione, vt illam penitus aſpernetur, hanc ſolam cōmendet, & comprobet. Et quod mirum nobis videtur, (Illi nequaquam omnium rerum abditarum perito, & experto) dum ad Platonis, Solonisque regulam, noſtram Rempub. redegit, Diuinam nobis intuendam proponit. Nempe qui moderatus, & temperatus non à Platone, & Ariſtotele, ſed à Chriſto, vnius nouit Reipub. antiquæ miniſteria, alterius myſteria exercendo auxit. Illinc priuatus, illinc Magiſtratus, quæ ad rem cum ſingulorum, tum vniuerſorum tutandam ſpectant exhaurire poterit. In hoc fortunato, proſperoq; Magiſtratu, quem à rerum conſcriptarum magnitudine, perfectione, obſeruantia, & admiratione Dictaturam nominauimus, nullum tanti in communem Rempub. beneficij obtrectatorem extitiſſe, virtutis tantæ hoſtem, laudis tam cumulatæ inuidum, omnibus Magiſtratibus fere iam functo, nullam famam indignam fuiſſe inuſtam, aliquis veſtrum admiraretur, niſi in omnes huius ſummi viri modeſtiā, temperantiam, ſingularem amorem optime nouiſſet, quæ ſi ab homine abſunt, ſolent tamen aliquando homini etiam omni virtute prædito inuidiam comparare. Verum cum ſe non iactatione populari, ſed dignitate,

&

& innocentia munierit, quos improborum, inuidorũ, imperitiq́ue vulgi rumores extimeſceret? At cum in hoc Dictatorio Pōtificioq; munere ſe omnibus iucundum, gratum, optimo titulo demonſtrarit, nec Cenſoris prætermiſit auctoritatem, qua noſtram Vrbem ad perpetuitatem erexit. In qua re non minus Deos immortales nobis propicios fuiſſe iudicandum eſt, quam in huius ante demonſtratis ſplendidiſſimis dignitatibus. Nam cum omnium expectatione acceſſiſſet, ad quoſcunq; Magiſtratus, & Muſarum gratia, & deorum beneficio, vt hunc quoque Cenſorem haberemus, ad muneris perfectionem, à Dijs nobis conceſſum haud quicquam hæſitandum eſt. Cuius amplæ, & honorificæ dignitatis ſubſellia cum primum aſcendit, variæ cōtrouerſiæ, & potiſſimum de loci dignitate ad hunc delatæ fuerunt. Has ſumma attentione audiuit, & penitus cognouit, & vt ille, penes quem ſumma rerum eſſet, decidendas iudicibus mandauit. Quod quam ſyncere, & prudenter ageret, hinc apparet. Quod cum aliquando videret ignauos, & ſomniculoſos in contentionem de honore cum ſtrenuis, & vigilantibus veniſſe, qui ſic agerent, non audiendos cenſebat, nec qui huiuſmodi vitam ducerent, in ijs vllũ dignitatis ſplendorem agnoſcebat.] Nec enim ferre poterat ignauiā, & deſidiam cum fortitudine, & induſtria contendere. Vitium cum virtute concertare. Inopiam cum diuitijs pugare. Ignobilitatem, generis abiectionem, in eorum certamen adduci, qui à Dijs originem habuiſſent, & multa huius generis impari certamine coram ſummis Viris diſputari. Qua in re & ijs gratiſſimus fuit, qui opinionis errore peccabant. Id enim agebat, ea longa, & docta rerum explicatione, vt Vrbis ſuæ incunabula

nabula

nabula cognoſcerent, quæ hactenus ignorauerant, qui antiquitus illis in ſedibus in ſummo dedecore vixiſſent, per hunc intelligebant à quibus eorum vires con tritæ fuiſſent, audiebant, deniq; per quos à Tyrannorum ſeruitute in libertatem reſtituti eſſent, ex huiusq; antiquiſſimarum rerum peritia percipiebant. Hic pręterea, multa (quod AEdilis vigilantiſſimi fuit) templa, & Delubra æuo conſumpta corroſa, & pene cadētia extruxit, inædificauit, & erexit. Eodem, quoque tempore Cenſoriam dignitatem, quam iampridem inierat auxit, cum non ſolum Cremonæ, vt Priſci Romani, Athenienſesque, & Lacedemonij ſuis Ciuibus, ſed omnibus præſcripſit, non imperioſe, ſed leniter, quod huius ingenij, manſuetæque naturæ proprium ſemper fuit. Nec Magiſtratum quinquennium geſſit, ſed vt cœptum eſt, in Repub. ſua ædificari, ita ab eodem geri perſeueratum eſt. Quam inſignem dignitatem dum vixit continuauit. Quid? Hieronymum Vidam Albę Epiſcopum, qualem Tribunum Militum, aut Magiſtrū Equitum, ciues Albenſes mirati ſunt? Quando hoſtiū audita irruptione, in fortiſſimi Municipij mænia, vbi aſſiduus commorabatur ad Epiſcopatum ſuum præſentia ſua decorandum, quem ille virtutis præmio à ſummis Pontificibus adeptus erat, Albenſes hunc intrepido animo lorica veſtitum, Galea munitum, Gladio cinctum, reliquiſque belli Telis armatum, egregie ſagatum, tanquam illius Vrbis firmiſſimum præſidium, ad muros incitato curſu, municipum commitatu, relictis infulis reliquiſque dignitatis ſuæ inſignibus, & ornamentis, aſcendere viderunt, ad eas præſertim Vrbis partes, vbi hoſtes tumultuari ſenſerat? q. ſtatim in apta pericula animę prodigus properauit, vt alienam pa-

triam, per ſe deffenſam in priſtina libertate, corporis labore, animi pręſtantia, adhortatione ad Ciues ſalubri, terrore grauiſſimo hoſtibus iniecto retineret; In confertiſſimam hoſtis aciem irrumpit, illum iam ingreſſum à mœnibus arcet, fortiori animo, quam alias Mãlius ex capitolio, diſturbat, capit, occidit. Quam pugnam niſi nox diremiſſet omnes Gallos, qui cum omni genere tormentorum ſcalarum, harpaganum illuc venerant occidione, ad vnũ occidiſſet. Oppidum ab imminenti peſte deffendit, in fugam coniectis hoſtibus à pręſenti mortis periculo, & vrbis direptione ciuibus liberatis in Sacram AEdem reuertitur. Vbi ingenti Albenſium ſeptus multitudine, nobilium in primis, & ſummorum virorum frequẽtia, nouos, & recentes animi motus adhuc retinens, qui in ſapienti, fortique viro, pro tuenda communi libertate, ſaluteque reprehẽdi non debent, neglecta ſtoicorum grauitate, & iam explosa ad hoc Platonis ſententia, huiuſmodique philoſophorum nimis ocium amantium, & in veri in veſtigatione delirantium, ſed potius omni loco, & tempore celebrandi, tales illum intuentibus, ardores inijciebar, vt nec qui familiariſſime cum hoc ſanctiſſimo Viro, quottidie viuebant, ferre poſſent. Fulmine nanq; oculorũ quẽq; à ſe tunc auertiſſet. Qui mox interrogatus an deceret Epiſcopũ armatum pugnare, quid ni inquid? ferendum ne eſt, vt Barbari furtis, flagitijſque ſacra violent? ſtupris Ciuitatem polluant? in omnes impune graſſentur? Ad huiuſmodi inſidias arcendas leges ipſæ, quenque impellunt, religio ipſa arma porrigit, dicebat ipſe compreſſo iam tumultu, & ciuiũ animis à metu vacuis. Vrbis illius ciues huius gloriæ, & laudis auditores, rerumque ab hoc pro patriæ deffen-

ſione

ſione geſtarum æquiſſimi ſpectatores, ne tanto beneficio affecti ingrati animi notam ſubirent, hunc aliquo munere ſi non gloria periculi ſuſcepti digno, non tamē recuſando cohoneſtare volebant. Sed vt quibus pro tantis meritis nullum virtutis ab illis prẹmium, nullum honoris inſigne, nullum laudis, & gloriæ tantæ monumentum affectabat, & ſibi decenti, quo vultu in hoſtes irruerat, recuſauit, ſic illius diei ſempiterna memoria contentus ſibi viuendum putabat, Namque in animis illorum honoris ornamenta, gloriæ monimenta, laudis denique omnia inſignia, & hunc fere Triumphum condi, & collocari malebat, quam vllum ab illis præmium accipere. Quando præmia huiuſmodi viros ad certamina, & pericula non mouent, ſed præclara rei ſuſcipiendæ conſcientia, & hominum ſermo. Delectantur potius ſuas res hominum ſermonibus ali, verborum iteratione creſcere, litterarum monumentis inueteraſcere, & corroborari. Quibus rebus ſibi perſuaſerat, nomē ſuum latius ex rei euentu propagatum iri, quam ſi quolibet munere ab illis decoratus fuiſſet. Hæc & alia plura in Magiſtratibus ſuis hic prudentiſſimus, & fortiſſimus homo edidit, geſſit, & cum valentiſſimis ducibus viribus pugnauit. Quæ ſi recenſere tentarem ſingula, tempus potius, quam dicendi materia me deficeret. Hoc tantum de integerrimo hoc Antiſtite non confiteri, ſed profiteri poſſumus. Hanc Patriam noſtram Cremonenſes chariſſimi, & Ciues optimi longe alijs ciuitatibus, excellere hoc magno, Diuinoque Poeta eodem pleno, & perfecto oratore, Philoſopho & mehercules tali, qui omnium rerum diuinarum, humanarum vim, naturam, cauſaſque norit, omnemque bene viuendi rectionem, & regulam ſit pro-

feſſus, vt ab ea nuſquam deflexerit. Nam cum illius diuina Poemata legimus (Quod crebro facimus & ex librorum delectatione,& ex fructu verborum,& ſen tentiarum) eos colores, eas veneres, ea ornamenta, & oblectantia variarum rerum pigmenta in his deprę-hendimus, quibus prima, ſecunda, & vltima præſtantiſſimorum Poetarum inuenta illuſtrauit. Quæ omnia carmini ſuo ita inſeruit, vt qui legerit hos libros floſculos veterum, antiquorum priſca verba, florentis ętatis diuinam eloquutionem, limatum dicendi ſtylum, in omnibus huius ſcriptis animaduertat. Siue poeticos, ſiue oratores, vel Philoſophos legas, in his enim omnibus magna dignitas eſt verborum, cuiuſque ætatis. Et cum ab hinc multis annis lingua latina bonis fere omnibus libris amiſſis,& incenſis, Italiam Barbaris vaſtantibus, Papię nomine Regiæ dignitatis vſurpato cõſidētibus, Barbariem nec loci bonitate, amænitateúe, & aeris temperie deponentibus, verborum grauitatē, & elegantiæ nitorem,& candorem, veram deniq; ſermonis Romani eloquentiam amiſiſſet, hic delectũ verborum, hic orationis ornatum, hic concinnitatem, lumen hic denique eloquentiæ extinctum, ſententijs, ver borumq; conformationibus illuminauit. Quare Mantua ſibi, & merito glorietur de ſuo, itidem & noſtro Virgilio, Arpinates de Cecirone, Græci de Homero, Demoſtene, Platone, tum ſingulis poetis, tum oratoribus, & Philoſophis glorientur. Nos de illo, qui in omnibus ſcientijs regnauit, quaſque profeſſus eſt, gloriemur, & haud ſcio an nobis magis gloriari liceat. Quoniam ſi perfectum oratorem, vel Poetam ſiue philoſophum in diuerſis perſonis illi habuerunt, nos in vno has omnes cognitiones, totius orbis iudicio inſitas,

tas,

tas,& innatas,magno, ſplendidoque ingenio excultas vidimus, & habemus. Cuius cum extent hæc tot, tãtaque in lucem opera quot, quantaque omnes docti viderunt, edita non minora tamen, quæ ſuadebæ medelam redolerent, quæ ad huius Cygneam Diuini hominis vocem, & orationem ſpectarẽt,nos habituri, ex eadem dicendi officina eramus, niſi vota noſtra interrupta fuiſſent, taceo quorum fraude. Quoniam nunquam ſtipendijs priſtinarum ſuarum vigiliarum, tanquam emeritis, ſtudio nuncium remiſit, flagranti potius animo quoad vixit, ac ſi iuueneſceret in priſtinos labores incubuit. Nihil enim magis delectabatur, quam varijs litte.arum monumentis, hanc non ſolum Ciuitatem, ſed in extremis etiam partibus orbis iacentes locupletare,ſed neſcio quorum dolus, omnia deſideria noſtra intercæpit. Albæ perijt, quẽ Albenſes, & Epiſcopum, & iuris, fortunarumque ſuarum cuſtodem præfectumque habuerunt, ab Gallis expulſis,decreto Mantuæ Reguli. Huic antiqua elegantia,& Cremonenſium ſplendore parentatum eſt. Sed vtinam ille vſpiam inuentus fuiſſet qui, qua ætate ſummi Philoſophi florebant,nullius rei cognitionem ſibi obſcuram prædicabat. Vtinam perfectus ille Orator, quem eloquentiæ Optimus parens quærebat alicubi gentium tunc apparuiſſet. Illum enim vel maximo prætio patres veſtri conduxiſſent. Illud enim celebre funus, quo vndique conuenerant cohoneſtandi cauſa ſupremas exequias honeſtiſſimi viri, deſiderabant omni genere perfectæ,& omnibus laudis numeris abſolutę decorari. Siquidẽ fœliciſſimos, ſe arbitrati fuiſſent,ſi illum habuiſſent, qui omnium laterũt conatu, Vidæ robur ſolidum, corporis firmitatem, quiq; actione, quæ

in voce magnum ſplendorem in motu ſummam dignitatem haberet quibus corporis bonis præſtitiſſet declararet. Quanta vi orationis poſſet, dignitates, & fortunas, licet earum comitia nunquam ambierit, auide nunquam expetiuerit, teſtaretur. Quæ in hoc diuinitus enituerunt non interciſa, ſed perpetua, & conſtanti oratione, clariſſima, nec tamen miſeranda voce, non ad eos tantum, qui aderant, verum & ad illos, qui propter diuerſi hominum generis frequentiam, qui prius rumore diuulgato ad hæc parentalia conuenerant, intro admitti non poterant deferret. Qui enim hoc apparatu inſtructum, & ornatum oratorem audiret, verba illa non expectaret. Abi in rem tuam, tibi cane, ſacerdotum ad quietem meam diuinitus canentiũ Harmoniam, hoc inuſitato dicendi genere, ne quæſo interpelles. Hieronymus Faballus Monticelli Ciſpadani Sacerdotum Princeps Antiſtes, & loci illius ſacrorum præfectus, homo non mediocriter eruditus in parentalibus Vidæ orationẽ habuit. Præclariſſima huius vrbis ornamenta multaque virtutis ciuium veſtrorum exempla audiuiſtis. Cum igitur huius Vrbis conditoribus tantum debeamus, quantum ſoluendo nunquã eſſemus, illoſque, quicunque fuerint, ſiue Romani (vt accepimus) initio habuere, ſiue Hercules, vel Brumo (vt quidam tradiderunt, nam huius Vrbis non ſecus principiũ ignoratur, quam Vrbis Romæ prima incunabula, beneuolentia, fama ad Deos immortales tollamus, ita hos omnes, de quibus egimus, non apud nos tantum, ſed Poſteros noſtros, in honore erunt. Qui hanc Vrbem, à Maioribus claram acceptam, nomine, fama caſtrenſi, Vrbanaque militia, ex natura viuentibus, illuſtrauerunt, armorum virtutibus, Conſi-

liorum

liorum auctoritate, vario dignitatum genere ita auxerunt, vt ſola fortuna tantorum Virorum virtuti, defuerit. In reliquis vbiq; gentium Cremonenſes beati prędicantur. Peperit & hæc Patria Andream illum Burgum, qui tantum apud Cæſarem conſilio, & auctoritate, valebat, vt quicquid ab eo pro hac ciuitate à Cæſare petiſſet, facilime impetraſſet, & hic ad omnes Italiæ Principes Cæſaris nomine legatus fuit. Magnam & hic nominis ſui famam apud Ciues ſuos reliquit. Cuius veſtigia Ludouicus Burgus egregius Ciuis, ſtrenuus bellator, Dux inclytus, prudentiſſimus Primipilus, Multarumque legionum Ductor, & idem Equitatus præfectus, nuper mortuus, Ciuitatem hanc Patriã ſuam in perpetuo ſui deſiderio, reliquit. Quid? infinitus numerus pręſtantiſſimorum huius Vrbis Virorum me immemorem Antonij Melonis, & huius Ciuitatis clariſſimi Alumni pene fecit, cuius cum ſingularia certamina multa nota ſint, non exiſtimo illius Præfecturã Cypriam ſilentio inuoluendam. Cum enim Cyprus locorũ ſpatio ampliſſima, ſitu fertiliſſima, Potentia, & ditione Regia vacaret, hæcque in manu Venetorum eſſet, huius fidei, auctoritati, conſilio, communi Venetorum Senatus conſenſu permiſſa eſt. Nec huius imperij ſummam, ad hunc prius detulerunt, quam in varijs bellicis periculis inſignis huius virtus perſpecta fuerit. Cui quando nihil aliud contigiſſet, hac vna rectione Cypria contentus multum nominis, & laudis Cremonenſium famæ, & gloriæ, amplitudiniq; adiunxiſſet. Quid enim laude hac plenius? Quid hac dignitate perfectius? Quid hac voce preclarius? Cyprus locupletiſſima inſula, Regum ſedes, fortunatiſſimum Regum Domicilium, Antonio Melonis Cremonenſis

nenſis imperio moderanda data eſt. Hac immortalitate, quid diuturnius? Quid ſplendidius? Quid illuſtrius? Huic quoque fortunatiſſimæ, & maxime fertili inſulæ, vt taceam quamplurimas eiuſdem apud Venetos dignitates, non multis ab hinc annis Philippus Brumanus vir maximi conſilij, ſummæ prudentiæ, integræ, & ſingularis fidei, admirabilis quoque, & ipſe fortitudinis præfuit. Hi noſtri Ciues rexerunt Cyprũ, incolumẽ, & ab omni prædonum excurſione, & impetu, Cypriorumque vexatione inſulam intactam Venetis munere imperij ſui functi reddiderunt. Qualem quoq; parentes noſtri Annibalem Picinardum in acie viderunt? Illum equidem, quem hoſtis pugnantem ferre non poterat, in quem inſtar martis fulminantem omnium ſuorum oculi fugatis iam hoſtibus conuertebantur. Et hunc Ciues noſtri præfectum habuerũt arcis noſtræ cum loci natura, cum hominum admirabili induſtria munitiſſimæ, cui nunc maxima in Regem fide, & obſeruantia, in Ciues ſingulari beneuolentia Emanuel Luna bellica laude, antiqua probitate, admiranda in Deum pietate perilluſtris, ac omnibus chariſſimus præeſt. Quem ciuem noſtrum matrimonij cum Polixena Galerata primaria, & probatiſſima fœmina, dignitate agnoſcimus, cum antea ob temperatiſsimos mores, & virtutes quamplurimas, eius egregias, & hũc amaremus, & vnice coleremus. Papienſes præterea Picinardi moderatiſſimis imperijs, cum in eorum tectis maximo cum exercitu humaniſſime, & fideliſſime ad illorum vrbis defenſionem hoſpitaretur, & in eiuſdem oppidi maxima ad eorundem ſalutem vigilia, à quorum mœnibus, qua vigilantia erat, oculos non deijciendos pro Reipub. illi amantiſſimę imminẽti pe-

riculo

riculo putauerat, commoraretur, obtemperauerunt. Et quod talem in extremis fortunis ſuis virum, & fortunarum, lariumque ſuorum cuſtodem habuiſſent Dijs gratias egerunt. Quod ſi Paulo Iouio notum fuiſſet, non tam fœdum, ne dicam tempudens, mendaciũ, vbi de hoc pręſtanti in omni genere laudis viro agit, libris ſuis cum maxima ſui nominis infamia, apud illos qui Picinardum optime nouerant, intexuiſſet. Quod omnino tamen non cenſeo Iouio aſcribendum ſed alicui potius virtutis Picinardæ hoſti, & laudis inuido. Qui enim Iouius in Amaltheam ſuam abditus, quæ in bello fiebant nouerat? Sed hoc iam mittamus. Huic in omni genere bellicæ laudis ſimilem nunc Sforciam Picinardũ habemus, Sebaſtiani filium, Brocardi Comitis generum, cui honorifici, & magni conatus multa extant pericula, qui vix dum e ludo, & pueritiæ diſciplina exceſſerat, cum multarum cohortium ductor ſelectus eſt. Neq; hic cẽſeo Hieronimũ Pinzonũ diui Leonardi Antiſtitẽ omittendũ eſſe. Cui igitur huius, exculta, abditaq; doctrina integerrimique mores obſcuri ſunt? Non ne hic & litterarum Diuinarum, multiplicique ſcientia, & vitæ integritate totum illud ſummum, ſanctumq; Collegium in hac Vrbe ſacerdotum ornabat? Hinc illius ſacri Collegij religioſi, caſtiſſimique ſacerdotes literis, & moribus præditi, & ornati, cum natu minores, tum maiores ob vitę hominis caſtitatem, & virtutem inſignem, omnibusque conteſtatam illum amabant, venerabantur, obſeruabant. Qui cum eo vixerunt doctum, & admodum eruditum cognouerunt, & vt ad Poſteros eiuſdem cognitio doctrinæ perueniat, in huius ſcrinijs vigiliæ, præclaræq; fertiliſſimi ſtudij lucubrationes ſeruantur, quas ex lingua

Hebraica,

Hebraica, ad voces noſtras modulatus eſt, quæ ad pro dendam diuini huius ingenij memoriam, & laudem po ſteris tradendam, breui (vt ſpero) foras emittentur. Quem niſi præter naturam, præterque fatum amiſiſſemus, in omnibus dignitatis gradibus, ſcientiarum generibus, vitæ actionibus, huic Ciuitati, à Dijs immortalibus optime conſultum erat. Hic enim fuiſſent, qui de quaq; re, & lingua peritiſſimi conſulerentur. Huius antiquiſſimæ linguæ cognitionem, & arcanam intelligentiam Ferdinandus Bonettus iuuenis præſtantis ingenij, & maximæ temperantiæ, moderationisq; adeo compræhendit, vt qui in ea nati, & ab huberribus maternis ſumma induſtria educati, eruditique fuerunt, quique illam non ſine maximi nominis laude, & exiſtimatione profitentur, ſi aliquando in locum obſcurũ, & hæbraico ſermone implicitũ incidunt, hunc adeãt, & ſtatim tenebris per hunc diſcuſſis, lucem accipiãt, & maternæ, propriæque linguę, aliquando balbucientis claram vocem, & germanum ſenſum percipiant. Id cognouit Senatus Mediolani, id vidit Coſatus eius ꝑfectus, id hebraicæ linguæ docti, & maxime intelligẽtes animaduerterunt. Nam quo tempore, non multo poſt Concilium Tridentinum Pius Quintus Pontifex Maxim. Diplomate ſuo ad quamlibet Ciuitatẽ in fide conſiſtentem, quæ ab antiquorum optimis inſtitutis, & non vacillantibus decretis non defeciſſet, miſſo, quo maximi Theologi admonebantur, vt hæbræorum libri proxime impreſſi per doctiſſimos illius dogmatis recognoſcerentur, diligenter excuterentur, enodate extricarentur, hic fertiliſſimi ingenij iuuenis, optimis moribus eruditus, cognomento Bonettus, integritate bonus, fide optimus, Mediolanum Senatus literis, iuſſu

Principis accerſitus, patrum cõſcriptorum poſtulatio-nem audit, prouinciam non reſpuit, operam ſumma cura, & fide illa in re ſe nauaturũ promittit, religioſe ſpondet. Quod profecto animoſe ſpõdere, & recipere poterat. Sępius.n.ſenſim Moſis libros omnes legerat, quam eorũ quilibet curſim, qui ſermonẽ illum patrium & agnoſcunt, & profitentur. Dolos indagat. Fraudes inueſtigat. Latibula odoratur. Feras excitat, retia tẽ-dit, indagine omnia loca cingit. Membra quæq; cõſi-derat, inciſa cognoſcit, ſingulas literas introſpicit, ver-borũ interpunctiones notat. Singula hęc acri iudicio examinat, animi conſtantiſſima cõſcietia hæc expẽſa Senatui refert. Ordo ille ampliſſimus magiſtrorũ gẽtis Hæbręæ, populi obſtinatiſſimi, & tumultuoſiſſimi cri-mina, opprobria, cõuitia in ſalutis cõmunis ſeruatorẽ, Dei Opt. Max. vnigenaim, & eius Matrem ſemper Vir-ginem per Ferdinandum Bonettum ex tenebris eruta, enucleate excerpta, maxima cũ induſtria & fide aperta cognoſcit. Quid ſum Princeps illius ordinis? Quid totus Senatus? omnes tanta ingenij admiratione, rei celeritate, & præſtantia ita obſtupefacti, vt ab eo nun-quam oculos auerterent. In qua longa, & multa admi-ratione vbi diu conſtiterunt, illum tandem à ſe dimiſe-runt, gratulatione ampliſſime facta, gratiarum actione perſoluta. quorum munificentiæ, & perliberali, tum voluntati, tum ſermoni, vt par referret, præſidem, & totum illum ordinem elegantiſſima, & doctiſſima ora-tione proſequutus eſt, qua inter reliqua, quæ plurima ab illo prudenter in eo dulciſſimo ſermone erant, hoc attentiſſime audiebatur, ſe totum dedere, & iampridem dedidiſſe, & Senatui, & oĩbus Reip. fideiq; Chriſtianæ maximis patronis. Et hac potiſſimũ cauſa in iudaicam

linguam ſtrenue incubuiſſe, vt populus ſeruituti natus cognoſceret, ſermonis ſui maiorem intelligentiam, & cognitionem eſſe apud iuuenem imberbē, quam apud barbatos pręcetores ſuos. Hanc perfecte, & abſolute cognitionem minus decennio compræhendit, qui niſi trienio aduerſa valetudine ab illo ſtudio diſtractus fuiſſet, multo maiora huius doctrinæ argumēta apparerēt. Is tamen eſt, cuius induſtria ſummi Theologi artificia, & gentis ſcelestæ prorſus Technas cognoſcunt. Neq; hoc tacendum, hunc ſiquando publice inter diuerſorū cōuentuum ſectatores diſputatur, & in locū implicitū, nec ſatis plane clarum, in ſermonem noſtrum verſum inciderint, iudicem, & arbitrum, ſententiæq; totius diſceptatorem eligi. Hoc ſciunt noſtri ciues, hoc viderunt exquiſitarum, & recunditarum rerum acutiſſimi diſceptatores, & cognouerunt in publicis diſceptationibus. Quantū hoc ſolatij ſit, nemo veſtrum nō videt. Ij ſunt vberrimi fructus ſoli Cremonenſis, eæ ſunt fœcundiſſimæ ſegetes eiuſdem agri. Huiuſmodi heroes, quando in nobiliſſimorum virorum cœtum eunt, nō de Phaſeolorum vbertate, quæ copioſa apud nos eſt, agūt. Nō ij dicunt noſtra Turri nihil elegantius. Arce noſtra nihil magis artificioſum. Antonius Leua hic in vinculis cuſtoditus fuit. Quid .n. huiuſmodi pueriles, & anicularum narrationes dignitatis habent? Nā ſi in ijs dignitatem aliquā illuſtrem poneremus, nullus locus Pigcilione in toto orbe terrarum dignior, & illuſtrior haberetur. Illic .n. Franciſcus Rex Galliæ potentiſſimus, & maxime bellicoſus in publicis cuſtodijs ſeruatus fuit. Illud potius repetunt. Nulli Cremonenſes iniurias faciunt, factas vel ſibi, vel ſocijs propulſant. In Reipub. procurationem, & defenſionem, nō coacti,

ſed

ſed voluntarij eunt. Cremonenſibus fortiter, & conſtanter pro laribus, & patriæ penatibus pugnantibus, Diui è Sacellis ſuis egreſſi, cuius rei memoria extat in Cremonenſium Annalibus librariorum manu ſcriptis, adſunt. Illos hoſtibus profligatis, Rhedis, Carris, Carruciſque, quam rem teſtantur & picturæ in nobiliſſimorum Ciuiũ parietibus impreſſæ, & omnibus impedimentis relictis in fana Diui Thomę redeuntes ijdem Cremonenſes, obſeruauerunt, quibus quotannis ob rei teſtatæ memoriam eorundem in templo ſolennis precatio fit. Hæc, & multa huius generis honorifice, partius tamen (vt mos Cremonenſis eſt) quã res expoſtularet proferunt. Eæ ſunt noſtrę venationes, quibus ſenũ captiones deridentur, & fallaciæ ingenioſe detruduntur, quibus imperioſorũ iuuenum impetus coercentur, quibus Principes, & rerũ domini, quibus vt vno verbo dicam totus terrarum orbis nõ ad breuiſſimi temporis inanem picturam capitur, ſed ad longiſſimi ęui memoriam recenti, non languida, & marcida prędá alitur, & propagatur, quibus ſpectatiſſimis venationibus Cremonenſes quamlibet Europæ nobiliſſimam Vrbem illuſtrant, quibus quodlibet Aſiæ vetuſſimum Oppidum perſonat, quibus quælibet Africæ ampliſſima municipia, ſi modo in Barbarorum pectoribus virtus habitat, delectantur, quibus quoq; prę ſunt illi Heroici, & nunquam feſſi venatores, quorum Ilia riſu diſrumpuntur, quando qui Polybij, & Liuij teſtimonio nõ Romanorũ, coloniam Vrbem hanc arguere nituntur, ſingularem inſcitiam ſuam improuidi fatentur, cum recte intelligentibus (neq; huc veterum græcorum, & latinorum quamplurima teſtimonia cõgerenda ſunt) nihil illorũ ſententia, & verbis clarius eſſe poſſit. Riſerunt & Pla-

centinorum antiquiſsima; illuſtriſsima, aureaq; tecta, quando deprauatũ Liuij ſenſum audiuerunt. Viderunt Placentini, & ipſi populi Romani antiquiſsimi, & fideliſsimi coloni ſubſellia ſua cachinãtia, quãdo maiores ſuos per Liuium præpoſtere, & peruerſe intellectum agreſtem multitudinem appellari inaudita interpretatione audiuere. Quam interpretationẽ ſi aliquis diſputandi cauſa admitteret, Polybius Scipionem ſuum in Scholis relinqueret colludentem cũ æqualibus ſuis, & eam vrbem quam ante Hãnibalis aduentũ in Italiã, coloniã dixerat. Verũ quia patres veſtri copioſiſsime, & moderatiſsime hac de re ſuo loco egerunt, & hanc rem quidã amicus noſter nobiliſsimus, & fideliſsimus iuris antiqui Italię ſcriptor, qui omiſſis Lacedemonijs, Athenienſibus, Romaniſque, nuper Bononienſium res ſcriptis illuſtrare aggreſſus eſt, ex re maxime idonea occaſione arrepta, breui (vt opinor) illuſtratã diuulgabit, hac de re nõ pluribus hic agendũ cenſeo. Liquido igitur iam apparet Cremonẽſes ornatiſsimi hanc ciuitatem illos viros habuiſſe, qui ſinguli virtute ſua imortalitati hanc conſecrarunt. Et cum nos, omnibus ijs, noſtriq; liberi debeant, per quos patria hæc ſemper illuſtris erit, quod exempla, veſtigia maiorum ſuorum, imagines domeſticas habeãt, quibus vt patrię ſtudioſi, labore, cura, nõ deſint, Hieronymus Vida fecit, vel vt externæ gentes, ob magnarũ, multipliciumq; inſignia diſciplinarũ, quæ nullo æuo intermoriture ſunt, patriæ noſtræ multum debeant, qui nominis Cremonenſis amplitudinem, quam à maioribus noſtris accepit, non intermortuam renouauit, ſed vigentem auxit. Sunt & complures alij in varia ſtudia pro patriæ dignitate incumbentes, quorum ſpes aliquantum lenit dolores, ex

tot

tot ampliſſimis ciuibus amiſſis,deſyderatisq; in medio curſu noſtræ ſpei, quibus amiſsis contabeſceremus dolore confecti,niſi in ordine Senatorio Senatus iudicio collocatus nō ſpe tantū optima prędítus,ſed auctoritate, poteſtate, ſummo magiſtratu, ille ſummorum fomentum,& ſolatium noſtrorū dolorum Sigiſmundus Picenardus nobis hac tempeſtate, qui nos ſolaretur, datus fuiſſet. Cuius virtus & fama,quæ omnibus perſpecta,elogium verborum noſtrorum in præſentia non expectat. Ad hæc auitæ laudis,& quaſi Olympia certamina Cæſar Brumanus Raphaelis filius, quem prudentiſſimum virum Ciuitas noſtra in omnibus rebus, & cognouit,& ſenſit,Arrigonius Senatus Mediolanen. Princeps, alijq; complures huius ſimiles adamarunt, cuiusq; non togati, non minus fideliter, & prudenter, quam togati cuiusq; peritiſſimi Bartholomæus Offius, huius vrbis primarius, quoad vixit, & ad Senatum, & ad rei totius dominos optimus patronus,ſe opa vſum, & expertum, cum in rebus priuatis, tum in publicis prædicabat. Cæſar inquam ad hæc immenſa gloriæ curricula iampridem cōcurrere incœpit. Nondum .n. decimum, & nonum annum egerat, cum in Iudicum ampliſſimæ,& prope diuinæ maieſtatis regijq; decoris Collegium Cremonen. cooptatus eſt, & mox Papiam Senatus Mediolanen.decreto euocatus, legūq; ſacrarū adyta,vix ingreſſus cū earum penetralia conſpicienda maxime iuuenum frequentiæ, qui eo confluxerant, vt illum audirent, exponit, ineſplicabiles nodos, inſtar Euripi implicitos explicat. Bienniū ſumma cū omniū admiratione illas Papiæ profeſſus eſt. Cui cū Sęnatus tunc ipſum delaturus eſſet (quotidie .n. ad illum deferebatur, nihil hoc antiqui, iurisq; recentis doctore, & inter-

interprete abſolutius, & perfectius, nihil humanius, nihilúe grauius) maioris conſiderationis, & ſeuerioris iudicij munus, & prouinciam, & illā, quam cū ſummis ipſe adoleſcens viris certatim cōtendentes ſuſtineret, Romā, quo multorū literis euocabatur, tendit, ſecum meditans, nullū, qui Pontifi. gratus eſſet, Mediolanum ire, vt in ordinē Senatorium cooptaretur, ſed ex ordine Senatorio in aulam Pontificiā plurimos relicto Senatu equis concitatis lætitiæ, & maioris ſpei plenos, iuiſſe. Hunc acceperat Pius V. Summus Pontifex iuuenem maximi, & optimi iudicij, plurimiq; ſtudij, & integerrimæ fidei, maximæq; religionis eſſe. Huius comprobata omnium ſermone, vtriſq; iuris maxima cognitione, morum integritate, parentum nobilitate, ad cauſas Pontificias attrectandas ſtatim admittit, & maximis pollicitationibus ad hæc negotia hunc impellit. Et ecce Labadenſium, & Spoletinorum diu inter vtrunq; populū diſceptata cauſa, cui ditioni, Labadea pareret, Labadenſium ne, an Spoletinorum, ad hunc defertur. Vterq; populus producit teſtes, vterq; tabulas veteres profert, vterq; ſummorum virorum auctoritate nititur. Vterq; multorum gratia ad tutandam cauſam accedit. Res hæc cum vetuſtate rei poſſeſſæ, tum antiquarum tabularum maximo teſtimonio, viros in cauſis huiuſmodi diu verſatos, & probatiſſimæ eruditionis, in iudicandi ratione ancipiti, multum tenuit. Summus Pontifex, qui tandem huic controuerſiæ, & periculoſæ diſceptationi extremum manum ad vtriuſque populi quietem imponi volebat, controuerſiam, totam Brumano decidendam mandat. Statim ius antiquum Spoletinorū euoluit, in ditione Spoletinorum Labadenſes alias fuiſſe cognoſcit. Membrum à capite non ſepa-

randum

tandum iudicat. Labadenſes cum Spoletinis iungit, eorum legibus vtendum oſtendit, (quod tamen, & ex æquitate ſine vllis tabulis, & teſtimonio tranſigere poterat) eorum iura eſſe cõmunia, & antiquitus fuiſſe declarat. Hac re omnibus admirantibus prudentiſſime per Brumanum dijudicata, & ſummo Pontifici cõprobata, huic legationem Neapolim Pius mandat. Quæ tanti eſt, vt ſperemus hac depoſita, quemlibet in hunc honorem congeſtum iri. Quare quantũ nobis ſperandũ ſit videtis. Audiſtis optimi Cremonenſes quales Appios, Scipiones, Philos, Scæuolas, Craſſos, Catones, Ciuitas hæc ingenij fęcundiſſima parens habuerit. In qua ſi comitia Quæſtoria, AEdilitia, Prætoria, Pontificia, Curiata deniq; & Centuriata haberentur, noſtrorum, non alienigenarum numero, & quidem peritiſſimorũ omnes magiſtratus cõplerentur. Id quod vos, mecũ quoq; ſentire certe ſcio. Nã ſi in alias ciuitates nec tantum eidem imperio ſubactas, vel natas, ſed alieno temperantes, non ad Comitia, ſed ad Magiſtratus ſuſcipiendos vltro non præhenſantes, aut honoribus inhiantes accerſuntur, quid difficultatis omnium voce conſentientium hæreditarias dignitates adire? Nec hi, (quanquam Sfondrati, & Vidæ omnes eſſe non poſ ſunt) vos ab inſtitutis veſtris optimis Cremonenſes amantiſsimi deterreant, adhortentur potius & inflamment, quoniam neq; Platonis amplitudo Ariſtotelem à ſcribendo in philoſophia deterruit, nec Peripateticorum facile Princeps admirabili ſua ſcientia, & dicẽdi copia Ariſtoteles cęterorum ſtudia reſtinxit. Nec facundi oratores Græci, Poetæq; diuini, & omnium ſcientiarum periti Romani, Marcum Hieronymum (Dij boni quã libenter in hoc homine moror.) Vidam

retar-

retardarunt. Qui potius horum admiratione, & immortalitate ex virtu[te] ſibi comparata ad hæc Diuina ſtudia inflammatus, ad omnes dignitates clauſtra refregit, de cuius laudibus illa iam frequens, & omnium conſentiens fama eſt, hunc in quolibet litterarum genere primarium virum eſſe. Quod non ſolum in his optimis ſtudijs animaduertimus, quibus excellentes viri præſtiterunt, ſed etiam quæ opifices exercuerunt. Nam qui Protogenis Bacchum Rhodium informatum perfecit? Qui Coæ Veneris pulchritudinem imitari valuerunt? Illæ tamen ſummo artificio repræſentatæ pulchritudines, ingeniumq; humanum ſuperantes non amouerunt à pingendi artificio poſteros, tametſi illud vt diuinum opus admirandum omnibus relictum eſſet. Nec Phidias Iouis Olimpij, & Mineruæ ſimulacro. Nec Doriphori, Diadumeniue ſtatua Polycletus fecerunt, vt reliqui à propoſito declinarent, quominus experti quid efficere poſſent progrederentur. Quo in genere infinita fuit multitudo, cuiq; tamen in genere, & ſtudio ſuo ingens laus fuit. Summa quidem laudabant, & admirabantur, nec tamen inferiora reprobanda exiſtimarunt. Excelluit in poetica laude apud Græcos Homerus, quem æmulari Virgilius minime expauit. Vnus Demoſtenes inter oratores admirabilis fuit. Multi tamen, & quidem magni antea fuerant, nec poſtea defuerunt. Alexander Macedo ſuos ciues magnitudine rerũ geſtarum terruit, nec tamen poſt defuerunt viri bellicoſiſſimi. Dicet fortaſſe aliquis veſtrum, Annibal ſuorum maiorum imitator ſuæ virtutis nullũ exemplum reliquit. Fateor id eueniſſe Cartagin. quia Imperium cũ viris ſublatum eſt. At è Romanis amiſſo vno Scipione complures fortiſsimi, emergebant. Me-

tello

tello deplorato alios inſignes in bellum Metellos prodire videbant. Vnum Fabiorum ſuperſtitem Romanã Rempublicam vehementer laborantem & pene labentem reſtituiſſe viderunr, quodque in Repub. illa obſeruatum eſt, id & in alijs rebus ab eodem rerum Domino, multarumque gentium Populo victore factitatum in omnibus annalibus obſeruamus. Fuerint Romani armis Florentiſſimi, nec tamẽ tot inclyti Duces, magnanimique Imperatores, Cæſarem noſtrum inuictiſſimum belli gerendi adminiſtratorem, Rei Militaris ſcientia, virtute, auctoritate, fœlicitate à rerum magnarum apice, & Priſcorum auctoritate, & gloria reflexerunt, incitarunt potius ad maiores Triumphos, quibus & quietis, tranquillitatiſque, cum Cœlitibus tutiora præmia adeptus potitur. Cuius mortem omnes gentes deflent, quod Duce tanta prudentia prædito, tanta manſuetudine ornato, careant, Dij vero immortales Triumpho gaudent, quod eum ad beatitudinem hiſdem tectis receperint, Cuius res geſtæ, & virtutes, vlterius ſolis curſus terminis, & regionibus, continẽãtur. Eo enim penetrauit, quo nullus Priſcorum Imperatorum, vel à quibus etiã omnis maris littora decurſa fuerant, adiuit, Longius fines huius terrarum orbis terminauit, quam, (vt priſca fides cantat) Deorum ſatu, & conceptu generatus Hercules. Sed agere de illo cuius ſingulari rebus geſtis conſilio, prudentia, prouidentia Annales pleniores ſunt, quam vniuerſorũ præteritorum, ægregiorumque Imperatorum, nimis ocioſi eſt, quando illius laus, gloria, eximiaque in Rempub. Chriſtianam non officia tantum, ſed merita omnibus nota ſunt, & in poſterum memoria, omnium gentium ſermonibus, mentibuſque literarum monu-

mentis ſemper hærebunt. In hunc quaſi cum Cælitibus breui in tranquilitate vitam acturum præſagiens Hieronymus Vida muſis gratus, Dijs gratiſſimus hymnum cecinit, (quo tãquam Summus Pontifex Cæſarem inter cœlites collocauit) Dum in Deorum choro quemlibet cœlitum ſuis præmijs honeſtaret. Huic inter alia, quæ fæliciter illi obtigerunt, contigit, vt in ſceptris, reliquiſque ampliſſimis Hæreditatibus patrijs cum maxima gloria, & vtriuſque laude, omniũq; ſumma probatione, filium ſuum Regem, cum potentiſſimum, tum omnibus gratiſſimum videret, qui cum in Patris animo, & mente tantam gloriam, tot laudes, virtuteſque ſingulares, & eximias inſiſtat, hunc tantum dolorem ex patris diſceſſu, e vita ad ſuperos leniri poſſe confidimus. Sed quid animi diutius pendendum eſt, honeſtiſſimi Cremonenſes, cum nec veſtri Ciues, de quibus Paulo ante agebamus, magnitudine rerum à ſuis maioribus geſtarum, laudi, aut gloriæ bellum indixerunt? Quod ſi feciſſent, deſiderio honoris, quo incendebantur, & animi voluptate, qua conficiebantur, Cremona patria veſtra antiquiſſima, nequaquã ita hilarata fuiſſet, nec tantam, tot eloquentiſſimorum Virorum vbertatem, dicendique copiam admirata fuiſſet. Nec tot fortiſſimorũ Ducum eximios animos iuriſque conſultorum oracula, & aliorum cuiuſq; generis ſcientias hic ſuſpexiſſet. Nam maiores noſtri, qui horum tectorum, in tantam nunc magnitudinem auctorum, exaggeratorumque, quantam videtis fundamenta iecerunt, huic Reipub. non tantum ſperauerũt, quantum hi de quibus modo egi virtute ſua effecerũt. Et vt horum clariſſimam vocem audiatis ſic vobiſcum loquuntur. Vt nos maximo ſtudio in cõmunem Remp.

multis

multis prę̨currere non grauati ſummus, ſic vos alijs prę̨ currratis enitendum eſt. Quicquid enim laboris, & ſtudij impenderunt in patriam honeſtandam, id ad poſteros ſuos incitandos, ad famam Cremonenſem ſuſtinēdam, vel potius augendam factum fuiſſe minime dubitandum eſt. Rem vobis ex ſententia ſucceſſuram, quicunq; huic hodierno die, quos in hoc conſeſſu plurimos video conuenerunt, ſpe non iam opinantur, ſed certis, inſignibusque indicijs perſuaſum habent. Nam ſi qui perditis, ac profligatis moribus adoleſcentiam luxui deditam, iam grandem egerant, in maturiore ætate multæ probitatis inſignia, quæ alijs imitanda proponerentur, reliquerunt, quales accæpimus Scipionem ſuperiorem, Fabium Maximum, Catulum, multosq; alios, quorum primis ætatis improuidæ, & lubricæ annis nihil magis infame, adultæ vero ætatis fructu in Rempub. nihil ornatius, nihil ſalubrius, quid deſperandum eſt de vobis, quibus tales parentes fuiſſe, ab ijsdemque optimis diſciplinis inſtitutos maxime vos gloriari debetis, præſertim cum eorum veſtigia, qui modo e vita diſceſſerunt, vel eorum, qui in maximis ſtudijs ad ſummam ſenectutem cum ſolidā, veraque gloria viuunt, in aperto ſint? Auos habuiſſe illuſtres magnæ gloriæ eſt, parentes vero illuſtriores maioris, ſed à curriculo eorū iam fundatæ, formatæq; laudis diuertere, à præclarisq; inſtitutis deflectere ſummæ dementiæ, extremæque ſtultitiæ eſſet. Nam vt gloria parta ab aliquo in prioribus vitæ actibus, quem ornauerat, deformat, ſi in extremo actu ſibi deficit, ſic illos parum, vel potius nihil condecorat, qui ad ſe, domosque ſuas decorandas ſola maiorum gloria nituntur. Vobiſcum præſtantiſſimi Ciues præclare agetur,

 ſi non

ſi non inſomnis, crebriſque compotationibus, & concænationibus, niſi cauſa defatigati in ſtudijs animi reficiendi, & ad maiora, vehementioraque ſtudia firmādi aliquando quaſi ludibundi depræhendemini, ſed in vigilijs, & Continentia, nec non abſtinentia omnium oculis iucundiſſimis cõſpiciemini. Quæ virtutes ſemper Cremonenſium propriæ, & præcipuæ fuerunt, quas cum exquiſita diligentia, exactiſſimaque cura ſeruent, vt virtutes hæreditarias, non minus ſibi conſultum eſſe ducunt quam reliquis ætatibus, vt in Repub. quam bonam nacti erant, ſe tanquam antiqui nominis Cremonenſis obſides relictos eſſe meminerint. Deſunt alijs exempla Maiorum, quæ ſequantur, nec quo proficiſcantur certo ſciunt, niſi maxima impenſa, ſuorum notorum ſolicitudinibus, quibus dies, noctesque foris commorantibus, ad virtutes comparandas, parentes filijs timentes curis exeduntur. Et cum ſæpe triſti de morte filiorum nuntio allato, miſeri parentes exanimi conciderunt, nunc vero Marcus Antonius Bellonus Nicolai frater, qui vt Schicij de quo ſuperius egimus coæus, ita in eadem dignitate, ad eandem Italiæ adminiſtrationem apud Regem noſtrũ reſedit. Nam proxime Franciſcus eius filius, quem Ciues nunc ipſum ad ſingulares patrui virtutes excitatas, in patria reponendas expectabant, eodem tempore, & patriam, & parẽtes ex maximo ſolatio, ſpe, & deſiderio in maximos luctus vertit, & puncto temporis omnes in perenni mærore iacentes reliquit. Non poſſum præ lachrymis hanc rei acerbitatem proſequi. Hic apud nos quinquennium fuit, huic & liberaliũ artium, magiſtri, & viuendi præceptores fuimus. Octauius Zancha Papienſis tanti vulneris, & damni auctor. Sed

ſecm

rem omiſſam repetamus. Vos igitur vtroque, cum alias, tum hoc tempore abundatis, maxima cum omnium gentium admiratione. Non enim vobis longe peregrinandum eſt, ad literas, & cuiuſque generis diſciplinas adiſcendas. Quæ cum nunquam in hac omnibus ſcientijs florentiſſima Vrbe peregrinatæ fuerint, nunc maxime florent, & vigent. Si enim quod ad Grãmaticorum, Poetarum, Oratorum, Hiſtoricorumque explicandas inuentiones, tollendas obſcuritates, ſpectat, requiratis, quemcunq; eorum adiereritis (ſunt enim complures) quorum doctrinam minime contempſeritis, ſi attente illos audieritis inde vos ſemper doctiores diſceſſiſſe profitebimini. Si enim Rhetorũ præcepta quis concupiſcet, ſi hiſtoriarum à primo deſiderabit ortu literarũ, & rerum geſtarum exordio cognitionem, & quamque aliam artem (nihil enim intentatum reliquerunt,) ex animi ſententia omnia explicabuntur. Nam quæ partes in arte tractantur Rethorica, quas hi longa exercitatione, mutuaque, & amica diſputationis conflictione non aſſequuti ſint? Quæ res in priſcis annalibus, tam abdita, & abſtruſa delitefcit, quæ his iampridem in literis, ſtudijs viris exercitatis lateat? Quæ etiam viuendi regula, quam iſti ex natura viuentes non agnouerint? Quod Dogma denique illi homines priſci profeſſi ſunt, & ſanxerunt, quod in dilucidandis diuerſis, varijsque lectionibus non aperiant? Sacras enim leges, ſi quando lectiones ab his, in ſcholis, in frequentiſſimo diſcipulorum conuentu, iuuenumque honeſtiſſimorum cœtu interpretandæ iuris Conſultorum inuentis inſperguntur, exponunt, interpretantur, declarant, dilucidant, illarumque legum grauiſſimos Auctores, Principes, & in-

uentores,

uentores, ne præſtantes viros præclariſſimis ſuis inuētis defraudant, produnt. Nec iſtæ diſciplinæ aduenticiæ ſunt, ſed veſtræ, huiuſque Ciuitatis propriæ. Si placet, per vosq́; licet Cremonenſes integerrimi, Ciuesq́ue amantiſſimi de huius ciuitatis fęlicitate, (Quā rem video vos apprime attentiſſime expectare) quod ſentiam, dicam, id plane proferam, nec allegorijs obſeruabo. Morum igitur obſeruantia, literarum fertilitate, legum cognitione, Cæremoniarum diligentia, Romæ antiquæ omnium ciuitatum dominæ, & principi illius comparatione licet parua, ſi non præſtat, nec tamen ſe vnquam hęc Ciuitas vinci paſſa eſt, quod freti, vel auctoritate, teſtimonioq́ue, & multorum Annalium ratione confirmare ſi ocium eſſet poſſemus. Non enim ad alienos mores condiſcendos adoleſcentes noſtri, non ad literas aucupandas alio iuuentus Cremonenſis migrat. Non ad leges cognoſcendas, illasq́ue in Vrbem noſtrā reportandas anxia, & ſolicita in alias vrbes contendit. Non Cæremoniarum cauſa ſuarum augendarum externas gentes petit. Non aliunde leges exquirunt, aut extorquent, quas res omnes priſcos Romanos factitaſſe proditum eſt memoriæ. Sed harū omnium rerum, vt inuentrix, parens, effectrix Ciuitas noſtra abundat. Et vt publice literas humanitatis viros minime imperitos profiteri ſumma diligētia videtis, nulli dies, noctesque labori parcentes, quod inſtitutum à Maioribus ſuis acceperunt, nec horum deſidia extenuabitur, & euaneſcet, ita quando legum, vel aliarum ludus ingenuarum aperiretur ſcientiarum (qua moleſtia non me præterit, parentes veſtros aliosq, libenter carere) quando inquam hic ludus legum aperiretur, non deeſſent iuris peritiſſimi, veſtri ciues in

omni-

omnibus ſcientijs verſati, hique honeſtiſſimi viri, qui illas tanta nominis ſui fama illuſtrarent, tanta dicendi copia, tanta Cremonenſis dignitatis ſummæ grauitate, tanta auditorum frequentia, & admiratione, vt qui ex omnibus etiam remotiſſimis ciuitatibus, huc frequentes confluerent vix vrbs hæc illos caperet. Nec tam legum interpretatione qua nihil doctius, nihil ſalubrius, ſanctiusúe cognoſceret, quam ſermonis lepore, verborum copia, ſententiarum dignitate nouo, & inuſitato genere dicendi, Cremonenſibus tamen noto vſitato, longa, aſſiduaque dicendi cura, & ſtudio iam vſurpato, ducerentur, quam ingenij admiratione huius literarum domicilij, & officinæ Ciuitatis, & ita medius fidius, vt cum huc peruentum eſſet, Patrias ſedes ſibi relinquendas exiſtimarent. Lares ſuos huc tranſportandos curarent, Ciuitatis noſtræ nomen ſibi vſurpandum operæ prætium ducerent. Sibi enim perſuaderent aeris bonitate ſe paulatim ingenia hebetiora, quæ aeris craſitudine, naturaque cœli pleniore corrupta erant, depoſituros, & Cremonenſium conſuetudine, eorumdemque ſubactis ingenijs, in dies non multum illis diſſimiles fore. Quod temporis perangusto ſpatio minime aſſequi valerent fundamenta tamen literarum, bonarumque artium adipiſcendarum liberis ſuis iacerent, quod non paruum ſolatium reliquæ vitæ ſuę, vel cum etiam e viuis migraſſent, ſi quo tamen ſenſu, & animo, quæ fiunt apud mortales manes percipiunt. Vt itaque ille gloriabatur ſe Athenis, totius Græciæ tunc ciuitate florentiſſima, tum imperij ditione, tum literarum, virtutis, ingenij, fortunarum præſtantia, qua tempeſtate Socrates Philoſophorum Deus maxime regnabat, omnium mortalium, & opinione, & prædica-

tione natum fuiſſe, ſic vobis, qui non vnum Socratem, ſed plures, in docendo laborioſos,& fideles, nō vnum inſtitutorem morum, ſed multos habetis, gloria, lætitiaque triumphare licet. Et in reliquis bonis inopinatis, ſed tamen ſperatis, quæ parentes filijs quam optime ſucceſſa vellent, illo à Dijs immortalibus nos fortunatos eſſe non ignoratis, quo ſolo beati eſſe poſſemus, quod & ſi nobis commune cum infinitis alijs gentibus ſit, Cæſarem Optimum, Maximum Imperatorem Reipub. Chriſtianæ cum amantiſſimum, cum placitorū maiorum ſeruantiſſimum, tum eorundem acerrimum defenſorē datum fuiſſe, in noſtra tamen præcipua gratulatione, exoptata lætitia ponendum eſſe, id omnibus etiam alijs Ciuitatibus ſcientibus, non quempiam Veſtrum præterit. Quam enim aliam Ciuitatem honoris dignitate, beneficijs in ſingulares viros, noſtros Ciues, quoad cum mortalibus dignitatem retinuit, huic noſtræ præpoſuit? Quæ nobis communia cum illis, quos donauit exiſtimandum eſt. Qui enim magiſtratu aliquo quēpiam, e Ciuibus remuneratur, eo beneficio totam patriam decorat, omnes vti magiſtratu non poſſunt, ſi tamē aliquis Ciuis gerit, Ciues omnes in honoribus apud omnes gentes ſunt, virtute illius, qui ad honorem hunc vocatus fuit. Nec minus Philippo Cæſaris filio chara, ac iucunda hæc patria eſt, quam patri ſemper fuit, cuius rei illud maximum argumentum eſt, quod primo quoque verbo Cremonenſes honoris cauſa nominat, & hac oratione ſempiternæ poſteritati commendat. Cremonæ in columi ſola ciuitate Imperium amiſſum (Quod omen Dij in communes hoſtes conuertant) in priſtinam dignitatem, vel maiorem ditionem nos redacturos non diffidimus.

Id

Id ex grauiſſimis viris, qui illius intimis ſermonibus non adſunt ſolum, verum etiam interſunt accepimus. Nec immerito mehercle id ſine rei exemplo prędicat. Quæ enim Ciuitas ſub huius imperio viget, quæ fide pactorum, conuentorumque conſtantia huic fidæ, conſtantique Vrbi ſe præferre audeat? Id experti ſunt ab incunabulis huius tractus perbreuis, ſed fertiliſſimi; Varij Principes, Reges, magnanimique Imperatores! Vidit & hoc Cæſar, re ipſa Philippus probauit. Nati, & qui ab hoc Diuino ſemine orientur, cognoſcent, experientur. Ciuibus Cremonenſibus, quod in priſcorum annalibus ſeruatum eſt, fides charior fuit, hoc communi ſpiritu, liberis, coniugibus, focis, tectis, & denique ipſa vrbe quodlibet potius periculum ſubirent, & vitam quamlibet aridam, incultam, horridamque agere mallent, quam fidem labefactare, eamque fallere. Fortiſſimorum enim Virorum eſſe iudicauerunt, fidem ſuam ſemper liberare poſſe, nec cui dederint, vlla vi, prætioue, violari debere, ſed illam ad aras conſtantiſſime ſeruari oportere. Quid? nonne ob fidelitatem iam in prouerbium venit. Fidelis Cremona, quod difuſius in ſeconda oratione ſcripſimus, ſed quid omnibus nota loquor? Regi præſertim inuictiſſimo, Ciuiumque Cremonenſium amantiſſimo, cuius innata munificentia, & liberalitas in Cremonenſes ſuos redundaret, quādo in hæc tempora, quibus nihil ſpoliatius, nihil egentius, incidiſſemus, ſperant tamen noſtri Ciues peracto bello, ſe eam liberalitatem ſenſuros, huius clementiſsimi Regis, vt omnium rerum, quibus nunc aſsiduis bellis premuntur, immunitatem conſequantur; Oppigneratarum enim fortunarum ſuarum ad huius dignita-

tem., & imperium Cuſtodiendum remunerationem breui ab hoc expectant, ad quod ſperandum huius in Comitem Brocardum benignitas, Comitas, obſequium beneficia alliciunt, attrahunt, excitant. Quem ob præclaros mores, ſpectatam probitatem, ingenuam educationem, virtutem ſingularem diſciplinæ militaris Magiſtrum equitum, id eſt continentiæ, liberalitatis, humanitatis Cremonenſis ſibi adiunxit, qui nunc quanta auctoritate apud Regem ſit, omnibus in aperto eſt. Sed plurima in poſterum rebus ſedatis, & tranquillatis valiturum confidimus, cum ex virtute Comitis egregia, tum ex liberalitate Regis in hoc iam perſpecta, his turbulentis Reipub. temporibus. Hunc charum, gratumque habet, negotiorum publicorum Comitem, & auditorem, & credemus talem, tantumque Regem ſpem noſtram fruſtaturum? At huius opera confidimus Ciuitatem hanc omnem Regis ſui immenſam liberalitatem experturum, cum primum res illi, imperioque ſuo bene, fæliciterque, quod hic populus Cremonenſis à Dijs immortalibus ſemper precatus eſt, euenerit. Huic noſtro Comiti, Regiq; noſtro longam quietem, tranquillam à cœleſtibus vitam optemus, & deprecemur. Hoc enim florente, fœliciterque regnante, illoque apud Regem auctoritate præſtante, & viuente, aliena auxilia, miſeraque ſuffragia non deſiderabimus, alij potius à nobis requirent, optabunt, & deprecabuntur. Et hic e noſtratibus viris eſt, nulla in re ab alijs præſtantibus, primarijsque Ciuibus, qui huic Vrbi labore, induſtria immortalem famam pepererunt, degenerans; Quam enim à maioribus noſtris exiſtimationem accepit, eam ad perpetuam huius dignitatem patriæ ſuſtinet.

Exiſti-

Exiſtimauit enim non ſe minus poſterorum dignitati natum eſſe, quam maiores noſtros nobis. Quorum virorum ciuitatis noſtræ in ſempiternam memoriam virtute laus propagata ſit, quiue maioribus noſtris prælucentes, in poſterum virtute ſua præluxerunt, & quorum firmiſſimo præſidio, tanquam muro antiquiſſima, nobiliſſima, fideliſſima Romæ calonia hæc non vt ille nulla veterum adiutus auctoritate, ſed conſuetudine ſola vage ſenum loquentium, ab aratris, & villulis deducta hæc ciuitas munita ſit, in quibuſque fundamenta ſalutis noſtræ; ſpei ſtabilitas defixa, & poſita ſit, diligenter, & attente audiſtis, idque vt credo perſpicue nouiſtis. Quod cum ita ſit, non minorem gratiam patriæ veſtræ, gratiſſimi Cremonenſes, quam hæc hominibus illis, per quos immortalitas ſibi parta eſt debetis. Illi quod fœcundam parentem, nec tamen longo, aſſiduoque partu effœtam, & delumbatam, ſed fertiliorem, vberiorem, fertiliſſimoque fructu pleniorem, atque grauiorem nacti ſunt, lætantur. Hæc, quia fætu propagatur, ſibi mirandum immodum applaudit. Quare cum in ea vrbe nati ſitis, quam veſtri maiores vel ædificarunt, vel amplificarunt, multiſque honoribus illuſtratam reliquerunt, veſtrum eſt iuuenes Cremonenſes, ſtudia incæpta perficere, & quo maiores noſtri eam propagare cœperunt inſtituto, eodem animi ardore, & beneuolentia in hæc ſtudia incumbere veſtra vel maxime refert, vt aliquando cum per ætatem vobis licebit patriæ conſulere, & ciues, & externi vos conſultum veniant, Cumque à vobis diſertiſſimis, iuriſque conſultiſſimis, (Quales hæc patria veſtra nunc complures habet) re conſulta, & explorata conſultores diſcedent admirantes ſe-

cum dicant. Si tales in rebus publicis noſtris haberemus, fortunæ noſtræ, fama, variarumq; rerum concertationes, & conflictiones, cum bonorum communium periculo non miſerorum reorum opes, tam temere quorundam rerum, & vſus imperitia rudium corruerent. Quorum verbis cum patria veſtra in Cœlum tollatur, hominibus vbique gentium prædicetur, nec veſtri patres, maioreſque, quibus huius Vrbis fundamenta, præclaraque inſtituta debentur, parum prudenter prouidiſſe creduntur; Quod ſi vobiſcum conſideraueritis, nec ſpem multorum, expectationemque ex ingenij mirifica indole veſtri ſuſceptam falletis. Quod quanto dedecore, probro, ingnominia, conuitio, infamia, compellatione denique notaretur, veſtri iudicij ſit præmeditari, quo & ſi non multum ætate prouecti, vt Cremonenſes tamen, plurimum præſtatis. Quid enim indignius, inhoneſtiuſue accidere vobis poteſt, quam hanc vocem audire? Quia per hos deſitum eſt in Repub. bene agi, nos eam capeſſamus, & eorum inſtituto hanc regamus, quorum res geſtæ legi nunquam deſitæ ſunt, in illam amplificandam totis potius viribus incumbamus, quam diminuendam. Quid ſi patriam hæc, vel talia dicentem audiretis? Alio vobis migrandum eſt, quando à parentibus veſtris, eorumque maioribus ita degeneratis, vt cum nulla in parte illis ſimiles ſitis, alibi potius cum dedecore, & infamia viuatis, quam hic veteri ſplendore & dignitate amiſſa iaceatis, cum digni non ſitis, qui ad maiorum magiſtratus adeatis, alij quærendi, qui ad eorum ſubſellia, à maioribus decorata inſigni dignitate mittantur. Hæc dicendo, mecumque pertractando, multum moueor. Quid vos

audien-

audiendo, metiendoque, quantum maioribus veſtris debeatis, qui ex longa annorum ſerie, peneque infinita, ab vrbis veſtræ vſque primo ortu Auos, Proauos, Atauos, ex veſtrorum Annalium obſeruatione referre poſſitis? Date igitur potius operam, (Quod non coniectura vos facturos aſſequor, ſed potius certis ſignis) vt hæc omnibus ſentientibus ſecum ſic loquatur. Hi ſint quorum opera, & induſtria in Cœlum tollor, quorum virtute, & auctoritate apud Imperatores ſuos Philippum, & eius nepotes, Maximiliani filios, ad quos Deorum immortalium in terris omnis poteſtas, vel tranſlata, vel cum illis communicata eſt, ſi non omnium, at multarum rerum immunitatem me aſſequuturam ſpero. Hi ſint quorum res geſtæ, non tantum in patria, quæ locorum ſitu peranguſta eſt, noſtrorum vero virtute maiorum latiſſima, ſed longe alibi gentium præconio ſummarum laudum prædicentur. Hi ſint inquam quibus viuentibus, nulli quamuis beatæ, ac florenti Ciuitati inuideam. Quælibet potius Ciuitas, res veſtras præclare geſtas, & inſtituta miretur, ſuſpiciat, laudet, quam æmuletur. Hæc ſunt curricula, hæ concertationes, in quibus veſtri maiores ſe ad hanc patriam extollendam, & in omnes partes orbis propagandam, omnibusque ſeculis hominum ſermoni, & admirationi conſecrandã exercuerunt. In quæ & vos inſiſtere debetis, non minus animo, & mente, quam labore & ſtudio, vt virtute veſtra Ciuibus cognita, probata, in varijsque cauſis perſpecta, in alias Ciuitates, ad maiorum veſtrorum imaginem, qui illic alias floruerunt, & in honore, dignitateque fuerunt referendam, & repræſentandam aſciſcamini. In hoc induſtriæ campo omne vir-

tutis

tutis veſtræ acumen excurrat, vt cognita virtus, famaque veſtra ad omnes bonos, longe etiam gentium habitantes, qui de vobis bene promereri audito nomine veſtro queant, deuolet. Quod cum futurum ſperem; reliquum eſt florentiſſimi Cremonenſes, vt vobis, patriæque noſtræ fęlicem, fauſtum, proſperumque vitæ curſum exoptem, à Dijsque immortalibus deprecer; vt cum hæc bene, fæliciterque magiſtratibus veſtris, populoq; Cremonenſi euenerint, de patria bene meriti ſempiterno æuo cum ſuperis, ad quos, qui patriam defenderunt, adiuerunt, illuſtrarunt, omnibus hominibus profuerunt, ſtudio literarum, armorumue diſciplina propagarunt, migrant, fruamini. Dixi.

FINIS.

EPISTOLA
RVM FAMILIARIVM
FRANCISCI ZAVAE

LIBRI VIII.

LIBER PRIMVS.



CREMONAE

Apud Vincentium Comitem.

M D LXVIIII.

EPISTOLA
RVM FAMILIARIVM
FRANCISCI ZAVAE
LIBRI VIII.

LIBER PRIMVS.



CREMONAE

Apud Vincentium Comitem.

M D LXVIII.

FRANCISCVS ZAVA MARCO ANTONIO MAIORAGIO S.

LIBER PRIMVS.

SCripsit ad me Ludouicus Molia vtriusque noſtri amantiſſimus, iſtic docendorum Iacobi Pirolæ, viri præſtantiſſimi filiorum conditionem, quàm honeſtiſſimam eſſe. Cum primum huius literas legi, dedi operam, vt Ioſephum Aſandrum tui quam ſtudioſiſſimum conuenirem. Cuius quanuis mẽtem exploratam haberem, volui tamen rem cum illo communicare, ne occaſionem hanc omitteret, illum etiam, atque etiam hortatus ſum. Qui & ſi prius deſiderio meo refragaretur, meæ tamen admonitioni, & cõſilio audiens prouinciam ſe ſuſcepturum fronte exporrecta, & liberali reſpondit. Si per ocium hac de re tecum agere mihi liceret, hunc pluribus tibi commendarem. Sed quoniam aſſiduis occupationibus diſtineor, & iam amicitia noſtra mutua beneuolentia conglutinata eſt, illud ſaltem à te petam, vt quacunque re poteris, plurimis autem poteris, Ioſepho meo ne de-

ſis. Huius æris alieni tui ſemper futurus eſt memor. Eius enim ingenium à teneris cognoui, ſe tibi plurimum debere fatetur, primo quoque verbo te nominat, ad cœlum te vbique virorum illuſtrium, quibus cum de te loquitur ſummis laudibus tollit. Illi nihil gratius, quam tecum viuere, hoc ſæpius illum dicentem audiui. Mihi præterea tam gratum facies, quam quod gratiſſimum. Quacunque re hunc tibi obſtrinxeris, me quoq; tibi obſtrictum fore putato, & ſi ab hinc iam multos annos tibi ob ſingularem virtutem tuam obnoxius ſum. Id oneris inuitus tibi impono, ſed ea eſt Ioſephi humanitas, amorque meus ſingularis in iſtum, vt hoc quam libentiſſime agam. Hoc equidem coram libentius facerem. Vt igitur literis noſtris te viſam, amico, cuius ſum ſtudioſiſſimus, inſeruiam, non vt ad ſcribendum te prouocem, ſcito noſtras ad te dari, tamē ſi aliquid tuarum ad me ferri curaris gratiſſimum erit. Vale Cremonæ. cIↃ. IↃ. LIII. Idibus Mai.

FRANCISCVS ZAVA
Ludouico Moliæ S.

VI Idus Februarij tuæ mihi perlatę fuerunt lepidulæ literæ, quas vt Tabellarius tuo nomine mihi reddidit, arripui, & ita gaudio exilui, vt cum illas legerem me deſipere, ac delirare crederes. Mecum ſæpenumero animo volutabam, quorſum tanta ſcribendi ad me intercapedo. Subuerebar, ne idem eſſes, quem ſæpiſſime literis tanquam alter Parrhaſius te mihi appingebas. Veruntamen tantum ſcelus in te cadere poſſe non facile mihi perſuadebam. Quippe

qui

qui fidem tuam ab hinc decem annos ita perſpectam, exploratamque habebam, vt à te nihil amplius deſiderandum eſſet. Tuas ergo diu expectatas tandem accepi, ex quibus quantam lætitiam acceperim ipſemet tecum cogitato, qui tui conſcius animum noſtrum à tenera iam ætate quaſi rimatus es. Illas enim tam politas, attico ſale ſparſas, omni denique elegantia, & lepore ornatas, quis non admiraretur? vt omittam tuum in me ſingularem amorem, his patefactum omnibus amicis noſtris. Nam ex quadam mea voluptate ijs, à quibus compertum habeo nos amari, has videndi copiam feci. (Obtrectatorum enim amplius nullæ profecto furiæ ſunt, vel ſi ſunt, quas delere non minus difficile, quam Hidræ capita amputare, illas tamen quæcunque nobis occurrunt hili facimus) mutuam beneuolentiam, inauditam fidem ij omnes noſtram extollunt, illamque amplexantur. Iam cognorunt amicorum par quartum amplius non quæri. Excuſationem tuam vix accipio. Nam ſi tibi nullum (vt ais) ſcribendi argumentum erat, quicquid tamen in buccam veniebat ſcribere debebas. Quamquam certo ſcio te verborum non tam inopem eſſe, vt illorum copiam tibi ſuggeri deſideres. Nam rerum, & verborum, quis ſuppellectilē tuam ignorat? Quid ad me miſſurus ſis (vt tuis fere verbis vtar) non plane ſcio, mallem re, quam verbis experiri. Rides? Mihi tecum liceat per literas, id quod præſens libentius facerem, iocari. Non parum mihi applaudo nos tam bene à Maioragio audire. Optime enim agitur cum eo, qui à viro laudato commendatur, dicebat Hector. Verum cum mihi cōſcius ſim meæ inſcitiæ, non libẽter hanc laudem agnoſco, cuius tamen ſemper auidus fui. Non me latet il-

lum

lum in ſinu ferre literatos, eosque ſummo gaudio fouere, ſed ab eorum numero penitus ſecludor. Quicquid tamen dixerit ille in bonam partem accipio, & pigre ad ſtudium currenti calcar adiunxiſſe ex illius in omnes amorem ipſum mihi perſuadebo. Nihilominus nec tam impudens, & alienatæ mentis ero, vt tanti, talisque viri laudem non probem. De quo vbi omnes docti præclare loqui cœperunt, ita animo illum accepi, vt pro millibus hunc vnum habeam. Neq; vllius magis videndi deſiderio, quam huius flagro. Tantum ille inſedit animo meo. Diſpeream ſi quicquam mihi antiquius eſt Antonio Maioragio. Niſi mihi tot, tantæque occupationes, quæ certe ætna monte grauiores, Syſiphi ſaxo moleſtiores ſunt, ſe ſe mihi in horas offerrent, his proximis ſaturnalibus vtrunque viſerem. Quod cum facere non poſſim loco tui Franciſci has literas amplexaberis, Maioragium autem diſſuauiaberis, quem vt ſequare, cui vt inſeruias, cuius ab latere vt non diſcedas, quem præ cęteris chariſſimũ habeas, cui quoquo modo poteris, poteris autem quam facillime (audio enim illius incredibilem humanitatem) te totum tradas (& ſi vt intelligo) quæ eſt illius affabilitas, iam totus eſt tuus, te non ſolum hortor, verum etiam oro, atque obſecro; Nam præterquam quod te in oculis feret, ex illius officina, quæ omnium literarum referta eſt, illos præterea excipies floſculos, qui nunquam deciſuri ſunt. Dij boni quantum, qui profitentur literas, huic debent? Qua facilitate, & ingenij bonitate Tullij officia à Calcagnino, vel potius Canino euerſa ſtabiliuit, vulnerata ſanauit? Illud à te peto, vt ſi in illius amores non penitus illapſus ſum, me condocefacias, quomodo id aſſequi poſſim, nam mihi non

defuturus ſum ad hoc peragendum. Videbor fortaſſe tibi ordine prepoſtero vſus, cum ad illud nouiſſime deſcendam, quod in tua Epiſtola primum erat. Sed ſcito me hoc ex induſtria feciſſe, vt tecum ridendi à calce ad carceres maiorem facultatē haberem. Merito inquis, nec hoc ſatis, iuſiurandum adiungis, de nobis Mehercule merito conquereris, ſubiungis porro, ſed profecto falleris. Iam valeant mi Ludouice, qui dicūt pugnantia non poſſe coaleſcere. Merito conqueri, & falli de eadem re nō cohærere omnia ſubſellia clamarent, hoc à te didiciſſe multum tibi debeo. De tuo in me amore non fallor. Scio enim & mihi ſemper perſuaſi te nunquam à nobis animo auerſo fuiſſe. Iampridem animi tui conſtantia mihi nota eſt. Quare vt penitus, me tibi omni fide, & religione obſtringam neceſſe eſt, & pugnantia amplius non dari tibi acceptum referam. Satis ſuperque mi Ludouice tecum iocatus ſum. Hoc te ſerio oratum velim, vt Ioannem Baptiſtā Schicium patriæ parentem, virum omni laude digniſſimum, cuius domus optimi, ac ſanctiſſimi iuris oraculum habetur, venereris, diligas, obſerues, colas, temnis, velisq; nitaris, vt ab illo ameris. Magnum lucrum exiſtimato te feciſſe, talem virum nactus, vt tibi ſapias opus eſt. Vigila, vt dicebat ille. Vale

FRANCISCVS ZAVA
Ludouico Moliæ S.

NOllem mi Lodouice exiſtimares me tui immemorem fuiſſe, quod te non viſerim antequā iſtinc diſcederem, multa enim fuerunt in cauſa, vt id

non

nõ agerem. Satisfactionem meã ex proximis ad te datis literis te accepiſſe credo, & ſi ſero tibi redduntur. Scis quanti ſemper te fecerim, me alterum te ſemper exiſtimaui, nec opinione deceptus ſum. Video enim me tibi abſenti tantæ curæ eſſe, vt non conquieueris, quoad honori, vtilitatique meæ non videris tua opera, & ſtudio eſſe conſultum. Expecto itaque filiolos Hieronimi Suici, quicquid cum illo confeceris, me cõprobaturum tibi perſuadeto, faciam vt te non pigeat depoſiti tui apud Suicum. Vale Maioragiũ, & reliquos communes amicos ſalutato Cremona.

FRANCISCVS ZAVA Ludouico Moliæ S.

CVm nihil ocij ad te ſcribendi mihi dari animaduerterem, literis quas ad Petrum meum dedi, illum admonebam literarum mearum ad te in præſentia intermiſſionem æquo animo ferres. Sed ecce mihi tot, tantisq; beneficijs me tibi pigneraris, vt pro his quid tibi oppignerem, non habeam, niſi literis id aſſequar. Accipe ergo meas literulas, mei in te ſingularis amoris pignus, quas quoties leges cum Frãciſco tuo loqui te exiſtimato. Nam & ipſe ſcribens tecum loqui videor, ex qua re vtrunque magnam delectationem capere facile perſpicio. Quid enim gratius, quã abſentem Ludouicum intueri? hoc euenit mutuo inter nos amore. Non te fallam, quæ tua eſt de nobis opinio de filiolis Hieronymi Suici. Depoſitum ſeruabo. Scis quanti faciam honorem meum, non poſſum non liberalis eſſe (quod ingenium meum eſt in omnes) in

hos

hos tantopere à te commendatos. Nam non minus laboro, vt honori meo conſulatur, quam tuo, quem me alterum ſemper iudicaui. Et ſi ingenium meum hoc recuſaret, Meliaducis tamen modeſtia, honeſtiſſimique mores me incitarent, vt quam liberaliſſimum me hic experiretur. Mitto Adrianum illius fratrem, qui non minus charus mihi ob tenellam ætatem, ac præclaram indolem, quam ſi filius mihi eſſet. Tibi mi Ludouice perſuadeto, in his erudiendis noſtram operam, diligentiam, curam, ſtudium deniq; noſtrum nec tibi, nec patri deſideratum iri. Non enim opinionem tuã, & Federici Schicij vtriuſq; noſtrũ patroni fruſtraturus ſum. Vale ergo, & me mutuo ama. Si ab hinc longo interuallo accipies noſtras literas, ſcito omiſſis Dialecticis me fore occupatum in Arithmeticis, niſi opinione fallor. In re enim familiari nunc totus ſum. Vale, & ſalue.

FRANCISCVS ZAVA
Petro Nigræ. S.

SAEpenumero animum meum intenderam, vt literæ meæ dedarentur ab eo potiſſimum tempore, quo cura tuorũ filiorum erudiendorũ Petro Martiri Groſſo demandata fuerat, mihi ita neceſſitudine conuincto, vt cum vllo ſanctius nunquam vixerim. Verum cum argumentum mihi non ſuggereret occaſio, (quanquam tui animi dotes eæ ſunt, vt vnde exordirer me penitus præteriret) tempus tamen idoneum expectare volui. Quare nactus opportunitatẽ, viſum eſt tecum de rebus meis familiariter agere, qua in re nollem graueris mihi opitulari. Nec verebor à te contendere, vt operam tuam mihi præſtes, quæ quantum mihi profutura ſit nõ

ignoro. Scio enim ad quem ſcribo, ad virum ſcilicet omnibus natum. Fretus itaq; Senatus liberalitate, & opera tua mi patrone, quam magni adiumenti in hac re mihi fore confido, & amicorum conſilio ductus, has literas ad te dedi, quibus à te peto, vt totus in cauſam, quam Benedictus Salernus ciuis optimus, tuiq; ſtudioſiſſimus diligentiſſime coram explicabit, incumbas, & vehementer etiam, atq; etiam rogo. Nec diffido, quin Senatus te referente, quod petimus, probet. Te non tantum per fortunas amici, quem tibi cōmendo, verum & per omnia mea bona à te peto, vt cōmendatio mea tantum apud te ponderis habeat, quantum amicitia Andreæ Offidij mihi maxima neceſſitudine coniuncti ſentire quamprimum expectat. Pluribus tecum non agam. Breui enim totum negotium à Salerno cognoſces. Vale Cremona.

FRANCISCVS ZAVA
Sebaſtiano Corrado. S.

QVod tardius, quam volebam, & tu fortaſſe deſiderabas, noſtræ ad te dentur literæ, nollem mi Corrade humaniſſime hoc inertiæ, ignauiæúe noſtræ aſcribas, vel obliuioni amoris mei in te ſummi. Vllum enim in ſcribendo tam impigrum, quā me, & in amore tam conſtantem haud facile inuenies. Sed hoc tribues cum tabellarijs, quibus non ſemper audeo meas literas dare, tum noſtris occupationibus, quæ nec horas ſubſeciuas agnoſcunt. Tuæ nobis iucundæ fuerunt literæ. Præ ſe ferunt enim humanitatem illam, (qua neſcio an fallar) omnibus præſtas, nec mehercle decipior, ex pectore enim tua manat oratio, hoc tum ex tuis literis,

tum

tum ex quodam familiari meo, iſtinc dudum profecto cognoui, qui me verbis tuis millies ſaluere iuſſit. Quapropter operam dabo, vt eum te amare ſcias, qui in amore non vincitur. Tui amore incredibili captus te videre aueo, tuamque doctam orationem audire. Videor equidem nunc tecum loqui, cumq; hoc fecero omnia ex ſentẽtia mihi ſucceſſiſſe exiſtimabo, & id iam feciſſem, niſi multa impedimento mihi fuiſſent, quæ ſi confecta forent, haud reprehenſione carere potuiſſem, ſi id non iam præſtitiſſem. Spero tamen tuo aſpectu me breui fruiturum. Nunc venio ad rem noſtram. Grata fuerunt Marco Tarteſio, quæ ſubſcripſiſti ad ea, quæ à te flagitaueram, alijs quoque non minime literatis; Iacobo in primis Puteali Sacerdoti ſummi, & grauiſſimi iudicij, mihi autem gratiſſima, qui non tam eo deſiderio ad te ſcripſeram, vt quicquam expectarem, quod ad locum illum enucleandum, de quo ad te ſcripſeram ſpectaret, recte enim inſpicienti, (vt mihi videtur) nulla obſcuritas, quam vt à te aliquid literarũ elicerem, cuius rei, vt ſperabam compos factus ſum, grata inquam tua noua excogitatio omnibus fuit, ſed de cõſule deſignato intelligunt, idq; affirmante Manutio, & quod dicas locum ſimilem illi. Vide quæ poſtea conſequuta ſint, & in Epiſtola longa ad Lentulum. Sed attende quæſo, quæ ſint conſequuta, primum illa furta, aiunt lectionem furta nõ probari eruditis, & loco furta furia appoſuiſſe. Philoſophandum autem, quod & tu parui faciendum ducis, referri dicunt ad Afranium, quod Cicero loquatur de illius conſulatus deſignatione. Verbum & illud impoſitus magno præſidio ſibi eſſe dicunt. Hęc & in ſuperioribus ad te ſcripſeram, ſed viſum fuit idem referre, vt intelligas Tarteſium ſententiam

non mutaſſe. Verum cum videam ſententia tua nihil illuſtrius, & quod magis cum Cicerone faciat excogitari poſſe, præter ea quæ tu ſatis acute ad me ſcripſiſti, hæc adduxi. Cicero ſic. Is conſul impoſitus eſt nobis tu deſignatum, ego non deſignatum, ſed conſulem, & in magiſtratu, Piſonemq; intelligo, & obiectionẽ eſſe reor, vt dicat Atticus quare Cicero non ſucceſſit ex voto res? quare de iudicijs nulla lex perlata, & equites alienati? Cum dixeris epiſtola 13. huius libri, Piſonẽ nulla in re vnquam cõſiſtere ſum paſſus. Senatum ad priſtinam ſeueritatem reuocaui, atq; abiectũ excitaui, Clodium præſentem fregi. Cicero autem reſpondeat. Ille nobis ex quodam affectu impoſitus erat quem nemo præter nos ſufferre, vel ſi maues aſportare poterat iuxta illud Virgilianum, ingentemque inſuper ætnam impoſitam, & illud dominumque potentem impoſuit, & apud Cæſarem tributum impoſitum, & illud Ciceronis Vectigal impoſitum pro leg. Agraria, & ad Atticum vulnera Reipublicæ impoſita, quæ omnia magnã vim habent. Hæc ad te ſcripſi, non vt putem tuam his muniri ſententiam, quia per ſe ſatis munita eſt, ſed vt cognoſcas quanti honorem tuum faciam, qui me mihi carior es, vt optimi teſtes ſunt, qui in florenti Tarteſij Academia verſãtur. Tuas expecto de his, & alijs rebus. Cõmodius coram vt puto breui agemus. Vale Crem.

FRANCISCVS ZAVA
Franciſco Rozono. S.

MEus in te ſingularis amor, nõ patitur, vt cũ mihi, cui ad te literas dem occurrat, quãuis priſtinis noſtris occupationibus diſtrictus tenear, cum ſine meis literis

literis iſtuc diſcedere. Cum itaq; Petrus Mendocius Sacerdos,& moribus,& literis,omniq; liberali doctrina politus, vtriuſque noſtrum ſtudioſiſſimus nuncius oportunus mihi daretur,has curaui ad te quamprimum perferendas, quæ ſi ſerius,quam auebas reddentur deſidię noſtræ te id aſſignare nolim.Cũ in ſcribẽdo ſi ociũ datur neminem impigriorem nobis, ex diuturna conſuetudine cognoſcas, ſed cum amicis, quibus cum ruri verſor, tum expectationi meæ, in dies enim te magis expectabam. Quapropter ijs te tantum admonitum velim, vt tandem accedas, quo iacturam, quam feciſti reſarcias. Te ſartum tectum Deo annuẽte cito reddam. Reliqui tui condiſcipuli reuertere. Tu ne diutius moreris vehementer rogo, illudq; cordi ſit à te mirãdum immodum peto, Honor maximvm bonvm, quod ſi tibi curæ tu maximus honos, nomen, illuſtre decus, tibi patriæ,domuiq; tuæ eris. Dulcis inde parẽtũ quies,atq; vnicum ſolamen, quanta præterea lætitia Hieronymũ batruum tuum, virum omni laude dignum afficies, cui tu vita ipſa charior es? Incumbe igitur totis viribus in hanc rem, & præcepta noſtra exequere,prǽſertim cum ſcias te à nobis multũ amari. Te propediem expectamus. Vale Cremona.

FRANCISCVS ZAVA
Mario Nizolio. S.

DOles morte Stephani Rolandi iuuenis literati,& vtriuſq; amantiſſimi, ego quoq; grauiter doleo qui talem amicum amiſerim, ſed hanc communem calamitatem æquo animo ferendam cenſeo,propterea quod fatorum decreta reſciendi non poſſunt, & hic

omnium

omnium mortalium portus eſt. Magnã delectationem cœpi ex tuis literis, quando in verbis te tám politum animaduerto, in ſententijs tam grauem conſidero, nullum enim in his verbum eſt, quod notatu non ſit dignũ nulla ſententia, quæ literis aureis non ſcribenda ſit. Ciceronem non auſim dicere à te in dicendo ſuperari, ſed te illum in vtroque optime æmulatum conteſtari poſſum. Ingentes gratias tibi ago, quando te mihi totũ totasq; tuas res vt dicis tradis, atq; offers, ꝓ qua animi tui liberalitate, quomodo me explicem nõ ſatis video, niſi viciſſim dicã me, meaq; omnia tua eſſe. Quicquid igitur poſſum (ſi quid poſſum) pro te nos poſſe ſcito. Quod Iacobum Rauazolum mihi tantopere cõmendes nihil opus eſt, hunc enim valde amo, literarũ ſtudioſis maxime faueo, ſed tempore minime oportuno venit, omnes enim qui huiuſmodi officio indigent, ruri ſunt. Cumprimum in vrbem redierint, illam diligentiam huic rei adhibebo, vt quoad confecero ex ſententia quod à me petis non conquieturus ſim. Interim meos tenues lares mecum habitabit, illi propter te, quem vnice diligo res meæ cõmunes erunt. Vale Franciſcum mutuo ama Cremo.

FRANCISCVS ZAVA
Gaſpari Vicentino. S. D.

Sigiſmundus Guindanus cum hic eſſet, egit mecum diligentiſſime, vt tibi honeſta aliqua conditione cauerem. Cui dixi me illius cauſa omnia eſſe facturũ. Acceſſerunt poſtea literę tuæ ſane elegantes, & perpolitæ, quæ me (& ſi in eo totus eram) vt voti compos fieres, ad illud tamen exequendum, & celeriter præ-

ſtandum

ſtandum multo magis excitarunt. Quare cũ huc omnẽ cogitationem contuliſſem, oblata eſt occaſio, quam vt vrgere poſſim, cupio certior fieri de voluntate tua, qua conditione, quaúe mercede conduci velis. Venit mihi in mentem cuiuſdam patricij honeſtiſſimi viri, & omni virtutum genere ornatiſſimi, cui ſunt duo pueri adulta ætate, dociles, ac magnæ ſpei, in quibus erudiendis nõ erit magnopere laborandum. Si cõditio tibi arriſerit, operam dabo diligenter, vt res conficiatur ex ſententia. Tu quid mihi agendum ſit reſcribe. Vale Cremo. V. Cal. Nouemb.

FRANCISCVS ZAVA
Io. Petro Picinardo. S. D.

NOn equidem parum nobis mirandum, quando noſtri immemor factus fuiſſes, præſertim cum eo ſis ingenio, & amore præditus, qui nulli cedas. Nec erat vt ſcriberes te noſtri memorem eſſe, quando id minime dubitabam. Nam non parum conuerſationis noſtræ licet breuis, vſus valuit. Reddidit mihi pater tuus elegantiſſimus, mei amantiſſimus tuas ad me V. idus Ianuarij literas datas, periucundas extitiſſe non ignoras, neminem enim te chariorem iſtic habeo, excepto vno Ioſepho Oliua, qui mihi omnium inſtar eſt. Humanitatis, officij, diligentiæ plenæ ſunt, perpolitæ quoque, ac elegantes, redolent mehercle Ciceronis ſtylum, Hortenſij ſuauitatem. Quæ ſpes de reliquo ætatis tuæ curſu concipienda ſit modo incæpta ſtudia non omittas, Oliua meus, vel potius noſter ea verborum elegantia, qua (vt ſcis) plurimum valet explanauit,

uit, cum apud patrem tuum, quæ eſt illius ſingularis liberalitas pranderemus, & quod ille mihi narrauit, id nunc tui præclarum ingenij ſpecimen reddidit. Nam qui te politius ſcribat hac admodum tenera ætate non ſatis video. Scribis te meas non accepiſſe, quo grauiter condoleſcerem, niſi tantam præ te ferres humanitatem, quanta in vllo alio vix reperiri poſſet, niſi in me amando cum Oliua meo contendere cuperes, Oliua enim meo nihil ſuauius. Vererer ne vel obliuione tui (quod nunquam erit) vel negligētia mea factum putares. Quod eas itaque non acceperis grauiter dolerem, ſi quanti te faciam non ſcires. Quod me Sebaſtiani Reguli viri bonarum literarum optimi iudicis, atq; æſtimatoris, verbis ſaluere iubeas, ingentes vtriq; gratias habeo, de quo ea audiui, à Ioſepho Oliua, quæ de raro, & ſingulari viro literato audiri ſolent. Quāobrem vt illius totus ſim opus eſt. Ingenij tui, magnā expectationem cōcitatam eſſe ſcito, quam vt ſuſtineas te etiam, atq; etiam rogo. Magnum, & arduum onus ſuſcepiſti, quod facile tamen ſuſtinebis, ſi te, tuoſque, & patriam tanti feceris, quanti hęc facienda vides. Nō te vt Theopompum ad ſtudium incitabo, ſed vt Ephorum cohortabor. Effice vt patria ingenij tui vberimos fructus ſentiat. Enitere vt tua domus in te conquieſcat. Pluribus hac de re, tecum non agam, quia quo cum loquor, non me præterit. Et hæc ex abundantia mei in te amoris profecta ſcito. Breui Ioſephus vtriuſque ſtudioſiſſimus iſtuc reuerſurus, bene valet. Tui parentes incolumes, & omnes tui domeſtici. Regulo, Sebaſtiano Corrado viris de literis optime meritis verbis noſtris ſalutem plurimam dicito. Quando Corradus editurus ſit noua Scholia in Ciceronem ad Atti-

cum,

cum, velim vel tuis, vel illius literis certior fieri. Vale, & ſalue mi Picinarde. Oliua te ſalutat. Crem. Calen. Februarijs.

FRANCISCVS ZAVA
Ioſepho Guarerio. S.

COntulit ſe Bononiam Ioſephus Oliua, cũ eo mihi ſumma extat neceſſitudo, tum propter morum ſimilitudinem, & vſum domeſticum, ſtudiorumq; conſuetudinem, tum propter ſumma eius in me officia. is in Academia Tarteſij ſolus erat ex æqualibus, quo cũ & literis politiſſime ornato, & ingenio prædito ſtylum meum exercerem, difficillima quæq; communicarem. Deniq; ſi quid mihi in authorum lectione obſcuri occurrebat, id ipſum cum eo ſtatim cognoſcendum putarem. Is abijt. Solus ſum, nemo omnium eſt, qui in ſcribendo operam ſuam mihi nauare poſſit, quo genere ſtudij vehementer delector. Cum Nicolao Scribonio id non tentandum, magno diſcipulorum numero implicatur, prȩterquam quod cum aduerſa valetudine vix in gratiam redire poteſt. Sunt & alij in noſtra Academia ingenio quamplurimi florentes, ſed omnes varijs negotijs detinentur. Reputanti igitur mihi animo meo amicos meos, qui in alienis Gymnaſijs celebres ſunt, nemo ſe ſe offert, vel ſuauior, vel candidiſſimis literis te ornatior. Nam quod aliorũ pace dixerim, in omnibus ijs diſputationibus, quibus in Academia veſtra interfui neminem audiui, qui vel acutius te vno proponeret, vel communem in diſputationem adducta, diligentius refelleret. Te igitur Ioſephe mi rogatum velim pro mea in te beneuolentia, pro illis animi doti-

bus, quæ te omnibus mirandum reddunt, vt rudem meam Mineruam tuis ornatiſſimis ſcriptis polias, excites, expugnesq́;. Sic & mei Oliuæ deſiderium lenies, & me tibi deuincies. Vale ex ædibus Pauli Zaneboni. Pridie Nonas Martias.

FRANCISCVS ZAVA
Guttiadoro Sanſeuerino. S.

NOn poſſum niſi ſummopere tibi, omnibusq́; tuis, Pallauicinis præſertim gratulari, quam ob rem non te latet. Vbi nam Megabocchus? Vbi Epicrates? Vbi Sampſiceranus? Vbi quiſquiliæ, quæ totam Placentiam inquinabant? Dij boni anni quam multa cōmoda ſecum ferunt, quāúe adimunt fatis annuentibus. Iſtuc libenter, vt vos viſerem me contuliſſem, ſed ea mihi impedimento ſunt, quæ me voti compotem eſſe non ſinunt. Vt Flauius noſter iam redeat, te hortor. Gymnaſium publicum paleſtritæ aperuerūt, vbi noſtro more pueros exercemus, illorum rubiginem, quam ex quadam deſidia contraxerunt expugnamus. Vt proſpiciam rei familiari mittes numos, quos crebris tuis literis polliceris. Flauium, & numos vna expectamus. Vale Cremona.

FRANCISCVS ZAVA
Ioſepho Guarerio. S.

MIra mihi narras diſcipulorum tuorum in me officia, vt potè qui ea in me ſint animi voluntate, vt temporis diſpendium, iacturamq́ue facere non grauentur, quo mea reſcribant, quæ ad diuerſos amicos

damus.

damus. Quod ſane officium quanto minus ab illis expectabam, tanto mihi gratius extat. Quorum propenſam cum in me benignitatem probem eorum tamē prudentiam non laudo. Non enim vident cum huiuſmodi officijs in me vtantur, quam iacturam faciant, cum tempus, quo nihil in omnium rerum natura prætioſius, nihilq; fugatius habemus, inane præteruolare patiantur. Quo circa admonendi mihi videntur, ne eius rei liberalitatem mihi ſpondeant, quam reparare minime ſperent, quā fortunis omnibus longe chariorem eſſe conſtat. Ij quoq; animo æquo ferant me hanc ſcribendi curam alijs demandare. Te autem qui in re clariſſima ſcribendi celeritatem diſſimulas, iterum, atq; iterum moneo, vt corporis laſſitudini, & mentis agitationi ſuas horas concedas. Vereor enim ne ſi aliquo morbo captus intereas, ad eadem fata, me (ſi vt eleganter Socrates) qui mortui ſunt, his de rebus, quæ apud nos fiunt, ſenſum vllum habent, euoces. Quo metu palam tibi eſſe debet, non tam ſalutem meam, quam tuā mihi curæ eſſe, quæ vtinā diu nobis incolumis ſit, fęliciterq; nobiſcum agatur. Idibus Aprilis.

FRANCISCVS ZAVA Ioſepho Oliuæ. S.

Timerem ne tibi nomine negligentiæ ſuſpectus eſſem, niſi tu me aſſiduis negotijs diſtentiſſimum eſſe optime ſcires. Iampridem perſuaſum tibi certo ſcio, te mihi nullum chariorem eſſe. Te enim in oculis ſemper fero. Nam quoquo me verto tui etiam in me amoris veſtigia facile cognoſco. Neque hæc ſcribo, quod mihi perſuaſum ſit de hoc te quicquam dubitare,

(mihi enim annuiſſes) ſed vt animi mei ſatisfactionem accipias, & ſcribendi longam intercapedinẽ excuſes. Nunc itaq; tandem Lippomano, vt tibi pollicitus fueram, cum apud nos cõmorareris, & ſi ſubinuitus (nam ſcio illius purgatis auribus non dignas) noſtras perferendas literas curaui, magis, vt tibi parerem, quam nouerim honori meo conſultum iri. Qua ex re ſi quid laudis percipietur, eam mihi vindicabo. Sin ſecus culpam tu ſuſtinebis. Et hoc me maxime ſolabitur, me pluris mandata tua feciſſe, quam nominis mei exiſtimationem. Nec parum mihi gaudeo noſtra iudicanda à Lippomano viro eruditiſſimo. Cui ſi noſtra arriſerint, ad cuiuſlibet peritiſſimi aures aditum habitura minime dubito, & quicquid id erit, me ad illum ſcripſiſſe multũ gaudeo. Tuas quamprimum expecto, quibus me admoneas, quam fidenter ad Lippomanum literas noſtras demus. Tui omnes quam belliſſime valent. Vehementer Laura vxor mea, optima fœmina inueterato iam morbo ſuo laborat, illam diu victuram nõ confido, de illius ſalute medici omnes deſperarũt, quicquid euenerit æquo animo feremus. Optime de illius anima confido, primo quoque verbo Deum ſuæ ſalutis autorem vocat hac voce grauiſſimos ſedat dolores, ne plura ſcribam lachrimæ impediunt. Vale Cremonæ, Idibus Martij CIↃ IↃ LIIII.

FRANCISCVS ZAVA
Equiti Lippomano. S.

SOlent perſpicaces, & acuti viri ad quem ſcribant mente, animoque ſecum diu cogitare. Id quod animad uertens, anceps mecum fui, & ſæpenumero cogitaui, darem ne aliquid mearum ad te literarum. Duo

me

me dehortabantur, ne id temere ſuſciperem, hebes ingenium, & parum in ſcribendo exercitatus ſtylus, pręſertim, cũ nõ ignorẽ Ioſephi Oliuæ tui ſtudioſiſſimi docta de te crebro oratione mecũ habita, qua ingenij fertilitate, atq; vbertate polleres. Sed tua humanitas, miteq́; ingenium ne in hac re mihi deeſſem perſuadebant. Quare & ſi tardius, quam putaram id factum eſt, malui tamen ſilentium diu cum pudore ſeruatum à me alienare, quam Arpocratem cum dedecore imitari. Gratulor itaq; tibi, eas animi dotes in te eſſe, quæ vel infimum ad ſummi gradus faſtigium erigere poſſint. Quas Ioſephus Oliua cum hic eſſet ea ſuauitate ſermonis mihi expoſuit, vt nihil aliud mihi optarim, quam in numero tuorum clientum haberi. Id quomodo aſſequi poſſem (flagrabam enim incredibili quodam ardore, me tunc ipſum in patrocinium tuum inſinuare) etiam, atq; etiam ab eo petebam, id ſolum literis, quæ tua eſt humanitas, me conſequuturum dixit. Has ergo leges nullo quidem lepore ſparſas, & nullo verborum pondere, ſententiarumq́ue grauitate politas, amoris tamen plenas. Quæcunq; erunt à tui ſtudioſiſſimo, & in tuo ære cupientiſſimo eſſe ſcito. Perſuadeas tibi velim nihil mihi gratius accidere, quam vt per Oliuam meũ in tuam amicitiam irrepam, quam per ſe glutinatam debilitari non ſinam, ſi tamen inter tibi addictos me eſſe patieris quod ex tuo placido ingenio mihi conceſſum iri crediderim, operam certe dabo, vt à nemine in te amando, colendo, obſeruando vincar. Me maxime oblectabit, ſi mei in te ſingularis amoris ſpecimen his te agnoſcere cognouero. Nõ tecũ pluribus agã quãdo te varijs ſtudijs teneri ſcio. Id tantum à te peto, vt qui te veneratur diligas. Vale, & me ama.

FRAN-

FRANCISCVS ZAVA Ioſepho Oliuæ. S. D.

PVlchram ſane, & iucundam excuſationem, qua te quadam appendice literarum ad fratrem tuum excuſas, quod nihil ad me tuarum in præſentia dederis. Ita ne æquitis Lippomani negotijs opprimeris, vt tantum tibi ocij non ſit, quo tui cupidiſſimos, & amantiſſimos literis non viſas? Si non longis, ſaltem breuiſſimis. Non credo Equitem Lippomanũ, quem tanta humanitate præſtare dicebas (tuis ferè vtar verbis) vt nullum ſuperiorem habeat, ita inhumanum, vt hac in re ſe æquum tibi non præſtet, præſertim cum te, reliquosque doctos tanti (vt virtutis maxime ſtudioſus) faciat, vt verbis exprimere nequires, id quod mihi ſæpe magna animi lætitia, & hilaritate prædicabas. Hoc ſi ex animi ſententia, non ſuccedit (quod nunquã credam) raptim quod ſæpe facio, id vt aſſequaris tentato. Nec tam doleo, quod ad me non ſcripſeris (tuas enim ad fratrem mihi communes ſemper perſuaſum habui) quam quod Hieronymum Argentam, & Chizzolum tam tui ſtudioſos, quam quod ſtudioſiſſimos, hac minime ſpe ſuſtinendos, tanta tuarum literarum expectatione fruſteris. Qui ne veteris neceſſitudinis obliuione te arguant, cumprimum poteris ad hos literas dato. Poteris auté, qñ voles ſi illos tanti facies, quanti ab illis te fieri animaduerto. Nunquam enim me Nicolaus Chizzolus videt, videt autem ſæpe, quin de te (vt eſt illius humanitas) à me requirat. Vt vero tuarum literarum ſilentium audiuit, ſubtriſtis à me diſcedit. Illud tamen (tantus eſt amor, quo te proſequitur) addit, vt à te flagitem, atq; eliciam ſi non literas,

ſaltem

ſaltem literam. Iam vides te non poſſe amplius tuas literas ad illos procraſtinare. Nec appendicibus ſchedulæ nos ſatisfactionem tuarum occupationũ accipere ſcito. Retine mi Ioſephe, quos virtute, nullo mancipio oppoſito acquiſiuiſti literis tuis amicos. Longius opinione mea tecum egi. Tu (vt hæc omnia tollas) paucis ad nos ſcribe, vel ſi placet pluribus. Cũ fratre tuo, vel potius noſtro ita ſanctè, ita religioſè viuo, vt illo nihil charius habeam, te tamen excepto. Vale amicorũ maxima cura. Te omnes ſalutant, tibi bene cupiunt Cremo.

FRANCISCVS ZAVA
Hieronymo Suico. S. D.

VI. Calen. Mart. tuæ mihi redditæ fuerunt, quibus nil mihi antiquius fuit. Siquidem quod vehementer cupiebam, ijs te bene valere intellexi, qua re non parum lætatus ſum. Tuis ſi tardius opinione tua reſpondeo, in occupationes meas nimis implicitas culpam reijce, vel potius in temporis ſpem fallacis. Quorum alterum cum expectatione nõ minui animaduerterem, nec alterum ad ſanitatem reuocari viderem, malui te meas tandem inconcinnas, quam nullas tãta cum procraſtinatione legere. Quod ergo de Meliaduce ſuſpicari videris, ne operam, & oleum (quod aiunt) perdat, quia te admonebam, vt illum ad ſtudiũ adhortareris, non eſt mi Hieronyme, vt hoc te angat. Huc enim te impuli, quia non me præterit, quanti ponderis ſint patris literæ, & admonitiones filium currentem ad manſuetiores Muſas incitare. Nec adhuc habeo, quod mihi de illo male pollicear. Docilis eſt,

nec

nec moroſus ad noſtra mandata exequenda. Bis,terúe ad ſummum mihi illũ repugnantem habui, in reliquis quam belliſſime. Ne tamen ſegnior fiat, illum ad incœptum opus vrgeas, te vehementer etiam, atq; etiam rogo. Theopompos enim odi. Sed quid hæc tibi? Cum optime ſcias quibus repagulis filij tui ſint tenendi. Non erimus Demeæ, aut Mitiones, Menedemi potius. Quid? angeris, quod nihil de Adrianulo noſtro ad te ſcripſerim? Credebam illum totum eſſe meum. Quandoquidem (vt ipſe dicit) te, matremq́; ſuam memoria amplius nõ tenet. Sed ſit noſter. Bene valet, mea eſt dextella, meæ delitiæ. In literis, vt eſt illius tenella ætas mihi ſatisfacit. Mei parentis illum in oculis ferunt. Habes iam de filiolis tuis. De me vero hæc. Sum totus tuus, quod valeo, quod ſpiro tuum eſt. De tuis filijs nulla te angat ſolicitudo. Tanti illos facio, quanti à te nos fieri autumo, ideſt plurimi. Animo itaq; tranquillo ſis. Vxorem tuam verbis noſtris ſalutato. Vale Cremo.

FRANCISCVS ZAVA
Ioſepho Superchio. S. D.

NOn mihi tam graue fuit ſero tuas literas legiſſe, quam Scipionem noſtrum tantum morbo laboraſſe tuis verbis intellexiſſe. Quod quanto dolori mihi fuerit, non ſatis dolore exprimere poſſum. Illum enim ob integerrimos mores, ſingularem eius modeſtiam, egregiam animi indolem tanto amore proſequor, vt illo nihil mihi charius eſſe putem, qua animi anxietate me tum liberatum arbitrabor, cum illum bene valentẽ apud nos videbo, quod vt celeriter fiat auide cupio.

Non

Non me feſellit, Scipionem (mens præſaga mali)con tracturum in itinere grauiorem morbum. Sed ſi mihi obtemperatum fuiſſet, omnibus optime conſultū fuiſſet. Cum autem incuria neſcio cuius, vel potius inconſiderantia hoc factum ſit, reſtat, vt Deum optimū Maximum rogemus, vt illum ad priſtinas vires reddat, quo nos quamprimum viſere poſſit. Scipionem, eius parentes noīe meo ſaluere iubebis. Vale Cremo.

FRANCISCVS ZAVA.
Tito Iudiciano S. D.

IS ſum, qui longas ſermonis ambages ſemper euitauerim, id nunc perſpecto tuo ingenio, tuisq́, occupationibus cognitis multo libentius ago. Scio .n. te publicis negotijis ita detineri, vt priuatis amicis vix adeſſe queas. Conueni itaq; hominem illum, de quo cum in tuo ſuburbano eſſemus, non nulla verba fecimus, multis vltro, citroq́; verbis habitis, rem amicus noſter comprobauit, Senatus Medio. præſidis Amaltheam, ideſt ingentem in bonos liberalitatē, expoſuimus, illius liberorum egregiā indolē enarrauimus ſiſi teſtimonio tuo. Conditionem probat, prouinciam nō renuit. Sed hoc negocium Alexandrum Deſenzanum mei amantiſſimum ad alterum detuliſſe ab hinc quindecim dies mihi tacite ſignificauit. Cuius cū ſit amātiſſimus rem integram illi ſeruandam cenſet, tum quia amicus, & familiaris illius, tum quia (vt eſt illius animus ingenuus) nemini violatę amicitię crimine ſuſpectus eſſe vellet. Verūtamen ſi cum ipſo res nō tranſigetur, non recuſat quo minus prouinciam hanc ſuſcipiat. In quam ſententiam incumbam, ambigo, vtrum

horum præferendum cenſeam non me facile tibi explico. Cum ambobus mihi ſumma neceſſitudo intercedit, optimis moribus vtrunq̃ politum teſtari poſsũ. Nam cum his cõmunis eſt mihi familiaritas. Literarũ neuter illorum expers. Comis, affabilis vterq;. Verum ſi vt noſtram ſententiam proferam vrges hæc eſt. (& ſi inuitus id facio, ſed tecum diſſimulandum nõ eſt) vt Craſſus remis, velisq; nitatur, vt filij ſui literas, ſanctosq; mores apud hunc imbibant, de quo proxime tecnm locuti ſumus. Nam ſi eo præſtãt ingenio filioli Craſſi, quo mecum egiſti, quo tutiore duce illis opus ſit non ſatis video. Tu vero prȩſidem alloquere, quæ illius ſit ſententia, me cõmonefacito, id tuo tamen cõmodo. Quid ſentiat ſcire auemus. Hactenus de prȩſidis. De tuis natis hæc. Quã modeſtiſſimos me abſente fuiſſe à parentibus meis certior factus ſum, vnguem, ne tranſuerſum quidem à præceptis noſtris diſceſſiſſe pater meus, à quo mendacium, vt maximè deteſtandũ vitiũ, abeſt expoſuit. Quicquid illis ante meũ iſtuc diſceſſum mandaueram executi ſunt, bene valent. Eos opera, & oleo non abuſuros cõfido. Vt mittas reliquos libros, quos nomine meo emiſti te etiã, atque etiam oratũ velim. Te, totãq; domũ tuam ſaluere iubemus. Totum me tibi dedo. Vale Cremo. VI. nonis Septembris.

FRANCISCVS ZAVA.
Chriſtophoro Magno S. D.

MVlto iucundius mi Chriſtophore mihi fuit, id coram in te vidiſſe, quod tuæ ſuauiſſimȩ literæ prȩ ſe ferunt id eſt, vt e fonte liquido aquȩ clarȩ ſcaturiãt,

quam

quam ex alijs audire. Te quis ſuauior? quis elegantior? atque humanior? tuis vero literis quid politius? quid venuſtius? hinc triũ charitiũ lac te ſuxiſſe credo. Vnde Aetna onus grauius ſuſtinere videor, ſi acceptas literas cum fœnore reddere velim. Tu tamen quæcũque erunt grato animo leges. Longam epiſtolam ad me dediſſe ſcribis, imo breuiſſimã. Argumentũ .n. ingens. Id Cicero exequitur plurimis verbis in quarta Tuſculanarũ, nec modũ huic rei quiſpiã terminare poterit. Peragrabant illi quidẽ philoſophi longas, latas, difficileſque prouincias, vt viros doctos adirent, & illorũ voces veluti oracula auribus haurirent. Vt de Scipione, & Põpeio, vt multos alios taceã, legere eſt in priſcorũ monumẽtis, Tanta diſcendi cupiditas eos incendebat. Sed quorſum tanta verborum congeries, niſi vt mihi patefaceres, te non minus in ſacras leges, quam in humanas literas incũbere? Hoc mihi nõ ignotum erat, per filios Titi Iudiciani viri lectiſſimi, atque ornatiſſimi, re ipſa id facilius coram cognoui, cum tuo iucundiſſimo aſpectu mihi frui daretur. Sed quænam virtus in me eſt, vt tenuium noſtrarũ viriũ hoſtia pulſare perhoreſcas, vt verbo tuo vtar? in poſterũ igitur iã patefacto amicitię noſtrę penetrali, verborum longo exordio non vtemur. Te ne iuri ciuili, per quod mundus ſuſtinetur, nunciũ mittas rogo, vt ſi mihi in aliquẽ litem intendere opus erit, cuius patrocinio me tuter. ſciã, & cuius ſupplex poſcam limina vndeq; ſalutẽ mihi ſperare liceat cognoſcam, ſi qñ viator latronũ gregẽ carnificibus mactarẽ. Iuriſconſulti .n. domus oraculum ſemper habita fuit. Me fęlicem, qui aſcitus in numerũ tuorum amicorũ, in tuam amicitiam tam facile intrauerim, nullo meas partes ad id aſſequẽdũ ſuſcipiẽte,

 ipſe

ipſe per te hoc aſſecutus ſum. Vide quid mihi perſuaſerim, qui te forſan non annuente (quod minime credo) id arrogem mihi. Tuas expecto, videbor tecum, & cum Tito noſtro loqui, meas viciſſim crebras accipies. Vale.

FRANCISCVS ZAVA Tito Iudiciano S. D.

TVas in horas expectabam literas, vt quid de re amici, de quo alias tecum locutus ſum ſentires, nõ ignorarem. Sed ecce mihi tuę pridie Calen. Octobr. perferuntur, me denuo admonentes, vt Iouis quadrigis in rem Craſſi incũbam, quapropter ſummopere admiratus ſum. Conijcio.n.meas idibus Septẽbris ſcriptas, tibi non fuiſſe redditas, in quibus te admonebã, quid cum amico egiſſem, nam ad illum conueniendũ mihi nulla mora fuit, cũprimum Cremonã redij. Sciebam .n.cui meam fidem obſtrinxiſſem. Nũc ſuſpectus nomine negligentiæ rem tibi breuiter patefaciam. Cum primum igitur iſtinc diſceſſi adiui amicũ, rem huic ordine, quo mecum egeras expoſui, prouinciã ſe accepturum annuit, in omnibus conditio arridebat, vt quàm celerrime ad te darẽ literas à me petijt. Hoc fecimus, quas vel temporis malignitate, vel quorundam ſocordia, aut potius rei inſolentia non redditas video. Quibus tamen dederam perferendas, hoc triduo, vel quatriduo ſe miſiſſe dicunt. Nunc proximis tuis lectis eũdem conueni, tuas legẽdas dedi, quas vbi lectitauit, ad id meditandum decem dies expoſtulauit. Quare admiratus ad hoc excogitandũ temporis ſpatiũ ſibi non defuiſſe dixi, illumq; prioris ſententię ĩmemorem eſſe

arguebam,

arguebam,boniq; viri non eſſe referebam eadem fidelia duos parietes dealbare. Dicebat.n.ab alio ſe arceſſitum meliori conditione fuiſſe. Vix mediusfidius tunc irrui in ipſum,dicens mendacem ſui memorẽ eſſe oportere. Credo mi Tite te meum ingenium nouiſſe. Illum ſubiratus miſſum feci, mecum ſtomachabundus homunculũ mihi verba dediſſe. Nec ob id à nobis te deluſum iri credas,ea.n.opera,ſtudio, diligẽtia in hac re vſus ſum,vt quàm maxima potuerim. Aliam nobis viam tentandam cenſui. Doctum ergo alium virum nec minus literis,quàm moribus ornatum ad votũ pręſidis habemus, nulla in re priori inferiorem. Hunc ſi Craſſus expertus fuerit,ſe fęlicem,fortunatos,te autore,& curatore ſuos filios fatebitur. Tollatur quęſo omnis mora,vt hic ad vos migret. Tui filij bene valent. Nos quoque valemus,& plurimam tibi ſalutem dicimus. Vale Cremonæ.

FRANCISCVS ZAVA.
Iacobo Criſpo S. D.

GRatas,& te dignas literas, quas maxima ĩ acroaſi legendas demus. In ijs nanque nullum verbum quod non præ ſe ferat tuos in me ſingulares amores, quod ſingularis humanitatis vim non redoleat, grati diſcipuli memoriam non ſapiat, Alcibiadis ſpecimen non referat. In tuos interiores ſenſus noſtra admonita illabi quotidie magis apparet. Eſt tamen quo te arguam. Audes mi Iacobe noſtra incondita,& naturali ſucco carentia,fucata potius,& languida viris oſtendere, literarum peritiſſimis, iudicij acutiſſimi, recunditarũ rerum optimis cenſoribus. Benedicto Sicco Triũuiro,

quàm

quàm vigilantiſſimo, Antonio Vicecomiti noſtri, vt ais amātiſſimo. Dij boni noſtra tanti ne exiſtimas ? vt huiuſcemodi viris ſano ſtomacho legenda iudices ? Nollem te, quo me amore proſequeris tantopere falli, ſolemus ſępenumero amicorum illecti dulcedine hallucinari, id quod à multis factitatum plura exempla nobis occurrunt, quam aliquod in medium afferre opus ſit. Putas me fortaſſe inani aura pellectum iri, cum ſcribas in manus multorum noſtra quæ ad Paulum Ahalā Senatorem ſcripſimus perueniſſe ? Equidem hoc à me longe alienum eſt. Id nunquā deſideraui, nunquā hoc laudationis genus concupiui, vt te qui optime menm ingenium noſti, non pręterit. Sed eſto quicquid laudis inde profectum eſt, vtriuſq; ſit. Si quid vitij, & erroris, tuum erit. Nolo.n.in hoc tecum decertare, hocq; magis cauſa mea, quàm Pauli Ahalę. Siquidem illius nomen vbiq; gentium vigilijs fultum, opinione omnium ſartum tectum, reapſa corroboratū, verbis meis nullo ſale ſparſis naufragium pati non poteſt. Ad te illa delata ſunt, vt mea errata penes te deliteſcerent. Quæ promulgata grauiter ferrem, niſi quæ erunt, de illis vociferationes in te retorqueri malle. Alias cautius agā, ideſt plura dabo, ſi hęc vt ſcribis legentibus arriſerunt. Sed vide ne verba nobis dētur. Quod facile, quæ eſt tui ingenij acies cognoſcere poteris. Tibi, ne pluribus agā, fidem habeo. Cum plus igitur ocij nactus fuero his limatiora leges, ſed neſcio an gratiori animo. Ahalam enim omnium maxime ſuſpicio, ac veneror. Nunc reliquū eſt, vt te horter ad ſuſtinendā de te iam cōceptā opinionem, ne tanta nos expectatione fallas. Credo te memoria tenere, quæ Xenephon Cyro quadā imagine proponeret. Nam hæc alias dum nobiſcū in ſcholis,

lis,

lis, cum tuis æqualibus confligeres, vel potius ſumma attentione nos audires accepiſti. Recole hæc tecū ſępenumero, nulli cedes antiquorum, ſiue ſit Scipio, ſiue Timaleon, ſiue Ageſilaus, vel Dion, & Brutus. Nolli te Nabidem, & Dioniſium, Phalareumq; imitari, quādo patria noſtra bonorum ſtudioſa huiuſcemodi monſtra ſemper abominata eſt. Nec tibi turpe videatur, ea animi dote prædito, nos tibi conſulere. Id Agamemnoni ipſi Regum Regi honeſtiſſimum fuit in conſilijs capiundis aliquem Neſtorem habere, mihi quoq; glorioſum talem diſcipulum habuiſſe. Non te hortabor, quos imiteris, parentes honeſtiſsimos habes, genus tuum non ignobile præclare noſti, quod ſi obſcurum fuiſſet, à tenebris ad lucem excitares. Id quod, vt Tarquinium ſuperbum, Marium, Ciceronem taceā, multis eueniſſe in priſcis Annalibus legere eſt. Quid? proponam tibi claros adoleſcentulos, quos imiteris? neminem te clariorem fore video, ſi ea firma animi conſtantia incępta proſequeris, qua à nobis diſcedens, te facturum pollicitus es. Nec tamen opinioni meę de te ſuſceptę diffido. Te ergo imiteris oportet, tecū certes neceſſe eſt. Quarum omnium rerum cum M. Antonium vicecomitem pulcherrimum exemplum domi, omnibus nedum tibi imitandum habeas, illud ſolum dicam, vt me mutuo amore diligas. Vale Cremonæ.

FRANCISCVS ZAVA
Iacobo Criſpo S. D.

IAndiu in expectatione tuarum literarum eram, non immemor eorum, quæ mihi cū hic eras dixiſti. Sed ecce tibi dum mecum iſta agitarem, ex tranſuerſo in

ſcholis

ſcholis meridiano tempore Chriſti Patheo carmina rimāti, quæ diſcipuli ex more excuderant, pridie calen. Martias tuæ perferuntur. His lectis ea animi affectione, qua contabeſcebam depoſita, in me ſubita lætitia irrepſit. Per grata mihi omnia, quæ ad me ſcripſiſti fuerunt, non tam quia res nouæ me oblectant, quàm quia video, quanti me facias. Tui in nos amoris hoc literarum genere beneuolentiam tecum teſtatam geſtas. Nō parum mi Iacobe mihi gaudeo te ex vmbraculis noſtris in ſolem, & puluerem progreſſum de te apud omnes tantum ſpei concitaſſe, quam vt ſuſtineas, non ſolū à te peto, ſed flagito, atq; depoſco. Quod quomodo cōſequare non te docebo, ea.n. animi magnitudine præſtas, vt facile tibi conſulere queas, illud tamen dicam, vt ſępenumero tecū mediteris, quo cum verſeris, ideſt cum homine omni laude digniſſimo, quæ cauſa te impulerit, vt iſtuc non rogatus, inuitis ferè parentibus, tuapte ſponte te contuleris, quæ tuorum parentum ſit expectatio, quæ te patria genuerit, apud quos denique educatus fueris. Hoc ſi feceris, (quod minime dubito) non diu tuorum progreſſuum in expectatione nos futuros optime confido. Tua Iouis catena dirigantur conſilia. Vale, & Franciſcum tuum ama literas tuas frequentes mihi dato. Marcum Antonium Vicecomitem virum integerrimum, mei vt ſcribis ſtudioſiſſimum verbis noſtris ſalutato. Vale Maioragio noſtro plurimam ſalutem. Cremonæ.

FRANCISCVS ZAVA
Iacobo Merulæ S. D.

IStinc ſine te diſceſſi? non equidem. Tui.n. memoriā nulla tempris vetuſtas, & ſi Cumeę ſibillæ annos viuerem

nerē antiquabit. Te ita amplector, ita imis foueo medullis, & noſtro ita inſides animo, vt nec fulmen Iouis te à nobis poſsit diuellere. Locorum interuallo diſiūcti quidem ſumus, ſed ita mente cōiuncti, vt quod durum adamantem infringit, nos ſeiungere nō queat, ſi in nos talis eris, qualem me experiere. Quid? te iam experti ſumus. Nam cum Mediolani eſſemus non paſſus es tuam liberalitatem à me deſidari, non rogatus.n.te, remq; tuam mihi obtuliſti. Quod mecum ſępenumero cogitans non poſſum, non ſummopere tuam in me propenſam benignitatem admirari, qui me cū vix noſſes, tam officioſum te mihi obtuleris, quamobrem animoſe, quamuis verecunde quinque coronatos à te petij, rem vno verbo aſſequutus ſum. Nunc hoc ære meo, tecum alieno liberare me volebam, ſed in præſentia Annonæ, penu inuigilandum eſt, tamen ſi his indiges, vel hinc mittam, vel iſtic Titus noſter nomine meo repręſentabit, licet, id inuitus faciam. Nam præter ſex menſium penſionem pro illius filiorum contubernio neſcio quos Teruncios ab illo accepi. Verum quid mihi faciendum ſit te conſulo. Malo tibi ſatisfactum iri, quàm mihi. Tu ergo ſcribe. Gratulatū tibi veniſſem ob nouam ſacelli acceſſionem, ſed dudum tanta autoritate virum inijciatum adire perhorrui. Domus veſtibulū adiui, fores pultaui, rimulis intro aſpexi, nouas trepidationes ſenſi, geſtiētes parietes vidi, magnis, & crebris, oſculationibus āplexibusq; te excipi aīaduerti, sūmos medios, infimos tibi gratulari conſpexi. Qua re ſtupefactus, vel potius indignatus, quod te adeundi facultas mihi negaretur, retro pedem tuli, ſummopere extollēs fortunam tuam. Et tunc ipſum, tot tantis, talibusq; viris tibi aſſidētibus, quis penetralia illa ingreſſus eſſet?

veni itaq; Cremonam, fortunam tuam amicis expoſui, omnes mea verba mira attentione excipiebant, omnes tandem vno ore exclamarunt. Fęlicem Merulã, ſi tam miniatus eſſet, quã numatus, & fortunatus, ſe, ſuamq́ue inertiam, & miſeriam deteſtabantur, qui tãdiu in iure gramaticorum male condito verſenter, nec ad aliquod vnde ſe præcipitent faſtigiũ emergant, rides? nõ quidem ridebant ipſi. Certe tecum ipſe rideo, & in te cũ illud ſalis, leporis, affabilitatis, comitatis, elegantiæ denique inuenerim, non poſſum non iocari. Age ergo, rideamus, iocemur, perenni tecũ iſta voluptate fruamur, in vtranq; aurem dormiamus, rebus noſtris inuigilemus. Tu quod eſt ſacrorũ præfecti ſeruato, quem febricitantem, ideſt maioribus inhiantẽ totam noctem dormire non decet. Quanquã te paruo contentũ fore exiſtimo, cũ Attali Margaritas aſſequutus fueris. Subridentẽ te adhuc video. Id meum eſt ingeniũ, vt cum ingenuitatem cuiuſpiam nouerim, illi etiam mea innoteſcat, & me eidem totum imprimam. Quod itaque in priori huius epiſtolæ parte præfati ſumus, ſeruabimus. Ille ſit amor noſter mutuus, illa beneuolentia, quæ in amore nullis cedat, nulla temporis calamitate infrigatur. Fęlix fauſtusq; veni mi Iacobe, quoniam qua frueris beatitudine eiuſdem particeps ero. Solent .n. amicorum tam in proſperis, quàm in aduerſis omnia eſſe communia, ſi tales ſunt amici, quales Plato inſtituit, & quales nos futuri ſumus. Petrum Pallauicinum, Iacobum Ponzonum, Antonium Valiſtenenſem, Ludouicum meum Moliam, omnem denique gregem Cremonenſem, imprimis Maioragium te verbis meis ſaluere iubeo. Vale Franciſcum tuum ama (quod facis) qui te colit, & obſeruat. Cremo. idibus Aprilis.

Franciſcus

FRANCISCVS ZAVA Iacobo Merulæ S. D.

LIteras tandem iucundas, Tecum duplici obligatione tenebar, quorum altero ſoluto, quod mecũ eſt adhuc minime ſoluendo ſum. Nam ratio pecuniæ, & gratiæ ſoluendæ diſſimilis eſt. Quod pecuniæ tibi debebam (vt ad me ſcribis) per Titum Iudicianum, virum ad aras mihi colendum ſolutum eſt. ære ergo alieno in acubus emendis cõſumpto liberatus ſum, Gratiam vero, qua officij ergo tibi aſtrictus coram declaraui, & literis crebro noſtris teſtatus ſum, quam cũ referre non poſſim, his etiam animi, & corporis repagulis fractis, ac diſſolutis habebo. Me tuum ergo ſcito non tam gratiæ debitione, quàm opera, ſtudio, officio, pietate, humanitate quoq; vtraq;, quarum & literarum cognitione, & in oẽs beneuolentia quibus te oĩbus longe anteire facile iudicarẽ. Quid tibi viciſſim à me offeram, nõ ſatis liquet. Sed quod pro tenuioribus meis fortunis poſſum ita me, meaque tibi tradam, vt perſuadeas tibi velim, omnia mea tua eſſe, nec maiori ſolicitudine me torqueri, quàm quod tibi paribus beneficijs conreſpondere non poſſim. In amore vix auſim dicere, quoniam in amicos me talem ſemper præſtiti, vt nunquam vlli ceſſerim. In hoc genere contentionis vincere, quàm vinci ſemper malui. In præſentia itaq; hoc ſolacio frueris, te non ſolum Mediolani, ſed etiã Cremonæ, & vbi gentium Franciſcus erit futurum. Si tamen (quod non dubito) talis Merula erit in Franciſcum, qualis futurus eſt Franciſcus in Merulam. Tito Iudiciano verbis noſtris ſalutem dicito. Libenter elicerem literas à Pallauicino noſtro. Tu vt aſſequar il-

lum vrge. Hunc Merulæ, & Franciſci dimidiũ ſemper exiſtimaui. Vt partes igitur ad totũ redigantur, veſtras expecto litteras, non longo ſcribendi interuallo, ſed decimo quinto quoq; die. In hac re, & ſi negocijs familiaribus obruor, faciam tamen, vt officium meũ non deſideretis. Valete animulæ, & mei amoris delitiolæ Cremonæ.

FRANCISCVS ZAVA
Martino Lazaro S. D.

TVas quàm libentiſſime perlegimus, multo libentius ſi eas latino ſermone dediſſes, quod te hoc quin faceres ſeuocauerit nõ ſatis video. Scis me eo ingenio eſſe, vt quàm plurimi meos ſemper fecerim diſcipulos, nec eorum grauiter feram (in litteris præſertim) errata. Quippe qui potius inflamẽ, quã dehorter Tirones ad bonas literas. Periucunde ergo quæcunq; fuerunt nobis excitere. Quæ etſi ea elegantia, quam in te ſemper deſideraui carent, amoris tamen, & beneuolentiæ, qua de re nunquam dubitaui plenæ ſunt. Te .n. mei ſemper ſtudioſum cognoui. Tua cõmendatione erga filios Zachariæ Bindæ non opus erat, tametſi gratiſſima nobis fuerit. Nam illius perſpecto vultu per ſe cõmendatus fuit, & ita domũ meam illi patefeci, vt nihil antiquius huic fore credam, quam per te mihi cõmendatum fuiſſe. Vale me totum tuum eſſe tibi perſuadeto meis verbis tuum patrem ſalutato Cremo.

FRANCISCVS ZAVA.
Ludouico Moliæ S. D.

NON potui iampridem meas ad te volare cupientes

tes diutius comprimere, & quod ſerius forſan expectatione tua ad te perferendas curauimus ea fuit cauſa, quia tuas primo quoq; tempore expectabamus, mihiq́; perſuadebam te ſcribendi conſuetudinem differre, vt eas vberiores mitteres agri imitatione, qui cum multos annos quieuerit, fruges largiori manu effundere ſolet. Sed hos fœtus fere cōpreſſos, & florem ſiti mei deſiderij exuſtū langueſcere animaduertens, nolui hac inani ſpe diutius ali. Ne forte illud, Heſiodi, quod multum diſpicio, deſpicere videar, vt qua menſura acceperimus, reddamus, vel cumulatiori ſi poſſumus. Scribam ergo, quia mihi confido ſolum deſertum, atque derelictum ea diligentia à te cultum iri, vt impendijs ſcribendi ceſſationem etiam augeri ſtudeas. Interim has noſtras inconcinnas lectitabis, quibus intelliges, nos valere, & te à parentibus meis valde amari. Vxor inteſtino morbo adhuc tenetur, præmitur, vrgetur magno meo incōmodo, atq; impenſa, ſed vtinā emergat. hoc in manu Dei. Doleo illius vicem, ſed quod è Deo id æquo animo ferendum cenſeo, nec ad ſedandos animi noſtri langores refugium oportunius omiſſis Atomis Democriti, & Epicuri, medicinamq́; ſaluberiorem Tuſculanis inuenio, ſolacio Ciceronis ad obitum Tulliæ leniter ferendum. Vide mi Ludouice, quid ex philoſophia, vel potius ex ratione hauriam, qui me ipſum conſoler, cætero qui ex aliorum conſolatione vix me colligerem, tanta eſt meorum ſtudiorum conſolatio. Hæc de me. Cū Meliaduce non poſſime agitur, noſtris tamen mandatis interdum tergiuerſatur, vt ſunt Pelopidarum tempora, quæ eſt huius ſeculi calamitas. Hac de re illius patrem admonui, vt huic vitio occurrat. Ad hunc velim aliquando ſcribas, mihi confido eo amore,

quo

quo te obſeruat conſilia tua non aſpernaturum. Multũ tibi attribuit, ad ſingula habes de rebus noſtris. De te vero, quid ſcribam? quid? vt totis viribus operã, ſtudiumq; naues, quo ad cognitionem interiorum litterarum peruenias, quod nullo labore aſſequere, qua ingenij præſtantia vales, ſi literarum fructus tibi propones, exemplum domi habes tibi imi tandum. Sed cur equum currentem incito, vel nullius adhortatione ad hoc inflãmatum? Te rogo ne tam longa tuarum primitiarum expectatione nos fruſteris, fac tandem vt aliquid te dignum audiamus. Quid inter parietes ſemper verſari? prodi quęſo tandem in lucem, & in forum. Expecto à te literas ſucci plenas, naturali nitore, non fucato. Vale Cremo.

FRANCISCVS ZAVA Petro Pallauicino S. D.

EXiſtimaueram mi Petre, me tecum diutius cõmoraturum, & te non ſemel, quod feci exoſculaturũ, & diſſuauiaturum, ſed ſępe numero. Verũ litteris Cremonam arceſſitus huc quorundã amicorum me vocibus reuocentibus, quoniam non ſolum nobis nati ſumus, ſed etiã amicis, voti compos adeſſe nequiui. putaui tamen officio meo his me litteris cumulate ſatisfacturũ, ſi eas illo animo leges, quo ad te dantur. Faſcinationibus feſſas, crebriſque noſtris oſculationibus illas videbis, te enim amplexari videbar, quando illas obſignatas oſculabar; amori noſtro reſpondebis, ſi idẽ feceris. Nec credas me punctum temporis tecũ fuiſſe, quia quo te amor proſecutus ſum hactenus, quoad vi-

uam

uam proſecutus ſum. Non enim eadem fidelia (quod aiunt) duos parietes dealbare ſoleo, nam quem fidum, & mei amantem ſemel cognoui, tenaci cum memoria teneo. Tui ergo amores, tuę mi Petre delicię nulla loci diſiunctione obliterabuntur. Tibi perſuadeas velim, Franciſcum ita tuum eſſe, vt ſui potius quã tui obliuiſcatur, & ſi per vllum tẽpus tibi opera, cura ſtudio prodeſſe potero (quamuis nihil horum te à nobis deſideraturum ſperem) qualis in te ſim cognoſces. Meum in te ſingularem animum habes. Merulæ ob dignitatis autoramentum, qua dudum inſignitus fuit gratulatus ſum. Tu (ſi me amas) illum vice mea amplexibus oſculationibusq; defatiga, & ſcribas velim an inceſſum illum grauem quo quemq; in maxima dignitate conſtitutum imitando hicſeruabat, vt qua pedum obſeruantia eum (ſi dabitur) adeam non ignorem. Videor illum totum hilarulum, iucundũ videre, politam oblõgãq; barbam manibus attrectantem, nec tamẽ amicos negligentem. Quicunq; erit, illi nomine meo gratulare, illum vrge, vt meas illi miſſas litteras tibi, legendas det. Credo te non parum mecum, & cum illo riſurum. familiariter enim meo more cum illo iocatus ſum. Cõmunes amicos verbis meis ſalutato. Vale & me interdum litteris tuis viſe. Cremonæ.

FRANCISCVS ZAVA Ludouico Moliæ S. D.

NOn patiar meas litteras iſtuc ferri, quas amicis reddendas tibi mandamus, quin te quoque paucis verbis viſam. Nõ igitur dabo tibi mi Ludouice vitio,

tio, quod vna eſſe, non potuerimus, dũ Mediolani eſſemus, ſed magnis, multisque tuis occupationibus, quibus te ita detineri videbam, atque implicari, vt nec tui iuris eſſes, neque inde te facile explicare poſſes, aſcribendum cenſeo. Quæ & ſi tantę erant, non tamen alterũ ab altero diſtrahere quibant, tanta eſt noſtræ amicitię vis, quæ iampridẽ cum vtroque interceſſit. Conſtitueram te, & reliquos amicos mutua ſalutatione viſere, antequam à vobis diſcederem, ſed quædam Piczelioni, Cremonęque magni momenti mihi peragenda, vtriuſque deſyderia, & ſolacia, ſuauesque amplexus, tantas amborum cupiditates, & animi noſtri flagrantias infregerunt. Hoc fero ęquo animo, quia ſpero cõmodius alias me tuo gratiſſimo mihi aſpectu fruiturum. Dolerem te mecum nõ eſſe hiſce temporibus, quia opera tua indigeo, niſi ſtrenuam operã nauares, vt Federici Schicij egregij ciuis filij à Io. *Baptiſta* Senatore illuſtriſſimo, eodem ad Cæſaris aures patruo, non degenerent. Nec te pigeat mi Ludouice incępta perſequi. Beneficia.n.cũ fęnore accipies, illi inſeruis, à quo nemo ſummis autoramenti, & præmijs auctus non diſceſſerit, Deus Optimus, Maximus, Io. Baptiſtã ſeruet incolumẽ, quoniam quàm memor beneficij ſit facile recognoſces. Verum cui conſulo ? rem me ipſo perſpicatius cernis, ad vnguem vtriuſq; fratris ingeniũ noſti. Sapias ergo tibi, vt tuum conſiliũ omnibus tuis amicis probetur, quo nihil cõmodius, vt inuidi noſtri mærore contabeſcant. Federicum patronum meũ verbis meis ſalutato, tanti Franciſcum tuum facias, quantum ab illo te fieri non ignoras. Vale Cremo.

Franciſcus

FRANCISCVS ZAVA
Iacobo Antonio Mutio. S.

ISIDORO Picinardo iuueni maximæ expectationis iſtuc eunti non potui nihil mearum ad te dare. Et ſi quod ſcribam nihil habeo, tamen hoc ſolatij capiam, quod te literis alloquens, colloqui videbor. Si ergo mi Muti vales, ego quoq; valeo, nam meam ſalutem vix auſim tuæ præferre, quando ex te vno (pace dixerim omnium meorum diſcipulorum) meus honor, gloria, ſplendor, iucunditas, omnis denique vita è te pendet. De te in noctes, atq; dies cogitanti in mentẽ venit meæ lætitiæ perpetuitas, quo nullus labor eſt tã aſſiduus, tamq; durus, qui mollis non fiat recordatione tui. In hæc itaq; incumbe curricula, ad quæ tuopte ſtudio tu te inflammaſti. Tuam domum ferè monumentis literarũ iacentem excitabis. Armorũ quidem nobilitate illuſtrata eſt. Ioannis Baptiſtæ, & Gabrielis cohortium perfectorum virtute cohoneſtata. Sed parum luceſcet, niſi literarum virtutem ducem habeat, quod aſſequetur tuis illi muſis annuentibus. Quod vt facile impetremus, Paulum fratrem tuum meas delitias breui tuorum ſtudiorum imitatorem, vel potius æmulatorem habebis. Politis enim quoad poſſumus literis tum inter priuatos, tum inter publicos parietes à nobis eruditur. Meam operam illam Mutiæ familiæ polliceor, vt quoad quod inſtitui nõ exędificauero, priſtinam meam diligentiã nõ intermiſſurus. Curato tu valetudinem tuam, & noſtri qui te vnice amamus ſis memor. Brumano meo, Gerenzano, Rozzono, Locadello, Fraganeſcho verbis meis ſalutem plurimam dicito. Quibus ſingulis meas dediſſem ſi mihi ocium

 fuiſſet.

fuiſſet. Cũprimum itaq; plus ocij nactus fuero id efficiam. Interim excuſationem accipiant, raptim etiam ad te has dedimus. Valete, & honori ſtudete. Crem.

FRANCISCVS ZAVA Cæſari Donello. S.

Dispeream ſi tuę litteræ ſummũ Oratorẽ nõſapiũt, perfectumq; Philoſophum non referunt. Non quales aſotos Epicurus è ſuis lubricis ſcholis emittit ſed quos Plato in charmide ſub amęnæ Platano edocebat. Tu.n. quod in egregio Oratore ſtudioſi Rethores requirunt, nõ extremis labijs, nec primis (vt aiunt) digitis attigiſti, ſed paſſis velis, toto conatu, ingenio, natura, virtute duce, Muſis annuẽtibus aſſecutus es. Doces nãq; optime, delectas apprime, moues vehementiſſime, quæ tria oĩum Rethorũ pigmẽta, & arculas in oratorũ auleis illuſtrandis conſumunt. Quem præterea tuis ſpiculis nõ excitares? quem ad virtutem non eleuares? Iam pericles taceat, qui concionibus tonare, & fulmen ciere dicebatur. Te neminem in dicendo acriorẽ vidi, nullum in ſententijs exquiſitis acutiorẽ in veteris Annalibus inueni. Nõ poſſet ſibi Socrates amplius in ſcriptis ſuis decorandis pulcherrimis ſententijs gloriari ſi tamen illa extarent. Tu te ipſum viciſſes, niſi nimio amore adductus in nos laudando cęcutiſſes. Qua in re orationem tuam quidem probo. Eſt.n.cõcinna, & perfecta, nec apud quẽpiam, qui bonis literis eruditus ſit, hac concinnius quidquã legi poteſt, ſed nimiũ è cancellis ſimplicis, & verę amicitię erũpis. Quod qui faciunt non laudare, ſed adulari videntur. Id non mihi perſuadeo te profiteri, noui enim ingenium tuũ, tuum

in

in me ſingularē amorem exploratum habeo. Illud te adomoneo, ne cum lynceus ſis, corœbus fias, nam te nulla medicina ſanare poſſem. Quid? Oliua tanti facis? quorſum? niſi cum virtutis amans ſis, tui quāplurimos ſimiles habere velles, vt reſpublica Platonis reuiuiſceret: qui litteratorū conuentum Deorum vocabat concilium. Ex quo liquido apparet te non ſolum vim docendi exhauſiſſe, ſed etiā philoſophiæ adyta, & penetralia tanquā omnium litteratarū helluonē exorbuiſſe. Quid. n. litterę tuę præſeferunt, niſi quod primū eſt in philoſophia, erranti mōſtrare viā, quod non ſolum hominis, ſed Dei eſt. Quo mihi patefacis te optime nouiſſe, non ſolum tibi natū eſſe, ſed etiam amicis, vt dicebat Plato. Nec credo te nos illo facetiſſimo genere diſſimulationis, qua Socrates ad ſophiſtas vtebatur, illudere, ex pectore non ex ore te loqui nō ſum neſcius. Iā vides me agnouiſſe quos domi docendi, & recte viuendi magiſtros habeas. Age ergo Oliuam noſtrū huius generis ſermonū autorem amemus, colamus, obſeruemus, nec illum à nobis punctū temporis abeſſe patiamur. Hoc enim loquente orationes noſtrę elegantiores, & prudentiores apparebunt. Hic enim Cleantis tabulam bene nouit, voluptates inanes, vt virtutis ancillulas contēnit. Tu hunc imitaris, ad hūc ingenij tui flumē deducis, huc dicendi copiā, atq; vber tatem defers, verborū ornatū, & exquiſitas tuas adhortationes cum hoc cōmunicas. Quem vos ita coniuncti in quas velitis formas nō verteretis? Illo à me diſtracto videor meo carere genio. Hunc mihi redde. Quod ſi feceris cū laudē tibi paries maximam, tum vtrunq; noſtrum tibi perpetuo obnoxium fore confidito. Hic ſi ꝑ te retinebitur, me tuorum ſtudiorum ęmulū, atq; imi-

tatorem habebis. Vale igitur Oliuæ grande præſidium. Franciſci tui dulce decus.

FRANCISCVS ZAVA Cęſari Donello S. D.

NOBIS ne ſic lenocinari? nos ſic ne allectare? quibus tuis ille crebris lenocinijs non perſuaderes pigritiã, & ſocordiam à te penitus exterminari, atq; expelli? Oliuam.n. noſtrum tandiu à manſuetioribus ſtudijs abeſſe dolebas, hunc vt iacentẽ tuis litteris eleuares te admonebam, hoc vel tua ſponte ex ea amicitia, quæ tibi cum illo intercedit te facturum credebam, cũ tantopere de illo te affligi animaduerterem, animique quadam eximia voluptate geſtiebã, fore vt meus ſtylus in ſcribendo parum excitatus, te comite, & duce aliquid luminis acciperet, ſed horum vtrũq; hactenus parum ex ſententia ſucceſſit. Nãque Oliuam meum literis nunciũ penitus remiſiſſe credo, ſi.n. aliquãdo nos viſit, quod cannis in Aegypto facit. Hinc euenire opinor, quod illum tuis literis non vrges. Me vero quam facile illuſeris apparet, quod nullas tuarũ mihi legendas cures, ex quibus eam oblectationem capiã, vt quos labores in ſtudijs noſtris patimur, hos tuis literis ſuſtineam, vel potius remittam. Sed vide mi Cęſar nedum alijs conſulas, te ipſum perdas, quia frugi, vt ille Piſo loquereris, ſed vt Gallonius viueres. Quibus donis natura te locupletauit, hiſce vtere, tibi non ſenſu, ſed ratione iudicandũ eſſe cenſeo. Quomodo vero alijs ſapies ſi tibi non ſapis? perſuadebis ne mihi te aliorũ ſtudioſum, & amantem eſſe, ſi te non cognoſcis? Naſturcium Acipenſere, & Męna ſapidiorem iudices oportet. Prætereа putásne ex vnis tuis litteris, & his

perbre-

perbreuibus me totum tui ingenij acumen expiſcatum fuiſſe? Equidem (vt ingenue fatear) ornaméta ſolum, & diuitias tui ingenij per inuolucra quædam, & integumenta quaſi per tranſenam perſpexi, quæ contemplari cum arderem, aſpiciendi vix poteſtas fuit. Quare quę ſtrictim coarctaſti, & in oratione perangufte referſiſti, nobis dilata, atque explica, vt ſolertia tua ſocordiam Oliuæ, & incuriam excites. Quod ſi feceris, nec mihi dari verba credam, Nec Oliua ijs, quibus vereor ne ſim delubrio, dederit, apud quos vos mirum in modum extollo. Et vt ſcias quanti te faciam nō moleſtius fero te his ſyrenarum vocum ſuauitate captum diu à me abeſſe inexplicabilibusq; oblectamentis ſepiri, & obſideri, quam vtriuſque amiciſſimum Ioānem Baptiſtam Oliuam. Non.n.te latet me huiuſmodi ingenia ſummo ſtudio ſemper proſecutū fuiſſe, & me maximopere angi, quando vos tam facile peregrinari, & lubricare video. Te ergo mi Donelle collige, quoniā facilius, quod volueris Oliuę perſuadebis, niſi cum illo, & tu ocioſe viuere decreueris, quod ſi exiſtimarem acutum illum Alabadenſem Apollonium mihi imitandum iudicarem. Qui quos iudicabat ad nullam peruenturos frugem, non patiebatur operam apud ſe perdere, tametſi mercede docebat. Vos.n penitus à conceſſu doctorum ſeuocandos arbitrarer. Ne tibi faſtidio pluribus ſim vlterius non progrediar. Vale itaq; & tui ſis memor XI. Cal. Mart.

FRANCISCVS ZAVA
Cęſari Donello S. D.

Literarvm illum ignarū penitusq; expertem cen-

ſuerim, qui tuas omni laude dignas non admiretur. Te enim omni literarum genere decoratum quis ignorat? quo te numero doctorum dignum non exiſtimemus? te nãq; optimum Rethora eſſe non obſcuris argumẽtis comprobauimus? Philoſophum qualem virtutis magiſtratum Plato inſtituit, ſuperibus noſtris patefecimus. Nunc dicendi aliud genus te nouiſſe mihi aperis, qua in re non minorem fructum capio, quam delectationem, meęque fęlicitati non parum gratulor, quod meis nugis è tuis theſauris eos floſculos decerpã, quibus interdũ mea ſcripta orno, atq; illuſtro, quo in hanc opinionem venio illum non ſatis probatorum hominũ tritis auribus facere, qui ſuppellectili variarum literarum non ſe fulciuerit, & locupletauerit. Non contentus itaq; duobus pręmiſſis ducibus, quibus ad tuam amaltheam decorandam vſus es, in aliarum diſciplinarum domicilia vela expandiſti Academicis enim tanquam familiaribus tuis te totũ tradidiſti, quorũ ſcholã ſummopere probãt, qui in diſputationibus verſantur. Siquidem confligunt cũ aduerſarijs, crebraq; ſpicula iaciunt nec illa vulneribus hebetãtur. Congeriẽ Theſeos, & Ipotheſeos proponunt, neq; tamen hęc diu agitata conficiunt. Hoc tu agis, cum illas laudes mihi aſcribis (quas non agnoſcerem niſi animum tuũ probarem) quæ nullũ modum habent, hinc nulla concluſio eruitur. Quis.n.in noſtris ſcholis rem cõcludit quæ nullam habet perfectionem? dicebat epitetus infinitũ ad finitum redigere (vt arbitror) nemo poterit. Quis hanc calumniam præter Franciſcum ferret? vt in me ſit, quod ad nihilum redigatur? ſic Socrates in gorgia & Erithydemo cauillatur. Niſi tua ioca agnouiſſem meam inſcitiam admodum repręhenderem. Quid? ſcri-

ſcribendi intercapedinem in Syrenũ blandimenta reijcis? Te volutandi aliud genus nouiſſe nempe oſtendis. Bellum hominem,& elegãtem te fateamur opus eſt. Tu nunquam vietus,nunquam veteranoſus eris, te nulla ętas ingraueſcens obruet,tu optime varijs temporibus inſeruire noſti. Hoc voluptatis genere tua reliqua ſtudia lenis. Sed vereor ne tu potius effęmineris, atq; eneruèris. Veneris temeritate Ilium occubuit, vt illius taceam infinitos furores,quas vrbes non euertit? quos hoĩes ſuis telis confoſſos non præcipitauit? huius caſtra (dicebat ille) non turpe ĩgredi, ſed egredi turpiſſimum. Hinc te procul auerte,ne,quæ longis vigilijs peperiſti,hæc Venus ſuis dolis breui perdat. Et ſchola Epicurea quid iacturę, quid dedecoris ſequatur,ſciunt,qui excuſſa crumena imberbes fiunt.Tu potius ſequare,qui ſummum bonum in virtute ponunt, ibi maiorem ſenties voluptatem, illic etiã telis ferieris,ſed virtutis,non cupidinis,peſtiferi Dei Mineruæ, & Dianæ ignoti. Non deerunt quos ſequaris, multi ſunt quorum veſtigia te ſecutum nõ pigebit. In primis tuorum itinerum ducem illum habebis,qui vite nominis ſui latius illa propagauit, quæ totam Aſiam ex ſe vite circũdedit. Hic omnium ſeculorum memoria vigebit,hunc poſteritas omnis intuebitur, hunc æternitas alet. Hic nãque cum Muſis ſtabilem ſedem,certum domicilium habet. Dogmata omnium philoſophorũ nouit,præter Epicuri. Qua in re quid ſit aſſequutus optime noſti. Alter & Praxitiles, nec tamen Muſis adhuc nunciũ remiſit,ijs inſeruit, his ſe oſtentat, quo facilius maximorũ tuorum operum fundamentorum perfectione cernat, & admiretur. Huius à latere ne diſcedas, quid ſit bene,recteq; viuere,ex hoc facile adiſces, te

(vt

(vt eſt illius in omnes ingenuos liberalis animus) amplexabitur. De Oliua quod labores nihil eſt mecum .n.eſt quotidie, Gameleone menſe ſe penitus abdicauit. Te colligas oportet, ne cum in amore ſimiles ſimus, inſentijs diſtracti videamur, eadem ſint caſtra, eadem ſint conſilia, eadem ſtudia. Sic tuam ſapientiam probabo, quæ te vtinam ad ſanitatem reuocet. Tu ſi me amas reſcribe. Elegiam breui habebis. Nos vt facis ama. Vale.

FINIS LIB. I.

LIBER SECVNDVS
Epiſtolarum Familiarium
FRANCISCI ZAVAE

FRANCISCVS ZAVA
Iacobo Antonio Mutio. S. D.

TVIS credebam me hilariori calamo reſcripturum, ſed paucis poſt diebus à tuis literis, pater meus, deliciæ meæ, laborũque, quos in ſcholis ad illius ſenectutẽ ſubleuandam patiebar, amęnũ ſolatium, graui morbo correptus, cum eum breui beneualentem ex quodam animi deſiderio fore conſiderem, hinc diſceſſit. Quamobrem ita conſternatus, ita exanimatus ſum, vt quid agam penitus ignorem. Tali enim patre orbatus dolore diſrumpor, nec ad hunc ſedandum angorem ſatis idoneã medicinam reperio, ſiue Platonem, ſiue Ciceronem, ſiue quempiam alium alios conſolantes, ſe vero nequaquam, voluem, id verũ eſſe optime noſti, qui me cum Ciceronis ad alios conſolationes, & eiuſdem domeſticos luctus legiſti. Verum ne patris animam hoc animi dolore angam, quem optime confido æterna fęlicitate, Dei optimi clemen-

tia; atque incredibili beneficentia, frui, ad tuas humaniſſimas, & iucundiſſimas gratiarũ, officijq́; pij maxime plenas, reuertar, quæ quàm gratæ mihi fuerint, Marcus Tarteſius, cui has perlegendas dedimus, optimus teſtis eſt, qui tantum in præceptorem tuum amorẽ probauit, vt poſt logos de te ſermones cumulate meo labori ſatisfieri, mecũq́; præclare agi dixerit. Qui mei honoris mearum vigiliarum teſtem talem diſcipulum aluerim. Age ergo hoc ſolo meas leniam ęgritudines, tu mi Iacobe Antoni, vt cępiſti perge, ſcio quid de te communibus amicis pollicitus fuerim. Mihi perſuadeo te noſtras expectationes non fruſtraturum. Noui tuum ingenium, quã animi deliberatióne iſtuc te contuleris mihi non obſcurum, nempe vt te breui iuriſconſultum haberemus. Reliquum eſt vt tanti Franciſcũ facias quanti ab illo te factum fuiſſe fateris. Vale tertio nonis Decembris.

FRANCISCVS ZAVA
Hieronymo Vidæ Albę Epiſcopo S. D.

NOLLEM te ex intermiſſione mea te viſendi, & longo te ſalutandi interuallo ſuſpicari me ab ærario amicitiæ tuæ, tanquam tanti viri obliuioſum excidiſſe. Nunquam mihi tantum nefas expiari poſſe crederem. Meus in te reſidet, ita ſingularis, & hęret, amor, vt qui magis me poſt homines natos, literatos, & bonos viros, amauerit, obſeruauerit, coluerit neminẽ inueniẽs. In oculis te ſemper habeo, tanquam ſimulacrũ, & veſtigium meę in te perpetuæ obſeruantiæ. Hoc quantum hilaritatis mihi ferat vix exprimere poſſum. Te mei itineris, cuiuſcunqueue actionis tam habeo ideã,

vt per nullum temporis punctum ærūnas ſentiam, & ſi aliquando euenit, vt huius meę iam antiquę in te obſeruantiæ obliuiſcar hoc ſpeculo noſtrę erga te venerationis ī priſtinas meas voluptates, & animi lętitias reuocer, quo mihi nihil optatius accidere poſſet. Mecū enim crebro exquiro, vnde tantus animi ardor, curúe hoc beneuolentie feruore ad te amplexādum alliciar. Hoc & mecum tractans inde euenire animaduerto, quod ea virtute illuſtratus es, vt nemini tui labores, nomen, & gloria ſit inaudita, quibus ornamentis tum naturæ, tum induſtriæ, & artis omnes ad te amandum, & inſeruiendum ita ſtudioſos conciliaſti, vt certatim contendant, quare tui alter magis altero ſe ſtudioſum oſtendat. Videoq; omnes doctos, variarūque ſententiarum peritos, moribusúe ſanctiſſimis ornatos in hoc genere blandæ contentionis grauiſſimè cōſiſtere. Hoc te facilius perſpicio, tu.n. harum laudum faſtidioſiſſimus, ego tui omnium cupidiſſimus, de te loquentes (quāplurimi autem ſunt) ita attente audio, vt doleam me ea dicendi vbertate non valere, qua te alterū Vlyſſem ſermone, & Neſtorem conſilio celebrem. Tu primo quoq; verbo ſumma cum omnium admiratione in ore cuiuſque ſapientiſſimi, & doctiſſimi verſaris, quod maxima iudicij cenſura fit. Nam quis ignorat te eloquio tuo tantum luminis diſciplinis veterum inuolutis attuliſſe, vt per te omnibus tenebris, & caligine, barbarieq; amota illuſtratæ ſummo verborum delectu ornatæ, eloquentiæ candidiſſimo fonte illuminatæ niteant. Nullos amplius Antronios, & Stalenos habemus. Neſcimus oratorē te ne, an Politicon potius appellemus, tu emendatam, & latinam elocutionē oratoris fundamentum adeo obſeruas tum ratione, tum

ſcientia, & bona conſuetudine, vt non ſolum minutis Imperatoribus hac tibi gloria parta, ſed & maximis te antelatum omnium conſenſu iã pridem cõprobatũ ſit. Quis.n. tua ſingula ſcripta non prętulerit omnibus Caſtellanis triũphis, & expugnationibus tũ Corinthi, tũ fregellarũ. Taceo quæ in ſcrinijs ſeruantur, breuis tamen foras exitura ij ſanguine, & ſtrage maxima cum ſuę vitę periculo, & interdum dedecore, tu perpetuam tua maxima gloria, & omnium ſalute victoriam, & laudẽ acquiſiſti. Te vt Phidiã magis omnes intuentur, quã vel fortiſſimum quéq; bellatorem. Nõ ſolũ quãtũ profis, ſed quantus ſis ponderamus. Nulla in te ornamenta vel poętarũ, vel oratorũ deſiderantur; Plurimas, & illas interiores, & recũditas literas nouiſti. Qua diuina cognitione, & ſumma verborum grauitate, & eloquentia omnibus antecellis. Hæc omnia vitæ dignitas, & integritas decorat. Omnia deniq; quæ clarorũ virorũ ſunt tibi aſciſſere non dubitaſti, quæ & ſplendore animi, & magnitudine ſumma cum dignitate obtines. Nõ te minus Cremonenſes admirantur, quã Romani illi Sceuolã, & Craſſum Furium, & Caſellium. His tuis inſignibus pellectus, non mirum ſi mei ĩmemor te ſolum obſeruo. Te etiã rogatũ velim, vt eorum in numero, qui tibi maxime dediti ſunt, me quoque apponi velis; in te certe obſeruando, & colendo nulli cedo. Si mihi ocium eſſet te quotidie viſerem, ingenti efferor lętitia, quando te ſeptum, & circũuallatum iuuenum, ſenumq; nobilium multitudine video, quod in optimo ſene, & litteratiſſimo, maxime optandum eſt, fruor, & ipſe mecum illa iucunditate, & blandis riſibus. Te pridie viſum veneram, ſed frequentia tum noſtratium, tũ externorum (vt ego accepi) additus ad te facilis non

mihi

mihi fuit; Quamobrem mihi viſum fuit, his te viſere, quas ſi gratas cognouero tibi extitiſſe, quod minime dubito, (me enim ad ſcribendum ſæpe hortatus fuiſti) alias dabo. Cumq; per ocium licuerit, quod (vt ſpero) breui erit, te viſam. Vale ex ædibus noſtris pri. non. Ianuarij CIↃ IↃ LIIII.

FRANCISCVS ZAVA Ioanni Baptiſtæ Offredo. S. D.

Tvis tandem, mihi gratiſſimis tum dicendi vberrima copia, tum ſingulari amore quo mirandũ in modũ nos à te amari mihi ſignificaſti reſpondebo. Quibus quorundam temeritate, vel potius importunitate, vt animus meus in te gratus, tuiq; memor reſpondere nequiſſimus. Neſcio an Tartaros vllus hoſtis moleſtiores ſentiat, quàm me animi angores, & ærumnas horum cauſa pertuliſſe facile probarim. Nollem incidiſſe in Tartarorum inſolentiam, & arrogantiam, quoniam cũ illorum mores, & barbaram conſuetudinem conſidero terrore perculſus concido. Formidat animus quoties illorum voluo annales. Per me iſtorum monimenta exterminentur, exibilentur, explodantur, aboleantur, quo poſſim ſedato animo tibi, quem oculis chariorem habeo reſpondere. Quare ſi animi mei deſiderio, & tua fortaſſe opinione rem longius diſtuli, ſatisfactionem accipias velim. Quæ nec ſera fuerit, ſi occupationes noſtras expendere volueris. Quid ergo ais ingenioſè, & in dicendo maximè exercitare mi Offrede? quando illa ſcopuloſa loca mihi obicis? Credis mihi eas naues eſſe quibus quoſq; repentinos æſtus excipiã? nec fluctuũ magnitudinem, & tempeſtatum ſentiam? nun-

quam

quam auſim meam debilem nauem, nec ſatis anchora firmam, his periculis exponere, quando eam nō pellibus alutis, contra vim, calumniamq; ventorum munierimus. Huic nulla firmitudo eſt, vndiq; in hanc tela adigerentur, quę tu forſitan excipere cogereris, ea opinione, quam de te ſuſcepi. Nam ſi negligentia remigum, aut debilitate remorum euerterer, tuum eſſet diſſipata vela colligere, quando meę ſpei fundamenta trabali clauo in tę fixerim, ex quo ſi naufragium facerē. perpetua ſolicitudo, tibi inureretur. Sed cum Mainoldo duce res noſtra inuado ſit, in procelloſum mare à ventis nollem tranſportari, vnde vel periculoſus, vel turpis exitus daretur, quod vtriq; magnum diſpendiū, & iactura eſſet, id quod emendare nō facile poſſemus, præſertim cum ex hoc anfractu viri docti, quibus, & hunc ſcropulum iniecisti (vt ſcribis) ſeſe tutis velis in portum referre nequierint. E tenebris eximius, vel potius audax ille Philoſophus reuocandus eſſet, qui omnium ſcientiarum genera profeſſus, cuilibet interrogatus petitioni ſe ſatisfacturum aſſerebat. Hic in ſolem, & puluerem, quaſi è tabernaculo omnium diſciplinarum proceſſerat, nos in vmbraculis vix animos antemeridiana, & pomeridiana exercitatione defeſſos recreamus, renuentes in eam aciem, & diſcrimen prodire, vnde grauiſſimis vulneribus confecti turpiter diſcedamus. Qui in hanc arenam ſe conferre vellet, animo alto, multiſq; virtutibus exaggerato eſſe oporteret quales nos eſſe, non parum deſideras. Sed quid eſt, quod ego, qui nec primoribus labris has recunditas, & abditas ſcientias guſtarim, tua expectatione, tuis purgatis auribus, admirabiliq; tuo iudicio dignum afferre poſſim? In hoc malui tacere, quam id ſcribere, quod

tibi

tibi minime probaretur. Scias tamen velim, me nunc in eodem quoq; luto hęſitare. Nam ſi anima amici alterius amici anima eſt, vt grauiſſimus Philoſophus exiſtimauit, dubia quæ tibi occurrunt, eadem mihi ſeſe offerunt, te me alterum amore, & beneuolentia cenſeo, in reliquis te mihi longe præferrendum non negarim. Verum cum partes animi ſint pares, ęqq; ſecari non poſſint, & ea campagine contineantur, vt altera iniuſſu alterius nihil agat, tuq; me firmiſſimo amore, ita cōplectaris, vt me alterum Baptiſtam, te alterum Franciſcū iucundiſſima Pyladis, & Oreſtis viciſſitudine complectaris neceſſe eſt, vt vel in ea luce, vel in iiſdem tenebris ambo verſemur. Nec tibi hoc mirum ſit, nā quę à me requiris, eadem inueſtigabā, & odorabar. Ex quo liquido apparet, vtriq; adeundum aliquem, ex quo expiſcemur communes has queſtiones. Mihi perſuaſi id te inficias non iturum. Nam hæc ſcribens, lateri meo inhęrentem te conſpicio, hoc tecum exquiro, nec tamen ſermonem noſtrum interpellas. Reliquum eſt, vt cum muſarum domicilia optime noueris, te colam, obſeruem, admirer, intuear, tanquam illum in quem propter nunquam intermorituras virtutes, & maxime celebratas laudes, præconio Cremonenſes, omneſque externę nationes os obuertant ſuum. Hoc denique tibi perſuaſum velim, quicquid poſſum, & ſpiro tuū eſſe, quando me totum tibi dederim. Vale decus Phebi ex Aedibus noſtris Non. Feb. CIↃ IↃ LV.

FRANCISCVS ZAVA
Iacobo Antonio Mutio. S. D.

Serivs fortaſſe opinione tua, meæ tibi redduntur

literæ

literæ. Verum ſi noſtrarum occupationum breuia ſpatia,& interualla hiſce præſertim temporibus expẽdere volueris, citius quam putabas redditas eſſe iudicabis. Lazaro Roſio, Hieronimi Fraganeſchi magiſtro, meas ad te qua temporis oportunitate mihi licuiſſet, dediſſem. Sed vix tantum ocij fuit, vt illius verbis ſalutem tibi remitterẽ. Nunc ergo(id tamen ſubſeciuis horis) tibi ſcribam. Illud egeram cum Paulo noſtro, & multo fortaſſe vehementius, quod ſcribis te literis cum illo tractaſſe. Illum & ipſe multis verbis,multisq; precibus dehortabar à ſcribarum ſcrinijs. Quem vbi animaduerti incœptum ſtudium perſequi velle,tandiu dum libraliolorum cauillationes,captionesq; adiſcat, inflammandum potius quàm deterrendum duxi. Tu vero eodem curriculo, ad metam, tuæ expectationis curſitato,quo incœpiſti,ſic enim ſpero te noſtram opinionem non fruſtraturum, in te patris tui viri integerrimi, fratrumq; optimorum, magna ſpes eſt, illum te ſperamus fore, in quem omnes intueantur, in quo non ſolum domus tuę ſalus,ſed totius ciuitatis noſtræ ſplẽdor nitatur. Niſi tibi defueris (quod minime vereor) cognoui .n. te honoris ſtudio flagrantem ornamenta, quæ paucis dantur virtutis ergo facile aſſequeris. In hoc ita tamen incũbe,vt cito credas te oĩa cõſequuturum,ſi mature quæ tua in omnibus conſuetudo eſt rebus id egeris. Tecum pluribus agerem,ſi mea admonitione indigeres,ſed quando,ſi tibi parueris,conſilio.n. abundas ex ſententia res ſucceſſura eſt,te ſolùm rogabo,vt me ames,meq; Fraganeſcho,& Puteo plurimum commendes. Vale.

Franciſcus

FRANCISCVS ZAVA
Antonio Ruberto ſuo S. D.

Non poſſum mi Antoni non te diligere, & amare, ĩdies mihi magis ante oculos obuerſaris, tecum loquor, mutuoq; ſermone fruor, tantus eſt meus in te ſingularis amor. Diſpeream ſi te non plurimum diligã. Nec credo beneuolentiam noſtram vllis teſtibus egere, quando & tuis moribus, & mea educatione, ita corroborata eſt, vt nunquam diminui poſsit augebitur potius ſi fieri poſſit. Nullus eſt apud nos, cui te tanquam exemplum optimę diſciplinæ nõ pronam, ne iſtos fallam tuum erit, quicquid à nobis acceperis ante iſtuc tuum diſſeſſum ſeruare, quod vt facias te admodũ rogo. Has litteras Ioanni Baptiſtæ Oliuę vtriuſque noſtri amantiſſimo ad te perferendas dedimus, qui ſi opera tua iſtic egebit, tibi illum ſummopere cõmendo. Cum tuo patre adhuc non ſum loquutus, ſi euenerit, vt de illa re mecum loquatur de qua ſuperioribus litteris mecum egiſti, ita pro te elaborabo, vt meam diligentiam non parum ſis laudaturus, tibi cõſulam, nec apud illũ, quæ illius eſt de me optima opinio, meum nomen negligam, quod tibi quam cariſſimum eſſe ſemper duxi. Lucio (ſcis quem dico) domo noſtra interdictum eſt, illius arrogantia, et inſolentia, quippe qui in nos nudato gladio irruit, illius tamen audacia repreſſa eſt virtute noſtra, & manus manu compreſſa: Quid plura? Supplex veniam petiuit, nunc illum ita amo, vt illo nihil mihi ſit charius. Deum Opt. Max. rogo, vt hic ad optimam frugem perueniat. Noſti meum ingenium, qui & me perſequentes odio amauerim. Vale Meliaducem, illiusq́ue parentes, & tuos condiſcipulos, qui

nobis operam dederunt nomine meo plurimum ſalutato. Crem. Quarto Idus Mar. CIↃ IↃ LV.

FRANCISCVS ZAVA
Antonio Ruberto ſuo S. D.

Ex tuis, quas ad me VI. Cal. Aprilis dediſti, incredibili gaudio elatus ſum. Præter .n. amoris, beneuolentięque ſingularis igniculos, egregia quoque, & ſplẽdida liberalitatis conteſtatio apparet, & ſe lucidius offert, quam ſi vllus alius niteretur re, & beneficentia aliqua id comprobare. Nec id ſolum intueor, quod animi quadam magnitudine, qua te ſemper in nos gratũ fore oſtendiſti, & multis, qui in ijsdẽ tectis penes nos alti, & in optimis diſciplinis educati ſunt, præſtitiſti, ſed quod te facturum crebro dicebas, quando libera id tibi faciendi occaſio daretur. Quo tantum me tibi debere profiteor, quantum homo homini multis acceptis beneficijs debere cogitur. Metior .n. animum tuum liberalem, munificum, & officioſum. Non ex beneficijs, quæ plurima à Ioanne Auo tuo viro liberaliſſimo, & optimo accepi, ſed ex animi in me propenſa munificentia. Neque ex ſpe futura pendeo. Satis enim mihi eſt me plurimum à te amari. Cum præterea animaduerto mea præcepta ita animo tuo inſediſſe, vt nihil firmius, neſcio quòd gratius, & cumulatius amoris pignus à te hoc accipere poſſem. Quamobrem non parum mihi lętor, & me tuam beneuolentiam, non beneficium fęneratum fuiſſe, & te nulla ſpe premij tam propenſum ad liberalitatem natum fuiſſe. Quocunq; iueris in nos eundem te futurum mihi optime confido. Quod loco maximi beneficij repono. Huius rei recor

datione animum meum paſcam, & reliquę vitę meę labores ſuſtentabo. Tu quod reliquum eſt, quādo mea tantopere memoria tenes fidiſſima præcepta eadē exequare. Parum enim bene loqui homini prodeſt, niſi id re magis probet, quàm verbis. Quod quia confido te facturum, à te petam, vt me ſępe tuis litteris viſas, quibus ſingulis reſpondebo, omiſſis omnibus occupationibus, quæ nullum mihi ſcribendi ocium concedūt. Vale. Valetudinem tuam diligenter curato Cremo.

FRANCISCVS ZAVA
Iacobo Antonio Mutio.

CVM vna colloquendi vtrunque periucunda, & tēporis neceſſitate, & locorum interuallo ſublata ſit occaſio, vnde quò mutuo, amore iuncti ſumus; pari ſolicitudine ambo conficimur, has literas curauimus tibi dandas, quibus putaui hunc communem angorem leniri poſſe. Itàq; mi Muti quid fit? perbelle ne vales? Hoc ſi eſt nil gratius ſentio. Te enim bene valentem eſſe per cupio, tua valetudo ęque, ac mea ſemper mihi curæ eſt. Nec vulnus venis grauius alo, quàm cum aliquem ex meis alumnis minus belle ſe habere audio, te inprimis quem omnium maxime charum inde ab ineunte tua ętate habui. Quid præterea? muſæ iſtic frigeſcunt ne? cum omnia vbique locorum, tanquam phaetonte male ducente currus flammiferos, ardeant nedum caleant? Si (vt credo) noui enim quanti domum, patriam, te deniq; ipſum, ideſt honorē, opinionemque de te ſuſceptā facis, aliquid meditaris, quod hoc potiſſimum ſit, odoror, & perueſtigo; Naues ne operam recognoſcere quid conſulti de iure parietum,

ſtyllicidiorũ, de ſeruitutibus domus, aut fundi ſtabiliant? Fundi ne populi ſint, quos vaſallos, & feudatarios nunc cum Barbaris appellamus? partus Ancillæ ſit ne in fructu habendus? quibus verbis herciſceri oporteat, fœnum ne ſit aliud quam herba ſicca? Quid ſecum agitent de aquarum ductibus, de cloacis, deque præterea ſtipulationum, & iudiciorum formulis, quibus rebus, huiuſque generis, quãplurimis ſuos libros impleuerunt, & Bibliothecas omnes infecerunt. Hęc cum mecum agito, tecum loqui videor, ex quo tantam lętitiam ſentio, vt tuam abſentiam, quàm alius grauiter ferebã minus moleſte feram, quę prius me ita angebat, vt quietem nullam caperem. Nunc tecum Decemuirorum xij. tabulas lectito, Romuli leges peruoluo. Quid quęris? ante oculos, dies, noctesq; tuos obuerſor, teque totum nobis, non tanquam ex Idea, ſed vero corpore videndum offeres, his oblectamentis omnes ærumnas, laboresque, qui in variarum literarum ſtudijs nobis obrepunt facile ſuſtineo. Tu in hæc ſtudia quæ auide appetiſti, parce incumbito. Omnia recte egeris, ſi te incolumem hiſce Cęli feruoribus ſeruaueris. Ne te quæſo huc macilento ore, naſo acuto, corpore albo, oculis nigris (vt inquit ille) referas. Pingui, & Craſſa Minerua ĩ præſentia rem agamus. Si me amas, quod ſemper feciſti, Baccho, & Cereri, ne dicã nunc ſcribito, Phębo potius, & Muſis, quando tempori inſeruiendum eſt. Tui omnes bene Valent. Aedes quas Baſſinus habitat, tuus pater dudum exędificauit. Longo enim æuo conſumptę mures hoſpitio receperant, quibus ſi litem conteſtari voluiſſes, domum reuerſus, operam clientibus, qui te iam pridem plurimi, & pecunioſi cupide expectant, daturus non eras. Hæc

noui.

noui. Tu ſi quid dignius auribus meis iſtic habes ſcribe. Vale. CIↃ.IↃ.LV.

FRANCISCVS ZAVA Cæſari Brumano. S. P. D.

Nos plurimum à te fieri mihi confidebam, & quo te amore proſequor, noſtrum amorem animo tuo ita inſediſſe arbitrabar, vt nulla temporis intermiſſione, nulloúe locorum interuallo alterum ab altero vix diuelli poſſe animo infixum maneret, quicunque loci diſiunctio ſequuta fuiſſet, in eadē ſententia nunc quoq; ſum, nec ſtabilitatē animi mei ad hoc cōfirmandū vnq̄ deſiderabis mihi met ſum conſcius, meæ in te obſeruantiæ, beneuolentiæ, perpetuiq́; amoris, & quocunq; terrarū iueris, in te amando ſemper eundem me fore equidem promitto. Odi enim proteos, & qui pręſenti hominis ſolum aſpectu capiuntur. Hoc & mihi de te pollicebar. Quippe qui tuum ingeniū ſtabile, firmū, conſtans & minime puerile noueram. Sed hæc mea tam facilis perſuaſio peruerſa fuit, neſcio tamen quo meo malo fato. Siquidem cum elapſis diebus huc te contuliſſes, quo amore videndorum parentum flagrabas, omnibus te videndi copiam feciſti, præterquam mihi vni, quorſum hoc? coniecturis ne adducar, te meā opinionem ludificari? abſit, quoniam ſi paulum à nobis deflexiſſes, te tamen meo in te fido amore ad priſtinas noſtri integerrimi amoris delicias reuocarem, teq́; cogerem illum deligere, qui te amat, & obſeruat, & plurima de te ſperat. Quo amoris curriculo, nec à te vinci paterer, quem iam noſtri obliuioſum argumentatus ſum. Hoc vt emendares (ſi tamen menda opus

 eſt)

eſt) tuas literas expectabam, quibus noſtris ad te datis reſponderes. Sed adhuc hæ in expectatione ſunt. Verum quorſum iſta exquiro? cum nunquam ſit futurũ quin a te mirum in modum amer. Mihi .n. iampridem perſuaſi te non minus ſilentio ſeruaturum noſtram beneuolentiam, quam ſi quotidie ad me tuas dares. Is enim ſum qui magis animi receſſus, & intimos ſenſus intuear quam quoſdam repentinæ beneuolentiæ fucatos ardores, qui quouis debili vento euaneſcunt. Non vmbram, ſed corpus ſeruo. Tu ergo talis in nos ſis, qualem te amandum, & prædicandum ſuſcepimus. Iam partem epiſtolæ habes, nunc alteram accipe. Dicebat ille antequam incipias, opus eſſe conſulto, vbi cõſulueris opus eſſe maturè facto, quod qui diligenter animaduertunt raro labuntur, ſalubri, honeſtoq; conſilio inito, ad ſanctiſſimos, integerrimosq; legum, & iuris peritos, alijs virtutibus excelſum, magnanimũq; tuum animum illuſtraturus, iſtuc te contuliſti, qua in re quanto ornamento patriæ, parentibus lætitiæ, tibi, amicisq; & omnibus tuis emolumento, ſplendorique futurus eſſes, qua animi vales perſpicacitate tecum, antequam hinc diſcederes pręmeditatus fueras. Quam incredibili gaudio efferar, verbis exprimere nequeo, quando mecum excogito, quo ſtudio tecum pertractes illos honeſtatis ſuauiſſimos fontes, quibus delibatis haud quiſpiam falli poteſt? Sed tu ex veri perſpicientia, ſolertiaq; quantum voluptatis exhauſeris? cum tecum exquiris quid maximopere requiratur ad ſocietatem tuendam, quo gaudio cumularis? cum animo excelſo, inuictoq; te in omnibus geras, quis te lætitia vincit? Sed in primis gaudio exilis, quando quo modo, quoúe ordine temperantiam, & modeſtiam

tuam

tuam in hac tenella ætate commendes, tecum medite-ris: Hęc eſt illa forma, & tanquã honeſti facies, quam ſi oculis cerneremus, vt animo cõprehendimus mirabiles (vt inquit Plato) excitaret amores. Ad hæc tibi perſuadenda nulla adhortatione vtar, quando mihi perſpicuum, & exploratũ eſt, te optimi patris inſtitutis matris prudentiſſimæ, & tui amantiſſimæ admonitis, tanquam diuinis donis locupletatum ad hoc te applicuiſſe. Nec illud te fugit, bonos è bonis creari. Te igitur ſolum adhortabor, vt me admoneas quantopere hæc ſtudia te oblectent, & ſi non ignoro, hæc virtutis curricula tuas eſſe ſolas delicias. Scribe ergo quo animi robore, quaúe cõſtantia Chriſtophorus Brumanus, Cæſar Gerenzanus noſtri amãtiſſimi in hæc ſtudia incumbant. Vale tuus in nos amor cum ætatem creſcat. Barbara vxor mea, quæ te plurimum diligit, tibi ſalutem dicit. CIↃ IↃ LVI.

FRANCISCVS ZAVA

Iacobo Antonio Mutio ſuo. S. D.

TVAS in horas deſiderabam, vt quo curſu Ferrariã nauigaſſes non ignorarem, (de te enim valde ſolicitus ſum) ecce autem mihi cupido perferuntur optatiſſimę tuæ literæ, quibus admoneor tuam iſtuc fuiſſe quam volebamus nauigationem. Tecũ bene agi, nec fruſtra de te nobis ſpem ſuſceptam fuiſſe. Quo quanta lętitia afficiar, pro tuo in me ſingulari amore exiſtimabis. Nullo enim locorum, & ſi longo interuallo, à nobis te diſiungi video. Equidem nullus labor in ſtudijs meis tam grauis eſt, qui te tam noſtri amantiſſimo diſcipulo leuis nõ videatur, hac ſola re vitam beatã mihi credo,

noſtros

noſtros nec fruſtra ſuſceptos labores, quando omnium virtutum grati animi memoria mater eſt. Sic viri ſapientiſſimi, æquis cómunem vitam examinant ponderibus. Si (vt fit) aliquando ſolicitus rerum aliqua expectatione impedior, & angor ea tuarum literarum ſuauitas, atq; lepos eſt, vt me totum exhilaratum, & illas legendo omnem triſtitiam, & ſeueritatem deponam. Tu enim is es, quem hac vita chariorem habeo. Te nominis noſtri imprimis ſtudioſum ſemper fuiſſe animaduerti. Qui te non amat, modo te nouerit, hac vita indignus eſt. Quanti Paulum, Mutiumque fratres tui non diſſimiles faciam ſcis, qui omnes Mutios colo, & obſeruo. Iſtuc venit Cęſar Brumanus, filius Raphaelis, hunc ſuſcipe, hunc amplectere, huic tuam operam audiente patre, (aderit enim) pollicere. eſt optima Iuuenis indole, optime noſti, Chriſtophorum Brumanum vxoris meę fratrem, Gerenzanum con ſobrinum meum verbis meis ſalutato. Vale incęptum perfice.

FRANCISCVS ZAVA
Hieronymo Puteo S. D.

MEARVM litterarũ prius ad te aliquid dediſſem, niſi tantis occupationibus diſtrictus eſſem, quod minime ignoras, vt vix reſpirandi mihi ſit locus, nunc etiam mihi impedimento eſſent, niſi tanti mihi eſſes, vt malim omnia deponere, quam tui in me amoris immemor videri. Ne ergo tuum in nos amorem aſpernari videamur, quem ab hinc multis annis præcipuum animaduertimus, duximus & ad te has noſtras dare. Quanta igitur impenſa, quoúe ſumptu, & parentũ ex-

pectatione,

pectatione, domeſticorum omnium, amicorumque foris optimis ſcientijs illuſtrandus cómoreris, nõ te prę-terit impenſam vero minime fieri ſpe futuri euentus ſcis. At ſæpe euenit, vt oleum, & operam perdamus, maxima cum nummorum iactura, reliquarumq; rerum naufragio, quas nullo ſtudio, nullaúe opera noſtra recu perare poſſumus, quarum tamen damnũ laudis, famæ, gloriæ comparatione parui ducimus. Quarum rerum expectationem, ſi in dedecus, & ignominiam verteremus tanquam turpiſſima nota inuſti demonſtraremur, ingenti noſtro, amicorumq; mętore. Huic vitio facile illi occurrunt, qui crebro ſecum examinant, qua potiſſimum cauſa foris peregrinentur, quare ab amplexu amicorum auellantur, quæ ſpes ſit futura reliquæ vitæ. Hæc ſecũ aliquis excogitans quomodo aberrare poteſt? hic aſſiduè ſecum fert, vitæ degendæ optima pręcepta, qui mox ornatus omnibus virtutibus, locupletatus maximis ornamentis, inſignitus æternis præconijs laudis, parentum, omniumq; domeſticorũ, ſumma lætitia domum reuertitur. Domui, patriæq; ęgregie conſulturus, quo modo nulla iactura, nullumúe naufragium ſequatur multo ante perſpicit. Sed quorſum hæc? (inquies) credis me defuturum mihi, nominique meo? non equidem, ſed hic mos eſt agere cũ amicis, neque vlla in parte tibi diffido, ſcio quo animo iſtuc iueris, eodẽ etiã vt reuertare, exopto. Bene de te nos ſperamus, id tu re comprobato, hoc ſi facies omnibus expectatus venies. Nõ te pluribus hortabor, quando id de te mihi bene polliceor, quod de quolibet honoris ſtudioſo, laudis cupido, amoreque patriæ flagrãte, quiq; ſibi polliceri poſſet. Maximianus frater tuus, duoque patrueles Camillus, & Septimius nobis operã

dant, in his erudiendis ſumma vtimur diligentia. Vale Cremo. X. Cal. Iunij CIↃ IↃ LVI.

FRANCISCVS ZAVA
Cęſari Gerenzano S. P. D.

Nomine negligentiæ, vel potius obliuionis, tum affinitatis, dudum nobiſcum contractæ, tum amicitiæ iam pridem conciliatæ redarguendus tibi fortaſſe viderer, præſertim, cum ad omnes tam affines, quàm neceſſarios, qui iſtic tecum commorantur noſtras perferendas dederimus, niſi te itidẽ literis ſalutaſſem. Itaq; ne horum aliquo me accuſes has perbreues accipe. Vitio, quod verebar, mihi aſcribi poſſe, merito te accuſare poſſem. Nam quę litteræ à te mihi perferruntur, niſi illas multis verbis prius eliciã? Equidem ſi amor litteris dignoſceretur, & potius animi tui ſynceritatẽ nõ interpretarer, me, amoremq́ue tuum, per te in extremas gentes amandatum eſſe iudicarẽ. Cur quoties ad tuos ſcribis, vnis litterulis me non viſis? nám eam delectationem caperem, qua careo, dum præſens tuus mihi aſpectus negatur. Ne patiare mi Cæſar diutius tuarum litterarum deſiderio nos torqueri, quarum lectione indies magis, ego flagro. Hoc .n. ſolo munuſculo deſiderium meum te videndi lenire poteris: Quo vehementer flagrans interdum deſiperem, & tam longe tuæ abſentiæ tædio contabeſcerem, niſi ſtatim in mentem veniret, te virtutis capeſcendæ cauſa iſtuc alacri animo, parentibus pene inuitis deuolaſſe, quod tuæ probitatis ſpecimen, & periculum, non ignorabas ab omnibus probatum iri. Et hoc ſtudio cręde bas, vel potius ſperabas, tibi, domui, patriæ, amicisq́ue cõſultum

tum fore. Nam ſæpe numero tecum verſas, hominem non ſolum ſibi natum, ſed amicis, & patriæ, vt dicebat ille. Te ergo ad hæc ſtudia ita transferes, & his operam, ita nauabis, vt quantum profeceris, re cito experiamur. Scitoqúe te id quàm celerrime effecturum, & quo animum intenderis id ex ſententia ſucceſſurum, ſi mature hæc amplexaberis, nihil inuita Minerua egeris. Horas iam noſti ad hæc ſtudia fouenda aptas, & accomodatas, has ne omittas. In reliquis tempori inſeruito. Te non hortabor quibuſcum verſeris, optimos habes cognatos, affines, & amicos, dulces, & ſocios, & comites eorundem ſtudiorum, ne te horum diſſimilem præſtes hortor, idem ſit velle, idem nolle, in exequendis ſanctiſſimę amicitiæ muneribus. Tui parentes, omnesqúe domeſtici bene valent, tibi plurimam ſalutem dicunt, Oliuæ meæ, eiuſdemque tui Io. Bap. dico verbis, te ſaluere iubeo, à nobis omnibus ſaluebis. Vale, puteum nomine meo ſalutato. Crem. X. Cal. Iunij CIↃ IↃ LVI.

FRANCISCVS ZAVA
Chriſtophoro Brumano S. P. D.

QVO ſcribendi genere nunc vtar? eo mehercle, quod frequentiſſimum, & in omnium ore verſatur. Si vales bene eſt, nos quidem omnes valemus, noſtram valetudinem, nec ſatis firmam exiſtimamus, niſi huic noſtræ tua adiungatur, quam vt ſatis credamus firmã, mitte vnas ex tuis ſuauiſſimis, & lepidulis, iocoſisque literulis. Iocoſe.n. nobiſcum agens hilaritatem, venuſtatemque tuam nobis patefacies, & abſens, abſentem intuebor, qua vel collocutione, vel mutuo aſpectu, ſi

quos mærores ſentires, aliquandoq; frontẽ cõtrahere, omnia quæ te angunt facile abſtergebimus, iocoſus & ipſe ſum. Soleo ſępenumero Homerum deridere, qui Diomedem iratum mittit in Aeneam, qui nõ agnoſcẽs ſe inſectari vmbrã diſtricto gladio, eum vrgebat. Hoc tandem cognito ſuam temeritatem, & inſaniam exanimatus deteſtatus eſt. His figmentis ita meum oblecto animum, vt Ciceroni, Socrati reliquisque ſtoicis, qui expellendi doloris cauſa inania, quædam deliramenta, velut ipſi exiſtimant optima remedia, male ſanis indicant, non cædam. Nec tuam ad hoc prudentiam deſiderabo. Scio.n. quid tecum mediteris, quidúe mente voluas, vt te ſcilicet à vulgo ſemoueas; Omnia perbelle moliris, hilare tamẽ, & feſtiue. Quid ſit amicis, quid patriæ, & ſibi conſulere, optime perueſtigas, illum deteſtans, qui ſibi ſolum ſe natũ referebat. Qui talem vitam degunt, nõ ſolum è cordatis Philoſophis excludis, verumetiam ex numero homunculorum ſemouendos iudicas. Tu quid ſit cognoſcere ſeipſum noſti. Quæ bene, beateque viuendi ſit optima norma ex libris Iuriſconſultorum, & ex Philoſophorũ decretis didiciſti. His tibi iampridem perſpectis, te ſolum admonebo, vt velis hæc tua ſtudia, ita excolere, vt nobis credas dulcius fore tui ſerius laboris ꝑpetuos accipere fructus, quàm citius pręcocia poma admirari; Cito noſtris ſatisfacies expectationibus, ſi validus redieris. Scio te non egere ſtimulis, nec hi nos ſumus, qui equo currenti calcaria addere velimus. Vale ergo, & opinionem de te ſuſceptam ſuſtine, ne fallamur te etiam, atq, etiam rogamus. Spero nos breui auctũ iri liberis. Deus, partus ſororis tuę, meęq; chariſſimę coniugis fortunet. Te omnes ſaluere iubemus. Vale

Ic Cremo. Idibus Maij CIↃ IↃ LVI.

FRANCISCVS ZAVA Nicolao Magio S. P. D.

TAMETSI in arduis, maximisq́; meis occupationibus, tuæ mihi perlatę fuerint litteræ, quæ cum lepore, elegantique Venere, tum docto perexquiſitoque viuẽdi genere refertæ, nobis incredibilem lætitiam attulerunt, his tamen raptim, & ſubſeciuo tempore, pro virili parte reſpondere conabor. Nolo.n. tuam quantulẽcunque eſt, de me opinionem, vel aliorum verbis tibi impreſſam, & inculcatam, vel meis ſcriptis, vt ais tibi lectis corroboratam fruſtari. Quanquã vereor, ſi quid humeri mei valent expiri velles, te multo minus re, quàm verbis reperturum. Sed eſto quicquid de me tibi perſuaſeris. Mirarer itaque te in harum rerum inueſtigatione verſari, cum ad id ætatis bene, beateque viuens, qua quod in optimorum Philoſophorum ſcitis, præceptis, inſtitutis primum, maximumq́; habetur iam pridem noſti, perueneris, ſi quid genus vitæ, vel tu ſequereris, hæſitares, vel me lateret, & omnibus bonis minime notum eſſe. Quis enim mihi eat inficias, te quem à natura omnium magiſtra didiciſti viuendi modum, arte, ingenio, induſtria, vſu bono, ſancto, imitabiliq́; exemplo non illuſtraſſe? Tu enim is es, quem nemo inſectetur, quem multi ęmulentur, pauci in vitæ honeſtate vincant. Mitto quibuſcum honeſtiſſimis, viriſque ſanctiſſimis verſaris. Crederem mihi in ſcholis cuiusque generis philoſophorum conſiſtendum eſſe, eorumque omnes arculas aperiendas, ſi quid Zeno, quid peripateticorum Deus, & Prĩceps Ariſtoteles de

vſu

vſu vitę ſanxerunt diſputare vellem, ad quorum præcepta te totum aplicuiſti, ſi quoque quid diribitores ciborum Epicurei, quorum inimicus es ad delicatorũ hominum moliſſimos ſenſus excogitarunt, ſi quod Pyrrho, Herillus, Ariſto, Protagoras, Anaxagoras, Pytagoras diſtraxerunt hic ſpeciatim contexere, non generatim enarrare tentarẽ, & quod ieiuni, & ſobrij ſtoici hominibus præſcripſerunt explicare conarer. Sed cum videam, vt horum per te aliqua exhibilentur, & explodantur Dogmata, & mecum iſtorum ſententias ludificeris, apud quos ſæpenumero aqua hæret quãobrem illis diutius immorandum ſit non video. Equidem ſi reuiuiſcerent ſtultitiæ ſuæ errores deplorarent, quando huius ſeculi mores, honeſtiſſimasqúe vitę actiones ſuis ipſi longe præponerent. Nec eſt, quod ſeligas tibi nouum viuendi genus, & inſtitutionem. Honores non inhias, diuitijs non eges, tuis contentus fortunis, gloriam non ſuſpiras, nec homines ineſcas, vt famã aucuperis, qui hęc non ambit, omnibus dominatur. Me nec decepi ſatis ſcio, quando tu vnus optime noueris, e quibus fontibus exhauſeris illa, quæ mente, exercitatione, die, noctuqúe conſideras, officia. Quorum alterum, qua animi perſpicacitate excellis, ad finem bonorum ſpectare animaduertis, alterum, nec ipſum ſine bonorum fine, quod idem pręceptis conſideras. Quando ſi forte interrogatus, cur tuam familiam tam ſanctè gubernes, cur pręclara indole, optima ſpe, tuos filios in litteris, ſanctiſqúe moribus erudias, inſtituas, & educas, alioſq; ad vitæ rectionem adhorteris, rationem probabilem reddere paratus es. Ex domo tua vetuſtiſſima, quamplurimos his officijs perpolitos ex priſcorum Annalibus huc reuocarem, qui potius

viuendi

viuendi recte præcepta ad alios transfuderint, quam ex aliorum inſtitutis exhauſerint, ſi per ocium liceret. Sed cum lectione multorum ſcriptorũ, tibi omnibusq; noti ſint, & res ipſa per ſe loquatur, horum narratione ſuperſedẽdum cẽſeo. Quare tu, vt Democritus quorundam inſanias, & facetias irridebis. Ego vero, vt Heraclitus angar, & excruciabor. Tragelaphos ſibi fingant, qui ocio abundant. Nos hanc vitam excolamus, non agreſtẽ, ſed ciuilẽ, quæ illud bonum exiſtimat, quod virtute, diuitijs, honoribus, tanquam ſertum varijs floribus ornatum relucet. Idq; ex ſentẽtia ſuccedet, ſi omnia ex illius dogmate, miſſis priſcorũ nugis, & ambagibus faciemus, qui in terris veram theologiã reliquit. Hæc diffuſius tecum tractaſsem, niſi mihi ꝑſpicuum eſset, me non minus tibi, reliquiſq; horum officiorũ peritiſſimis deridẽdum fore, quàm ſi apud Annibalẽ, vel quẽpiam alium armorum maximè expertũ de armis agere audires. Vale itaq;, & me quando ſcis te id mutuo facturum ama.

Eidem.

Si quod queris habes, aliunde requirere ceſſa,
Es bonus, es fœlix, iſta reperta domi.

FRANCISCVS ZAVA
Ioanni Baptiſtæ Offredo. S. D.

Credebam, proculq; dubio mihi cõfidebam, fore, vt vel amplius ipſa, & eadem mente non verſares, quæ mecum elapſis diebus literis non minus docte, quam humaniter, tractaſti, vel mecum idem ſentires. Veruntamen vt ſtudioſum, bonarumq; literarum ſtudio flagrantem, noſtris ſi (vt videor) tibi non tutis ſaltem

amantiſſimis conſilijs, te non aſſentiri animaduerto. Qua in re tibi honeſta penitus (& ſi ardua, & difficilia mihi non ſubacto ingenio imponantur) non presto eſſe perenni excrucior dolore. Video enim cui ſtudium, operam, laboremq; meum denegauerim. Excuſationem accipias velim, nam malo ſub ruſtico potius pudore notari quã infamię notam illam mihi inuri, quam nullo temporis ſpatio abſtergere poſſem. Vellem te, & honori meo conſulere, & aſſiduarum mearum occupationum rationem habere, quæ tot, tantæq; ſunt, vt cũ acquieſcendi locum habeam, non tamen vt acquieſcam concedunt. Ingenti enim diſcipulorum numero premor, tam domi quàm foris. In hos erudiendos ex animi conſcientia, me oẽs cogitationes, tum noſtrorũ ciuium, tum externorum, quorum filij in literis quam plurimi mihi erudiuntur, expectatione vocant. In hoc mihi incumbendum omni animi impetu, qua animi perſpicacitate, & prudentia vales, non ignotum eſſe debet tibi noſtri amantiſſimo, huiuſq; antiquæ cõſuetudinis non ignaro. Præſertim cum omnibus perſpicuum ſit me nullam horam labori in erudiendis iuuenibus nuncium remittere, mecumq; dies, noctesque meditari, quo modo ciuibus meis ſatisfacere poſſim, quos cum plurimi facio, non poſſum vllo modo illos fruſtari, quod non facerem ſi in meditatione huiuſcemodi quæſtionũ verſari vellé, & illud ſoluere conarer, quod ligatum negotiũ exhiberet, vt Ariſtippus cuidã ſciſitanti huius generis queſtiones non minus doctè, quã facetè reſpondit. Quod vero ais Demogorgona, magorum præſtantiſſimũ à ſummo rerum artifice vnitatis hiantis, patẽtisq; ſolutionem impetraſſe nõ mihi ſit probabile, quisquis hoc dixerit. Si Platona huius

rei

rei autorem habes, (quod non credo) vide ne ironia illa faceta, & eleganti, qua Socrates in Platonis, Xenophontis, & Aeſchinis libris vtitur, hoc dixerit. Socrates.n.minime ineptus,& facetus; cum de ſapientia diſceptatur hanc ipſam ſibi detrahit,eiſque illudẽs tribuit,qui hanc ſibi arrogant,& affectant,vt apud Platonem,in Cœlum Portagoram, Hippiam, prodicum Gorgiam multosq; alios laudibus tollit, ſe vero, omnium rerum inſcium fingit. Cũ itaq; habeas Socratem irriſorem magnum fuiſſe,quod mirum ſi hac ironia luſerit,& ludificatus ſit Demogorgona laruis imperantem,illasq; ſi errarint fuſtibus, & flagellis plectentem. Sit Demogorgon rerum omnium pater, horribilis, in terræ viſceribus deliteſcens, vt fabularum plena antiquitas commentata eſt, quid tua tanti refert,vt hæc noſtro labore, è tenebris priſcorũ eruantur? Cuius tamẽ rei perueſtigatione, ſi adhuc ita torqueris, vt nullo modo,credas tibi quieſcendum,quoad aliquem œdipum inueneris,cenſeo tibi illum adeundum, cuius officina, tanquam copia cornu omnium ſcientiarum genera redolet illic voti cõpos fies,ex ſentẽtia res tibi cadet,hic tibi aderit vocatus Apollo. Nulla dabitur tuis votis procraſtinatio,aut dilatio, vnus eſt ex his paucis quos inquit Plato in Timęo, ſolos omnia recte ſapere, & intelligentiæ omnis magiſtros, nõ participes eſſe. Cum hoc (Vidam noſti) quẽ induſtria,ſtudio,ingenij acumine,varietate ſcientiarum,commentatione aſſidua, cõferamus neminem habemus,nullum tempus illi, aut à ſcribendo,aut à cogitando vacat, quo iam tantos proceſſus effecit,vt ad hæc ſtudia non excurrerit, ſed euolauerit. Hunc ſi attente audiueris Neſtorem cuius, (vt inquit ille) melle dulcior ab ore amabat oratio,

audies, Vlyſſis lacteum ſermonem percipies. Hic eſt cygni pullus, quem Gelelmus, & Leona Oſcaſala per ſomnum videre in gremio ſibi plumeſcere, & alis acceptis in altum volantē ſuauiſſimos cantus edere. Hic tanta hilaritate te accipiet, vt illū diem verè fortunatū dixeris, quo illius ad affabilem aſpectum te cōtuleris. Siue ſerio, ſeu ioco agendum ſit, hunc in amœniſſimis Socratis ſcholis educatum, & ſub Platonis diffuſa ramis platano eſſe dices. Nunquam eo fero pedem, quin inde doctior diſcedam, tu, qui ea doctrina præditus es, & admirabili ingenio, id lōge facilius aſſequere. Quod cum feceris te oratum velim, vt quod inde exhauſeris mihi id quoque impertias. A te præterea mi Offrede præſtantiſſime, omnique virtute maxime illuſtris, etiā atque etiam peto, vt me ames, & nos in tuo ære eſſe putiare, qui te maxime diligo. Vale bonarum litterarū grande decus. Andream Ronchadellum, cuius domui quicquid habeo acceptum refero, meo nomine ſalutabis. Ex ædibus noſtris CIↃ IↃ LVI.

FRANCISCVS ZAVA Ioſepho Oliuæ S. D.

TE varijs temporis, & locorum periclitationibus agitatum tuis admonebar litteris perdocte mehercle ſcriptis, beneuolentiamq; in me ſingularem, & perpetuum amorem tuum teſtantibus decimo quarto Cal. Ianuarij CIↃ IↃ LVI. datis ex lituania, quam vna cū Lippomano Veronen. Epiſcopo Caraffæ Pontificis Maximi noīe obijſti, quapropter non mediocri afficiebar dolore, omnium.n.rerum tibi cōmunione me adiunctum fuiſſe in ſingulis beneuolentiæ veſtigijs non ignoras,

ignoras, qua recordatione, nunc paruam nõ capio delectationem. Nunc te reducem ad tuos, ideſt ad Lippomanum Nepotem omni honore digniſſimum, nuper in collegium Epiſcoporum merito cooptatum, maximopere lætor, duplicique, & hac ingenti lætitia me affici fateri neceſſe eſt, hocque, & bono quodam numine eueniſſe nemo, qui diuinarum rerum expertus fuerit, inficias ibit. Tu huius dignitatẽ, & faſtigium præſagiſti, hic tuum aduentum prædeuinauit, vt alter alteri ſolatio, communique gaudio eſſe poſſit, quibus rebus ea lętitia ſenſus meos titillauit, vt quod magis mihi exoptandum eſſet, non mihi in aperto ſit. Te enim amo, hunc veneror, & obſeruo. Memini enim te quondam dixiſſe, hunc præ cęteris admirandum fore, quod nunc eueniſſe liquido apparet, multum mecũ hãc lætitiam fouebam. Sed quid in hoc moror, quando neuter noſtrum nulla huic alia ratione prodeſſe poſſit, quàm Deum Opt. Maximumq; rogare, vt omnia huic ad Reip. Chriſtianæ ſalutem fortunet. Hunc enim (vt ſpero) homines intuebuntur, vt quendam ex annalium memoria, non vt hominem ex longinquis nationibus, ſed vt e cęlo delapſum, in mortalium curam, & tutiſſimum patrocinium. Ad te ergo reuertar. Multum gaudeo te propius acceſſiſſe, accuſo tamen fortunam meam, mihi dulciſſimo tuo aſpectu frui non licere, ſi tecum enim eſſem me nullus fęlicior, ac beatior eſſet. Timon Alcibiadem ſuum admodum diligebat. Ego te præ cęteris chariſſimum habeo. Quid ergo facis mi Ioſephe animi mei dimidium, tui deſideriũ longo temporis interceptum interuallo, Lippomano tui iſtic exples? te totum habet, cupiditati, qua ego te videndi flagro, fieri ſatis ipſe Dijs gratias habet, & agit

te intuetur, mutuo aſpectu fruitur, vtriſq; affari alterum datur, quid Lippomanus? imo omnes, quibuſcum ab hinc paucis annis tua interceſſit amicitia te exoſculantur, & ſuauiſſimo tuo colloquio fruūtur. Ego vero qui ab ineunte ætate in tuam amicitiā ingreſſus ſum his omnibus commodis careo. Quando à negotijs vacarem nulla res meum iſtuc curſum retardaret, verum cū innumeri honeſto loco adoleſcentes nati, qui nobis tū domi, tum foris operam dant, non patiātur me ab eorū latere, & eruditione longius diſcedere, his te ſolum in præſentia viſam, qui ſi in nos talis eris, qualē te ſemper expertus ſum, quem oculis videre non potes, animo cernes, hoc enim mihi ſolum remedium eſt ad ſedandum tui deſiderium videndi. Multum me oblectat Platonis idea qua fit, vt animo meó ita inſideas, vt coram adeſſe videaris. O me fęlicem, quando huc aduentanti tibi occurram, teque totum amplexans diſſuauiabor. Huc aduola ſi per aliquam temporis opportunitatem datur, Automedontis celeritatem, vel ſuperato, tui omnes te deſiderant, ego te imprimis, qui tui expectationē amplius ferre nō poſſum. Cōſolare tandē tuo expectato aduentu chariſſimos tuos parentes, & fratrem animulam tuam. Quando votis noſtris nunc reſpondere non potes, dato ſaltem ad nos tuas ſuauiſſimas litteras. Meas tibi reddet Camillus Brumanus vxoris meę frater, ex qua iam ſuſcepimus, vt aliquid de ſtatu noſtro accipias, duos liberos viuit filia Iſabella nomine, meę deliciolæ breui augebimur liberis, annuente deo. Vale nos te omnes ſalutamus, à parentibus, & à fratre tuo te ſaluere iubeo, nomine meo equitem eundemque Epiſcopum Lippomanum ſalutato, eidemque plurimum de Epiſcopatu, quem nu-

per

per adeptus eſt, verbis meis gratulare. Cremo. XVI. Cal. Aprilis.

FRANCISCVS ZAVA Ioanni Gaſpareo S. P. D.

NEGLIGENTIA merito me arguere poſſes, quando tibi obſcurum eſſet, quibus negotijs aſſidue implicer. Quicquid tamen audio in bonam accipio partẽ. Id enim à te dici magis exiſtimo (ſi tamen aliquando ab ore tuo aliquod verbum amicitia noſtra indignum excidit) me inflammandi cauſa ad ſtudium litterarum varijs laboribus omiſſarum, quam me vllis laceſſendi maledictis. Ad ſcribendum inquies, prior te prouocaui laceſſitum non reſpondere ſummæ arrogantię mihi videtur. Verſibus tu quidem doctis me laceſſiuiſti, quod mihi periucundum fuit. Te enim vehementer ante amabam, cognoueramq; in ſcribẽdo, quæ tua eſſet in vtroq; genere facilitas, ex tuis non paucis ad amicos ſcriptis. Sed hæc tecum replicare, & in grege leuiſſimę plebis repetere (quod mihi nunciatur) vix credo, cũ doctiſſimis te iſta pertractare, haud vnquam crediderim. Ab his.n. facile refellereris. Quippe, qui nouerunt amicum ad ſcribendum non cogendum eſſe. Præſertim cum ſcribendi intercapedo beneuolentiam non tollat. Quod ſi crederem, ſingulis horis nedum diebus meas legeres, in ſcribendo enim impiger ſum. Sed quia teſtatam beneuolentiam noſtram, ita penes te fore confidebam, vt hæc ſcriptis vltro, citroq; miſſis minime egeret, in tempus magis opportunum id reſeruabam. Hominum nunquã eſſe, qui animis elatis, excelſiſq;, & virtute exageratis ſunt, non ignorabã, amicorum

corum ingeniũ non ex verbis, ſed ex rebus metiri. Cuius rei cum ſciam te peritiſſimum varietate ſtudiorum à te petam, vt qua beneuolentia me amare cępiſti, eadem pergas. Amoris.n.beneuolentiæque te remunerationem, officiorum, ſtudiorumque viciſſitudinem tibi nunquam aſpernaturum me profiteor. Teq; adhortor, vt ſcriptionibus non ſuperſedeas, quo tibi morem geram, non grauabor. Vale & me ama, noſtrosq; verſus ante lucem ſcriptos, quo animo damus lege.

FRANCISCVS ZAVA Ioannis Gaſpareo S. P. D.

QVANDO me ad tuam amicitiam te autore nõ cõtuliſſem, aliqua via mihi tentanda eſſet; quã id aſſequi poſſem. Tu enim ea humanitate es, ea induſtria præſtas, eo acumine ingenij excellis, eaqúe manſuetudinẽ animi, orationisq; te mihi patefacis, vt non me, qui te ſemper amaui; ab hinc ſex annos, ex quo cum Bartholamęo Zardino vtriuſq; amantiſſimo periucundam conſuetudinem habui; ſed quẽq; ad quem vix tuæ virtutis imago, & adumbratio perueniſſet, ad te amandũ allіceres. Ego vero, qui non imaginẽ tuam admiror, ſed te ipſum intueor, quid faciam, niſi me totum tibi dedam, & amori tuo me conſecrem? Valde oblector habere quàmplurimos amicos, ſed litteratos, beneq; moratos, qualem te expertus ſum. Non .n. homines tantum ex vita ſeruare ſoleo, quod tamẽ omnium plurimi facio, ſed etiam ex ſermonis grauitate, optimi teſtis, plerunq; candoris animi. Hoc tam gratum mihi eſt, vt tum fortunæ, tum animi noſtri beneficium, cum Craſſi diuitijs non permutarem, ſamnitiumq; auro ad

Curium

Curium longe præferrem. Quarè ſi me tanti facies, quanti à te fieri ſentio, nullorum hominum peſte, & inuidia à me alienaberis. Me natum tenuioribus parentibus, ſed tamen optimis, & maiorum noſtrorū cen ſu nobiliſſimis, his temporibus, quibus viges, his locis, qui non longo interuallo locorum vtrunq; ſeparāt, magis lætor, quàm ſi ditiſſimis parentibus, in fortunatiſſimisque inſulis natus fuiſſem in extremis oris, quo tua fama peruenire non poſſet, vel locorum aſperitate, vel hominum latrocinijs. Tamq; mihi gratum à te nutu ſignificari, ſi quid pro te hic poſsū erit, quàm quod gratiſſimum. Nihil enim mihi gratius eſt, quam tibi amicisq; tuis deſeruire. Vale Crem. Quinto Id. Maij CIↃ IↃ. LIX.

FRANCISCVS ZAVA Bartholameo Manfreto S. D.

EAM neceſſitudinem inter nos nō deſperabam interceſſuram ex animorum ſimilitudine, morum, vitęq; non diſſimili ſtudio, quæ vtriſq; iucunda, & ſi vſu eueniret perutilis foret. Verum multo aliter eueniſſe intelligo. Cum.n. diebus elapſis Caſale Moranum patriam meam recreandi animi cauſa, qui multo, varioq; ſtudio, & aſsiduo labore defeſſus erat, cuius rei ſcio, nec te expertem eſſe, me recepiſſem à multis accepi, & præſertim à Iacobo Ferrarino (caue ne dicas filio terræ) te verbis minime te, viroque docto, & probato dignis me laceſsiuiſſe, & nunc eniti, vt nomen noſtrum bonis gratum, quod maximi facio, lætor enim, vt dicebat ille apud Neuium à probatis laudari, inuidis, quorum obtrectationem, & maleuolētiam fretus recti, boniq;

niq; conſcientia nihil pendeo, quando inuidia non ex calamitate, ſed ex fęlicitate erumpat, irridendum exhibeas, & funditus ex frequenti eorum commemoratione tollas, qui me haud nouerunt, ſed animi noſtri integritatem, ingenuosq; mores noſtros per alios cognouerunt. Virum doctum qualem te multi prædicant in huiuſce nugis verſari, ex aliorũq; ſermunculis oblectamenta capere, admirabar, prudentem vero, qualem te accipio, alijs anſam præbere, dedecere, vnuſquiſq; vel intimę Philoſophie expers huius vitæ tantum communis expertus dijudicat. At CHRISTI ex præceptis viuentem in id vitij incurrere multo turpius nulli obſcurum eſt. Quid ergo dicam, te ne litteras meas tanquam alternm Ariſtarchum, quarum nullas accepiſti, niſi earũ fortaſſe aliquę, quas plurimas ad amicos dedi, in manus tuas, quod mihi periucũdum eſſet, fortuitu peruenerunt, Aſteriſco notaſſe? id minime crediderim. Quid.n. inſcitiæ in eo depręhendas quem non vidiſti? Mores fortaſſe noſtros in cętu virorum repræhendis? neq; hoc mihi quempiam perſuadere velim. Eſſet .n. perditi, & diſſoluti hominis (quod nec tu ires inficias) eorum vitam accuſare, quos minime noris. Non enim illud Zoroaſtri in te probarim. Homo quid moliris ſummo artificio compoſite, maximę audaciæ? nec te illum eſſe mihi perſuaſerim, qui quando errores in noſtris animaduertiſſes, tanquam egregius pręco illos in foro publicares, cnm.n. alienæ famæ detraheres, nec tuæ conſuleres, niſi illud penitus laudas. Malo ex maledictis, quàm bene factis laudem mihi cõparare. Quòd quàm homine indignũ ſit ex te cognoſce ſi quid ſapis. Nec ego is ſum, qui audeã dicere, in mea ſcripta nullos errores incurrere, penna aliquando decipit,

claudicant,

claudicant, & interdum noſtræ ex varijs curis cogitationes, & ſenſus aliquando fallunt, qui in officio ſemper eſſe nõ poſſunt, ſi qui in viuis ſunt, qui ſe errare, nõ credunt hos vel deos, vel ſolos ſtultos exiſtimauerim, non id quempiam meorum de me prædicare ſinã. Ipſe dixit. Quo tu ingenio præſtas, quaúe bonitate naturæ præditus, hoc mecum potius communicaſſes, quod inter amicos fieri ſolet. Nos vero, quibus vinculis virtus, quam in me exiguam eſſe ſentio. Idem ſtudiũ compulat, & ſi locorum interuallo deuincti ſumus; amore tamen maxime vincti eſſe debemus. Tuas expecto nõ vt Timantis picturam, ſed vt Lelij, & Agrippę omnibus admirandam Tabulam omni poſteritati cognoſcẽdam. Vale ſi in his aliquid errati offendes, illud Pitagorę ſuccurrat. Amicum ne oderis, gratia parui delicti. Cremona.

FRANCISCVS ZAVA

Bartholamęo Manfręto S. D.

MIHI admodum illud Socratis probatur, qui vitã cum morte cõmutaturus, licet cum fatis de ſalute concertaret, tamen eius diſcipulis, & amicis de animorũ immortalitate differentibus, qua de re eorũ foret contentio, auide tanquam grauiſſimi morbi immemor ſcire cupiebat. Nec immerito, quid enim turpius, quàm errare, & decipi, & in rerum inſcitia, atque inſolentia, hominem præſertim verſari? quid vero honeſtius, hominiq; magis aptum, & ad informandum animum ad veras, variasq; rerum capeſcendarum cognitiones conueniens, quã ea ſcire, quæ cupiebas? Illud etiam probant ſummi viri, qui aliena vitia, erroresq; corrigere,

& emendare paratus eſt, non debere ægre ferre, ſua ab alijs errata emendari, & corrigi, modo illud conſiderate, & prudenter fiat. Si itaq; quos in tuis proximis errores animaduerterim ad te exarabo nõ moleſte feres, itidẽ faciam ſi meos correxeris, & deleueris, modo cenſura digniſſima adhibeatur, & tales noſtri edantur partus, quos inops, & miſellus pater tueri non poſſit. Sed ſi qua opera, & oleo fecit, eadem alere, & ſuſtinere hic poteſt, extremæ clementiæ eſſet, innocentes damnare. Sic ergo in tuis ſcriptum eſt. Fidẽ præſtiteris. Apud Ciceronem, reliquoſq; claſſicos autores pręſtare fidem non eſt credere, quo modo tu accipis, ſed ſeruare, pro quo docti vſurpant fidem habere. Neque animi ſenſu miniſtraris, quod eſt in tua Epiſtola vſquã (quod ipſe ſciam) legitur. Illud vero celeſti viro nõ tuum errorem dicam, ſed calami, non enim credo te adeo cęcutire, & hallucinari, qui prima elementa ignores. Quod etiam in eadem fere clauſula eſt. Habebo ſatis feciſſe, non probo locutionem, niſi alicuius probati viri exemplo probetur. Obſeruo quidẽ apud Tullium, alioſque probatos autores habeo irę, habeo legere, more Græcorum, quod adnotarunt nõ ſummi tantum, ſed & minimi Grãmatici. Sed habeo legiſſe exemplum quæro, neque mihi ſatis probatur illa locutio quæ ſtatim ſequitur, præter quod arbitror. Obſeruo enim Ciceronem ſic loqui præterquã. ſolet & coniũgere præterquã quod. Id offendes ſępenumero apud Liuium, & apud alios latine loquentes ſcriptores. Illam nec Metaphoram nudam, & ſimplicem, & minime loco aptã laudo. Floribus fructus reſpondeant. Non enim hoc modo metaphoris adornãt ſcripta ſua docti. Niſi in malles illos imitari, qui ſic. Glaucia ſtercus curiæ.

riæ.

tiæ,morte Affricani caſtrata Reſpub. quod ſi probas huiuſmodi flores tu olfacito, & tentato, ſic enim Cybeli caſtius facies. Illic, & errorem pennę crederem iuando, ſcribitur enim iuuando. Et quis litterarum eſt tam rudis, & expers, qui in illum omnibus etiam, ſi vis qui prima rudimenta, & litterarum incunabula attigerint, nedum, qui in Scholis Grammaticam profitẽtur errorem manifeſtum incurrat, illuc ſe contulit? cũ enim ad me ſcribis dicendum erat iſtuc. Cum ad tertiã qua cum non loquimur illuc, quod omnes primæ claſſis pueri ſciunt. Magis etiam probarem ſi ſcripſiſſes nulla alia cauſa ad te non veni. Sublato de. Illud nanque Ciceronis in officijs qua de quis, quid ſentiat aliud eſt. Neq; illud admitto, conſignatę mihi fuerunt litteræ, non tamen eo inficias conſignare litteras, tabulas, teſtamẽta, & huiuſmodi res latine dici, ſed nõ hoc modo. Itaq; loco conſignatæ malebam diceres redditæ. Nec illud auribus meis probatur. Zelus honoris noſtri. Primum quia dictio non eſt latina, deinde, quia ſenſum illum non refert, quem tu credis Zelotopia enim eſt à qua, Zelus vel ipſa ab illo, ſi Ciceroni credimus, eſt obtrectatio, & ægritudo ex eo, quod alter potiatur eo, quod ipſe cõcupierit, & frui nõ poſſit. Non me fugit illud diuinæ ſcripturæ zelus domus meę comedit me. Verũ ſcis multa eſſe apud Theologos, quibus minime nobis vti licet. Solemus .n. nõ vſitura ſolum verba, ſed ſelecta in ſcripta noſtra trãsferre. Nec illud admittimus, quod eſt in tuis literis quẽ protegẽdi curæ fuit, dicerẽ ipſe cuius protegẽdi curam habeo, non.n.in præſentia ſuccurrit mihi curæ eſt docẽdi diſcipulos. Solet Cicero ſic loqui ſtudio videndi, cauſa legendi, & huiuſmodi, vt tradunt Grammatici. Illud

quoq; quod eſt ferè vltimum tuæ ſchedæ, non eſt eius ſignificationis, cuius tu putas, reputabis me virū. Nam reputare non eſt cognoſcere, vt tu accipiebas, ſed multum diuq; aliquid mēte pertractare, & recognoſcere, cuius rei omnes libri pleni ſunt. Hæc ſunt quæ in tuis literis curſim obſeruauimus, quę ſi aliquo modo defendere poteris, mihi pergratū feceris, egoq; Palinodiam libēter canam. A te autē quæro vt hæc in bonam partem accipias. Præſertim cum id egerim, ex præſcripto tuo Admones.n. me hebraice, vt os aperiam, id egi, nec credo te mihi mortem deprecari, illo verbo hebraico, eſſet enim hominis deſpicatiſſimi, & minime digni, qui inter homines recēſeretur, male illi omi nari, qui tibi conſtantiam, ſalutem, incolumitatem, fortunam, fęlicitatem, honorem precatur. Vale.

FRANCISCVS ZAVA
Bartholameo Manfreto S. D.

HAS obſignabam, quando mihi tuæ allatæ fuerūt, quæ mihi tā gratæ, quā quód gratiſſimæ ſunt. Cognoſco enim tuam humanitatem, tuosq; facilillimos mores, quibus ita conglutinas amicitiam noſtram, vt nullo modo diuelli poſſit, quare fretus te admonitum velim, vt in verborum delectu, qui eſt fons eloquentiæ, & in ſtylo, qui exercitatus eſt dicendi opifex, & magiſter, diligētiori ſis. Id aſſequere ſi Ciceronē in primis tibi imitandum eliges. Hic eam dulcedinē verborū, & ſentētiarum in animum imprimit, qua quiſq; allectus verba dura, aſpera, horrida, inculta, inuſitata, fugiat, ornata, mitia, grauia, ſonantia, ſeruet. Apuleos, reliquosq; diuinam eloquētiam deprauantes, & fęde maculantes,

culantes, quorum fęditate omnes boni libri turpificati ſunt, tanquam ſcopulos effugies. Te expecto, olere bene cōdito, cibisq; delicatiſſimis, & lautiſſimis te ſuſcipiemus. Neq; multum ambulando nobiſcum famē obſonabis (vt ille) dimiſſo enim ſtudio, & muſis quieſcentibus cor eſt in patinis. Vale.

FINIS LIB. II.

LIBER TERTIVS
Epiſtolarum Familiarium
FRANCISCI ZAVAE

FRANCISCVS ZAVA
Antonio Marię Vallę filio Rolādi S.D.

QVam in dicendo varietatē, & copiam admiror, Elegantia verba ſuſpicio, ſententias intueor, eum te fore, quem pater expectat, ciues tui deſiderant, amici cupiunt, ego imprimis, non deſpero. Tu vero iam incęptū iter inſiſte. Si enim in his humanioribus litteris hos progreſſus apud me feciſti, qui

mihi ſummæ admirationi ſunt, quid putem in legibus perſcrutandis te facturum? Cupiēti nihil difficile. Ingenio præſtanti omnia fęliciter ſuccurrunt. Quas ad me dudum dediſti ante has proximas, & ipſæ ea ſunt elegantia, quæ (vt omnia tua) me admodum delectarunt. Quanti præcepta noſtra putes facile cognoſco. Te Ciceronis leporem, politumq; ſtylum magni facere video, dicendi grauitatē ſeruare inſpicio. Quæ res quantum ornamenti, & ſplendoris tuo ſtudio ſit allatura, in patre tuo optimo viro expertus es. Hæc eſt illa præclara admixtio, quæ incredibiles excitat legentibus amores, nec minorem ſcribentibus delectationē. Quod qui non ſeruauerunt, leges illis verbis incultis implicarunt, & protulerunt, vt à paucis intelligerētur, niſi à multis illuſtratę fuiſſent, quæ tamen non ita illuſtratæ ſunt, quin maiore lumine illuſtrandæ ſint. Nulla eſt enim ſcientia tam alicuius ſtudio, & labore illuſtrata, quæ aliquod lumen maius alterius induſtria accipere non poſſit. Effice igitur, & tu quod, facile aſſequere (noui enim ingenij tui vires) vt mortales dicāt ſe habere, quod tibi acceptum referant. XII. Cal. Iulij ſcripſi ad patrem tuum virum optimum, ciuemq́ue præclariſſimum, quod quando faciebam ingenti afficiebar lætitia. Videbar enim cum illo loqui, & illius ſuauia verba accipere. Quod ad ipſum quoq; raro ſcribam in occupationes meas culpam reieci. Nec non à te literis nos vrgeri, quibus nefas eſſet non reſpōdere, illum commonefeci. Orationem meā ad te mitterem, ſed mihi ſublata fuit. Dij perdant huiuſcemodi fures, illum credo, quem tu bene noſti. Nulli.n. patuit mea Bibliothęca liberius, quàm huic ſcis quem dico. Mediusfidius tam grauiter hanc rem fero, vt quoad il-

lam

Iam non inuenero omne meum ſtudium mihi ſit futurum moleſtum, illuc enim collegeram omnia artis præcepta, quæ ad illam illuſtrandam ſpectant. Vale.

FRANCISCVS ZAVA Paulo Locadello S. D.

MIHI tandem redditæ fuerunt IX. Cal. Auguſti Datæ litteræ tuæ, præter has nullæ aliæ nobis à te venere. Periucundæ mihi extiterunt, tum quia à te, ideſt à mei amantiſſimo, honoriq; noſtro maxime (vt video) conſulaturo, tum quia ingenti flagrabam deſiderio de ſtatu tuo cognoſcere, & penitus admoneri. Quanquã tibi optime per Franciſcum fratrem tuum conſultum iri non diffidebam. Quod omnes tuos cõdiſcipulos, reliquosq; iubes me noĩe tuo ſaluere; id effeci te quoq; reſalutant. Ego vero te mi Paule adhortor, vt ſtrenuè ĩ rem tuam incũbas. Non deſpero, quin omnia quæ volueris aſſequaris, modo fratris tui mandatis ſaluberrimis parere non graueris, qui vt eſt illius ingenium mite, & natura comis, te non, vt Paulum, ſed vt maximũ amplexabitur. Ianuã hic quodãmodo domui veſtræ ad honores capeſſendos aperuit. Facile qui volent eius optima auſpicia ſequi, ad altiora peruenient. Iam ſpei, honorisq; veſtri fundamenta iacta ſunt, quæ vt non humi iaceant, ſed altius erigantur eadem exacta induſtria opus eſt, qua ſunt conſtructa, & ad hanc formã exædificata. Ad nutum omnia conſpirabũt, ſi hæc omnia Deo accepta referes, Franciſcoq; meo qui primus in domũ veſtram huiuſcemodi ornamenta detulit, tantum te debere fateberis, quantũ ſoluendo nunquã ſis. Quæ & ſi per maiores veſtros nobilitata erat, non

tamen

tamen hæc lumina acceperat. Quo tantum lætor, vt veſtrarum fortunarum particeps eſſe videar. Deos rogo, vt indies magis, magisq; hæc omnia fortunent. Sed quid eſt Paule, quod te multos profitentes haſce humaniores audiſſe ſcribis, quos inter Aonium illum, cui nullum ſcientiarum genus occultum eſt. Omnes quidem doctos, & eloquentes, ſed nihil ad Rolandum, & ad Franciſcum? Cauagninum quidem fateor multa eruditione, & doctrina eſſe. Zauam vero quam paruã quidem, & tenui, quæ tamen quantulacunque eſt, iam pridem Locadellis meis dedicata eſt. Sed nollem te in his hallucinari, & iudicio falli, quo me amore proſequeris, nec de me ea prædicare vellem, quæ minimè ſuſtinere poſſim. Scis .n. me habere multos æmulos, quorum maledicta refutare vel tibi difficile eſſet. Nec parum proficeres, ſi horum canina verba intercluderes. Sed eſto Parui ducamus occultas detractiones. Ita viuam, vt nemini noceam, quibus poſſim proſim. Tuq; effice, vt maiori me inuidia proſequantur, qui eos alũnos habeam, quibus gloriari poſſim, illorum ilia rumpantur, ſi modum inuidiæ adhuc non inuenerunt. Ego vero ex virtute tua ingentẽ capiam lætitiam. Nos omnes bene valemus, nullo interuallo laborẽ priſcum intermittentes? Vt nos crebro litteris tuis viſas à te cõtendo. Franciſcum tuum, meumque verbis meis ſalutato. Vale.

FRANCISCVS ZAVA
Sigiſmondo Brumano S. D.

Gratvs mihi fuit aduentus Baldeſaris Montiſuiridis, tum quia illum libenter vidi, quia ab eo de te, & de

de valla noſtro ea intellexi, quæ ſcire admodum auebam. Præclare vobiſcum agitur, quando in optima ſtudia, vt hic mihi narrauit ſic incumbitis, vt per vos patrio honori, familiæq́; ſplendori, & vtilitati optime conſulatur. Nec fore credo, vt aliquis in hac laudis cõtentione vos vincat, noui ardores veſtros in honorem, dignitatem, famam, maiorum ſplendorem, virtute, vigilijsq́; veſtris amplificandum. Illud, & mihi gratiſſimum accidit, & ſi nihil dubitabam, noui enim ingenuos tuos mores, Te à Camilla Brumana Raphaelis vxore optima matrona, matręq́; familias diligẽtiſſima nõ ſecus, atq; filium amari, à Cæſare eius filio ſtudioſo modeſto, optimo adoleſcente non minus quam fratrem diligi, quæ illius in omnes obſeruantia eſt qua naturæ bonitate inſignitus eſt. Tu quoq; Camillam, vt Matrem obſerua, & venerare. Tu hoc adoleſcente omnium neminem, quem pluris facias habeas. Vale.

FRANCISCVS ZAVA
Hieronymo Graſſo S. D.

GRATAE mihi fuerunt litterę Marci Antonij Belloni, ſunt enim plenæ humanitatis, & beneuolentiæ, quibus ita quenq; ad ſe obſeruandum nedum amandũ alliceret, vt qui tali affabilitate, & ſermone non caperetur, nulla humanitate illum præſtare dicerem. Verùm cum animaduerterim manu tua ſcriptas, maiori lætitia cumulari non poteram. Vnis enim litteris hoc effectum eſt, vt & nobiliſsimi Belloni, mei amantiſsimi ſermone fruerer, & charactere, litterulisq́; tuis loqui tecum viderer, præclare mehercule vobiſcum agitur, egô prudẽtiam veſtram admiror, imitari nõ poſsũ.

Binis enim litteris vix aſſequor, quod vos vnis. Sed de his hactenus, Ab Idibus Maij nullas à te litteras accepi, noſtras autem multas legiſti. Quoties .n. ad Bellonum virum nunquam ſatis laudatum ſcribebam, toties Hieronymo meo noſtras reddendas curabam. Et iſtas ad te non do, vt ad ſcribendum te prouocem, ſed vt tandem nos viſas, adhorter. Sic.n. facile cognoſces quantum Franciſcus tuus, vel potius noſter in litteris profecerit. Vale Marcum Antonium meo nomine ſalutato, te expectamus. Datæ veloci calamo, de multa nocte. Crem. Non. Decemb. CIↃ IↃ LX.

FRANCISCVS ZAVA
Io. Gaſpareo S. D.

NON æquo animo apud te mecum agi exiſtimarē, ſi quo amore te proſequor meorum ſcriptorum, qualiacunq; ſint non te participem facerem. Præſertim cum illa patrocinio tuo protecta multum exiſtimationis acceptura non ignorē, & te ſuum Ariſtarchum efflagitent. Raptim ergo diebus elapſis quædam carmina in Muſonium noſtrum cecinimus, hæc ad te, prius danda curaueramus, cui tuto cōmitteremus nō occurrebat. Nunc efferuntur, in tuo ęre ſunt. Complura habemus, quæ cenſuræ tuæ (ſi tamen per ocium licebit) tui enim imprimis commodi rationē haberi volo cōmittere decreuimus. Hic fortaſſe dices complures eſſe, quorum limato ingenio, laborata induſtria, probato iudicio ad manus vti poſſim. Id equidem verum. Sed quia iampridem eorum ingenium cognoui, horū opa vti non placet, de hac re alias plura. Vale.

Franciſcus

FRANCISCVS ZAVA
Petro Bonacurſio. S. D.

Nihil mihi optatius, litteris tuis optatiſſimis afferri poterat, has mihi reddidit Vectiolus noſter. Mihi gratum eſt noſtra tibi tantopere probari, neq; tamẽ id mirum, quando me ſemper vnice dilexeris, teq; pari amore proſequutus ſim. Et ſi id re tibi quod maximè volebã teſtari minimè potuerim; defuit tantum occaſio, animo.n.propenſiore eſſe non poteram, pręſens ipſe pereclitatus es. Si vnquam euenerit, vt per me aliquid aſſequaris, meum non deſiderabis officiũ. Quod autem ſcribis Orationem noſtram ad Clarum, quã plurimis probatiſſimis, maximeq; laudatis viris, Aonio imprimis, & Cæſarino placuiſſe, incredibili lætitia efferor. Lætor.n.ab his laudari, qui ſemper in laude vixerunt. Neq; hoc inuitamẽto ad ſcribendũ mihi quicquam ardentius, gratiuſq; offerri poterat. Dabo operam, vt iam curriculum inceptum inſiſtam, hiſque fortaſſe maiora propediem in lucem edemus, idq; eo libentius agam, cum quia ſcribis laboris noſtri fructus à doctis probari, tum quia ciuibus noſtris lucubrationes noſtras nõ diſplicuiſſe animaduertimus. Expectatione tua fortaſſe ſerius hæ noſtræ ꝑbreues afferuntur. Scis quantis occupationibus detinear. Cũ plus ocij nactus fuero lõgiores ad te dabo. Vale tuos, quos meos quoq; mihi ꝑſuaſum habeo amicos noĩe meo ſalutabis. Aoniũ maximè, & Cæſarinum quos ob illorum ægregias virtutes obſeruo. Cremo. Id. Mai. CIϽ IϽ. LVI.

FRANCISCVS ZAVA
Iacobo Bottatio S. D.

Qui iſtinc mi Iacobe veniunt, ſiue, vt pueros ve-

ſtrates, quorum cōplures domi eruditione, doctrinaq; illuſtrandos habeo conueniant, ſalutādi viſendiúe cauſa, ſiue vt illis à parentibus, proximiſque litteras reddant, mihi tuo nomine plurimam dicunt ſalutē, meque à te ſingulariter amari ijdem, nunciant, id quoq; perdiligenter, & amice in litteris, quas ad Bonifacium Carettum tui amantiſſimum das, fieri animaduerto. Id quod, & Petrus Ferrarius longa, & mihi iucunda verborum copia, cum primum huc aduolauit, cōfirmauit. Hac animi tua perſpecta bonitate, & beneuolētia, qua me abſentem proſequeris cognita, exiſtimaui diutius mihi non tacendum eſſe, ne me ſalutationis tuę mihi gratiſſimæ ignarum putares, neúe quādo intellexiſſes, à Caretto, & reliquis mihi nunciata, quæ illis mādaſſes, ſub ruſtico aliquo naturæ vitio, quod à me lōgè alienum eſt, notares, præſertim cum tu iam ſenex homo litteratiſſimus, magnæ exiſtimationis, tum apud ciues tuos, qui te ob ſingulares virtutes tuas, & modeſtiſſimos mores cariſſimum habent, tum apud peregrinos, ad quos nominis tui fama peruoluit, prius curaris, vt abſentes, vel per amicos, vel per litteras vna loqueremur. Vtrunq; tu perbelle (vt omnia) feciſti. Te quoque eodem modo reſalutaui, quod & ſi non mihi obſcurum ſit à Caretto, & amice, & curate factū eſſe, hac tamen occaſione oblata nolui mihi amplius deeſſe. Nec id facio, vt à te litteras eliciam, quas tamē ad me per latas libēter legerē, (quid enim à te profectum nō bonum, doctum, gratum, & iucundū)? ſed vt tibi ſignificem, quanti apud me ſis. Tu is ergo, eș quem omnes boni amant, quando omnes te totum bonum prędicāt. Tu is, quem docti omnes admirantur, quia omnibus litteris inſignitus es. Tu quem candidi, & ſynceri homines

mines intuentur, quoniam animi quodam candore, & integritate præfulges. Tu ille cuius multi prudentiã, temperantiam, animi fortitudinem, reliquaſque pulcherrimas immortalitatis dotes, æmulari nituntur, aſſequi vero minime valent. Tu inquam ille es, cuius præſentes colloquio libenter fruuntur, abſentes intereſſe cupiunt. Hæc & multo plura à Bellono, Caretto, Schocia, Boba maiore adoleſcentibus per modeſtis patrij decoris ſtudioſiſſimis, maximę ſpei, accepi, cognoui, intellexi. Quæ tantum ardorem mihi ad te amandum, vel potius venerandum inijcerunt, vt nihil mihi antiquius euenire poſſit, quàm de te, totoque ſtatu tuo, ſępe quæ volo, & opto audire. Interim dabo operam, vt tales filij veſtri ad vos reuertantur, quales vos maximè optatis, digniq; eſtis, & ego valde cupio. Quanquam iſtic non deſunt (quod ego à multis audiui) qui optimis noſtris incæptis, & inſtitutis obſiſtere conẽtur, illaq; quodam animi liuore, & ſuboſcura maleuolentia oppugnare tentent, quorum tamen maledicta, vt futiles, Tracumq; commentationes, & murmurationes, ſtudio, cura, opera, diligentia, vitæ integritate, debilitabo, & infringam. Ad hoc accedit nominis tui autoritas, quæ tanti eſt, vt cum inuidi, & obtrectatores, intellexerint te honori, nominiq; noſtro fauere, à maledictis deſiſtant. ego iſtic patrocinio tuo, Rolandi Vallæ integerrimæ fidei hominis, maxima Marci Antonij Belloni autoritate, Bernardiniq; Schociæ fauere, qui mihi omnium patronorum inſtar eritis nitor. Hic vero ipſe totus incumbam in vtilitatem natorum veſtrorum, expectationem veſtram, dignitatem, exiſtimationemq; meam, quæ tanta erit, quanta per te, Vallã, Bellonumq; meum, & Schociam, reliquosque laudis meæ

fautores

fautores licebit. Tu nomine meo Rolandum Vallam egregium, & illuſtrem Senatorem, Nattam per ſtudioſum nominis noſtri, Bellonum, Schociam, Ludouicum Caninam, cum primum occaſionem nactus fueris ſaluere iubeas velim. Vale Cremona XIIII. Cal. Iun. CIↃ IↃ LXII.

FRANCISCVS ZAVA
Io. Iacobo Bottatio S. D.

TAR ditatem mearum ad te litterarum, & multorũ menſium intermiſſione nunc libenter longiſſima Epiſtola corrigerem, quando id ocij ſcribendi in præſentia nactus eſſem, quo id ipsũ præſtare poſſem. Sed tot, tãtæq; ſunt occupationes, quibus aſſiduè diſtineor, vt nec cum amicis meis, ideſt cũ libris tandiu eſſe poſſim dum me eorum lectione recreem. Quod tibi pluribus explanarem, niſi & tu aliquando his publicis, priuatisq; negocijs maxima cum tua laude tuorum ciuiũ ornamento, & commodo implicitus, me nec cauſam meam agente ſatisfactionem acciperes. Non te fugit quibus nos inſeruire oporteat, & quam ſcenam, ſpectaculumq; ciuibus noſtris, alienisq; exhibuerimus, tibi cum litteris, verbisq; amicorum, tum re ipſa exploratum eſt, qua in re, vt tibi cęterisq; noſtri amantiſſimis ſatisfaciamus, exiſtimationis noſtræ haud immemores nos eſſe oportet. Sed quid hæc tibi? ceſſationem litterarum amore compenſabo, qua in re à nemine, qui te amat, qui plurimi ſunt, vincar. Te ſuſcepi amandũ, & colendnm, non te dimittam, quoad totus in te conuerſus fuero, id quod iampridem cęptum eſt fieri. Sentio me totum in Bottatium commutari. O' iucundã

&

& mihi gratam, nec tibi odioſam, inſuauemque mutationem. Non amplius cogemur vltro, citroq; mittere litteras, vna erimus, vna loquemur, vna habitabimus, vna ſedebimus, vna iocabimur, vna in litterarum ſtudijs delicijs noſtris frequentes erimus, nobis denique omnia noſtra amanter communia erunt. Interim hæc de noſtro ſtatu accipe. omnes valemus. in litetis nulla laboris intermiſſio, in ijs omnis noſtra exercitatio, & animi oblectatio, ijs noſtram iuuentutem alimus, ijs virtutis igniculis illam ſuſtinemus, quę iam illas emittit flāmas inſtar clariſſimæ lampadis, quibus iſtic magna cum nominis noſtri memoria breui micatura falſos, vanosque rumores arguet, & penitus obſcurabit. Magna expectato à ciuibus tuis, qui hic erudiuntur. Niſi enim me coniectura, quę ſępenumero nos deludere ſolet, fallit, tales illos habebitis, quos maximè à vobis expectare ſcio. Nomen meum, vel potius tuum tibi commendarem, niſi iam mihi perſpectum eſſet, te nihil antiquius habere, quàm eum tueri, quem amandum, & autoritate tua ornandum ſuſcepiſti. Hæc manu aliena ſcriptę noſtras occupationes teſtantur. Cōmunes amicos nomine noſtro ſalutato. A nobiliſſimo ampliſſimoque meorum auditorum cętu ſaluebis. Vale Crem. III. Idus Decemb. CIↃ IↃ LXII.

FRANCISCVS ZAVA
Alexandro Salmatiæ S. D.

TVAE perhumanæ, ac elagantes litteræ totam animi tui bonitatem, morum integritatem, miram in eos ipſos, quos diligis obſeruantiam exprimunt. Hinc præter beneuolētiam, qua tibi omnes deuincis, admi-

randos

randos verborum lepos, imitanda ſententiarum grauitas quædã elicitur, qua mirabiliter expolis pulcherrimas tuas cogitationes, quæ te omnibus admirabilẽ reddunt. Quod cum ipſe diligenter inſpexerim, non potui pigritiam meam nõ incuſare, qua retardatus nõ te litteris prius ad ſcribendum laceſſiuerim. Non .n. tandiu fructu iucundiſſimę conſuetudinis, quæ mihi ꝑ litteras oblata eſt, caruiſſem, nec tam ignaue ſermonem tuum doctũ ad me perferri tuliſſem, qui mihi iam familiaris tam factus eſt, ac ſi tecum ætatem totam vixiſſem. Tibi tamen polliceor me in poſterum mihi nõ defuturum. Quod ſi negotiorum magnitudine, nouo laboris pondere, ne id cõmodè faciam impediar, qua temporis breuitate potero, id certè præſtabo, vt ſi nulla alia re tuam erga me beneuolentiam cõpenſare valebo, illam literis ſaltem meis teſtari nõ deſinã. Quod vero diſcipuli mei ciues tui mirum, ac ſingulare modeſtiæ, & probitatis doctrinæq; exemplum apud parentes, & reliquos optimos municees ſuos reliquerint, non parum lætor, idq; non diſciplinæ, eruditioniq; meę illos referre, ſed deo acceptum volo. Teq; ita amplector, vt non in ſeruorum numerum, quod quando ſcripſiſti maximo pudori mihi fuit, te aſciſcam, ſed amicis, & veteribus, & recentibus (omnium pace id dixerim) te longe prępονam. Id re cum voles experiri poteris. Et ego iam tentaui, tibiq; rei tentandæ facultatẽ exhibui. Quando non mediocrem fortunę tuę conditionẽ, & prouinciam hic tibi obtuli. Quem tamẽ penes cariſſimã, & honeſtiſſimam Matrem tuam cõmorari malo. Quæ animi vtriuſq; oblectatio omnibus quæſtibus, & lucris præponenda eſt. Gaudeo etiam orationes noſtras tibi viro probato laudari, & iſtic nomẽ no-

ſtrum

ſtrum indies magis celebrari. Ad te breuis quoq; deferetur Oratio, quam dum primum Aeneidos librum auſpicijs, quibus potui maxima auditorum frequentia habui, exordirer, vt mox pleniori ſtylo rem contexerẽ. perge tu vero, & viam, quam incępiſti inſiſte. Breui.n. admirabiles in literis progreſſus facies. Interim humaniſſimo, dulciſſimo, honeſtiſſimo, mihiq; chariſſimo, cuius ingenium, & in literis iudiciũ valde probo, frate tuo fruar, quem totum complexus ſum, nec minus, ad ſi mihi Germanus eſſet diligo. Vale Cremo. Cal. Septemb. CIƆ IƆ LXIIII.

FRANCISCVS ZAVA
Andreę Lucio Neapolitano S. D.

PER opportunè mi Andrea ſuauiſſime heri mihi, è foro egredienti occurriſti. Egebam enim ſalutatione, & præſertim, quæ à tali viro proficiſceretur. Curis nãque non parum cupiebam, quibus ob aſſiduas occupationes obruor, leuari, ijs viſus ſum emergere te viſo, & ſuauiſſima tua oratione audita, qua omnium, qui te audiunt ſenſus inſpergis. Deſiderabã totam orationem tuam audire, tu quoq; neſcio quid effundere cupiebas. Tuo tantum deſiderio defuit occaſio, loci oportunitas, temporis ſpatium. Quod tibi heri denegatũ fuit omni rei exponendæ, & fortaſſe in aurem mihi dicendæ, commoditate ſublata, ſole pręcipitante, nunc eloquere, id calamo facilius præſtabis commodius chartula tuũ negocium perages ſenſus erunt ſolutiores, nõ impedientur vllo hominum interuentu exibunt ex animo tuo verba diligenter examinata, quę me oblectabunt, quoquo cadent. Tecum omnia penſitabis, priuſquam

litteris quicquam mandes. Me ſi amas, nobis imperti aliqhid tuorum ſcriptorum, non tamen eius generis, quo in Academicos noſtros, nimis enim aſpere, & petulanter, vt audio in eos inuectus es, neſcio quæ, ſcripſeras. Erit nobis medicina ſatis belle comparata, quo ſi quod vulnus in animo tuo quorundam maleuolorũ ſermonem exulcerato inhęreat curem. Non ſum tibi defuturus, profer tuum morbum, cauſa enim cognita morbi, curationem Medici facile reperiunt. Litterula ſaltem, & ea latina mihi languores tuos, quos heri tremulo ore ſignificabas aperi. Non deerit Medicina. quicquid edes curabimus, nec huius muneris vſuram penes te diutius morari ſinam. & me tui ſtudioſiſſimũ eſſe cognoſces. Vale, & me ama, quod fortaſſe facis. Cremonæ VIII. Cal. Nouemb. CIↃ IↃ. LXIIII.

E I D E M

SI quid ineſt animo, profer, medicina parata.
Turgida qua ſedem corda repente tua.
Adſit charta rogo, hac tu pandas vulnera, ſi qua
Contorquent animum ſollicitantq; tuum.

FRANCISCVS ZAVA

Andreę Lucio Neapolitano S. D.

EX omnium ſermone, qui mihi obuij fiunt in diuerſis vrbis, pagis, vicis, & angiportis, vt ſolet euenire inter ambulandum, nec iſti ſunt Deſides, vt e media plebe, & minuto populo, ſed e ſummo loco nati, & quibus credendum ſit, digni, intelligo te omnibus, Baiulis quoq; modo ij notas, & prima litterarũ rudimenta norint

ſint copiam facere illarum legendi litterarum exemplum, quas ad me proximè miſiſti. Id ſi ita eſt, probo conſilium tuum, quod vtinam cum prudentia iunctum ſit. Nec tibi parum gratulor, qui hanc vberrimã oſtẽtationis tuæ, vel potius doctrinæ patefaciendæ materiam nactus ſis. Macte vir ingenio, iam tandem audes effutire, quæ te omnibus, non ciuibus meis quorum te plurimi iam norunt, ſed exteris te notum faciant. Tu quod diu per me, & alios, qui te optime noueramus, virum tamen bonum, & ex illo ſimplici grege admirãdæ vetuſtatis, nec verborum longa ſerie, ſi nõ ſatis aptè coherente, at pro viribus ingenij tui poſita inopem, nunc demum id tanquam ſpeculo vidẽdum proponis. illas mediusfidius, quęcunq; eſſent, litteras tuas reſeruabam in quædam mea neceſſaria, quæ bis in die, vt plurimum, euenire ſolent. Vis illas palam proferri? proferentur, & in omnes orbis partes diuulgabuntur. Vna connectentur, quæ tu nimis oſcitanter, & ocioſè ab hinc non multis menſibus in Academicos noſtros nunquã ſatis dignè, & amplè laudatos viros ſcripſiſti. Et enim (vt audio) penes tui ſtudioſiſſimos, & intimos tuos illarum tuarum ineptiarum exẽplum eſt. Mihi vt credo non denegabunt. Quod ſcribis te nominis mei famę aduerſus neſcio quos obtrectatores, meos patrocinium ſuſcepiſſe, gauderem, ſi talis eſſes, vt meritò cũ illo dicere poſſem. Gaudeo Pater à te viro laudato, & laudari, & defendi. Sed vt maledicos fecem, & humani generis peſtem nihili facio, ſic tuum prçconium, vt debile, & exangue paruipendo, is enim ſum, qui me tueri poſſum, & aduerſarijs meis, ſi qui ſunt, parem gratiam referre valeam, non aliunde accerſito patrocinio. Nec expecto, vt mihi gratias agas, quas vt habeas, ne-

dum referas non expoſtulo, quod de te non ſim male meritus, cuius rei memoriam teſtaris, & ipſe tuis illis belliſſime ſcriptis litterulis, quarum qui volunt legendi copiam facis, ſatis mihi eſt in memoria de te bene meritorum, te non penitus ſurdum eſſe. Hac te ſola multum debes naturæ tuæ. Triumpho mi Andrea recordatione meæ cõſcientiæ, & animi ad bene de quoque merendum, quoquo res cadit propenſi ſtudio. Ego quoque, ſi vllo tuo beneficio tibi debeo, non ijs litteris me hoc ære alieno libero, nec ijſdem officijs compenſare volo, quibus me tibi deuinctum perſuaſum habes, ſed memoria id me tutaturum profiteor. Me de doctrina tua nõ ſatis dignè purgatiſſimis auribus tuis, nec ſat bene loquutum eſſe conquereris. Non eſt amicè, vt cõqueraris. Quid.n. de te bene loqui poſſim, neſcio, nec quid male loquerer tum habebam. Neque id profiteor. Non tecum verſor, nec mores tui mihi noti ſunt. Sed quorſum hæc? Fruere tuis ijs litteris, quæcunq; illæ ſint, non mihi certè placent, vt tecum amicè, & ingenuè agam, omni ſublata adulatione. Spartã quam nactus, vel actione, vel cogitatione, in quarum vtraque omis humana induſtria elucet adornaueris, nullam adhuc videmus. De te vero nihil dixi, quod & in medio foro non iterarem. Tuum tamen eſt credere, quod velis, ſi id Neapolitani mores ferũt. Nollem mi Andrea tam facile, aures alioquin prudẽtiſſimas tuas eorum lenocinio, & illecebris, blandoq;, & vt ita dicam meretricio ſermoni patere, qui tuæ fęlicitati inuident, quiq; ſtudioſè conantur, vt inter nos amiciſsimos aliquod diſsidiũ nouæ ſimultatis ſuboriatur. Fuge has ſentinas, & vrbis huius teterrimas feces. Ne decipiaris harum ſirenarum pſeudocantilena. Neſcis,

quod

quod genus hoc hominum ſit. Si vis, vt à te miſſas litteras legum, ſint tuæ, & latinæ, quod proprium eſt Cremonenſium. Ne mihi quæſo obſtrepas litteris alienis quãuis doctis, ſi quas ad nos dabis fac, vt agnoſcam ex tua officina profectas. Quantum enim in ſtudijs humanioribus poſteaquẽ à nobis deſeciſti, profeceris, facilè cognoſcam, ſin ſecus, cum noua palinodia reijcieris. Hæc omnia cum ijs cõmunicato, quorum ſtudio aſſeris te ad ſcribendum cõpulſum fuiſſe. Erunt fortaſſe, qui admirabuntur, quod ego maximè occupatus, non grauatus ſim tibi ocioſiſſimo meas litteras impertire. Ij ſciant me nil grauius ferre, quam cum non habeam, quo cum de litteris agam. Vale honori, exiſtimationique tuæ conſule. Ex ædibus noſtris, pridie Calen. Nouem. CIↃ IↃ LXIIII.

EIDEM.

Ite ſalutatum mea carmina, qui ſibi muſas
  Conciliat ſcriptis, qualiacunque cadunt.
Dicite me totum ſediſſe in pectore amici
  Huius ne ex animo diffluat omnis amor.
Sic mihi coniunctus, quo non coniunctior alter,
  Hoc pro ſum promptus mille ſubire vias.
Hac ſi non potero, ſuccurret tutior vna,
  Qua ſociem ſenſus diſſociati animi.
Dicite, quam ſcripſi mihi carmina grata ſalutem,
  Quem voueo totum viribus ingenij.

FINIS LIB. III.

LIBER QVARTVS

Epiſtolarum Familiarium

FRANCISCI ZAVAE

FRANCISCVS ZAVA

Horatio Scotiæ S. P. D.

VLLAM mihi maximam voluptatẽ ſemper duxi, & omnibus iucũditatibus, quibus humani ſenſus inſpergi ſolent, præferendam, nunquam dubitaui, quæ ex litterato ocio percipi poteſt, quod & tu optime nouiſti, quando in iiſdem ſtudijs mecum verſabaris, ideſt quando te Carrettũ, Bellonũq; totos meos laboribus meis illuſtrabam. At tuis ſuauiſſimis lectis litteris, quas ad me pridie Nonas Octob. dediſti redditæ vero I I I. Calen. Nouem. tanta letitia exhilaratus ſum, tanto aſperſus gaudio, vt nullã amplius præ hac, letitiam & voluptatem tantam agnouerim. Venerunt enim mihi litteræ tuæ â nobiliſſimo iuuene Horatio Scotia, & ab illo, quem vnice (ita mihi feliciter optata ſuccedant) ſemper dilexi, cuiuſq; beneuolẽtiam in dies illuſtriorem fore putabam, vt primum, quanti vtilitatem, honoremq; tuum fecerim, tibi illuxiſſet. Illud quoq;

quoq; me erexit de te bene ſperandum, quod mihi Bal deſar Salmatia tui ſtudioſiſſimus, cũ primum iſtinc ad nos venit de optimis tuis moribus narrauit; deq; ſingu lari modeſtia tua mihi retulit, & de beneuolentia omnium tuorum ciuium, quam tuis honeſtiſſimis actionibus, & ingenij manſuetudine tibi cõciliaſti, vel potius conſeruaſti. Hæc mi Horati, quæ elucent in litteris tuis, & quæ Salmatia omni ſermonis grauitate, & lepore de comitate, facilitate, affabilitate tua expoſuit, quem non ad te obſeruandum, nedum amandum impellerentur? Id profectò, eſt ſapere, & ad maturiorem ætatem progredientem admirabiles ſapientiæ fructus cognoſcere, & ſpecimen probitatis futuræ in eorũ animis imprimere, à quibus maxime amantur. Hoc cum ratione in gratiam redire, & illã expulſis tenebris cæleſtem venerem contemplari, quæ pulchritudine ſua, radijsq; ſuis interuenientes caligines pellit, quæ ſenſus illuſtrat, iacentes erigit, aberrantes in viã reuocat, ſenſus cum ratione conciliat. Hæc præmia virtutis in loco illuſtri ponit quorum participes fiunt, qui ætatẽ in optimis ſtudijs, & ponunt, & rerum in præclaras ſciẽtias enixe incumbunt. Vt vel maioribus ſuis, quorum virtutem laudis ſtimulo admirantur ſe æquent, vel poſteritati ſuæ nouo ſplendore virtutis illuceſcãt. Quorum ij ſunt meliori conditione, qui dignitatis fundamenta iacta ꝑ ſuos maiores domi reperierunt, quam ij qui nouum condimentum laudis, quæ prima poſteros ſuos illuminat, conferſerunt. Tu Franciſcum patrem tuum virum optimum, & virtute ſua illuſtrem, probitatis exemplum præclariſſimum, quem ſanctiſſimum virũ imitaris maximo, & ſplendori, & ſolatio eſt, & rerum arduarum maximum moderatorem, Principibus, pri-

uatis

uatis ſummis, infimiſq; charum in oculis geris, intueris, mente contemplaris, tanquam in ſpecula totũ apparentem, & in omnium ore verſantem. Nec Bernardinus frater ille tuus inclytus, & magnanimus, qui proximo anno Campaniæ præfectus, Caraffæ ſummi Pontificis mandato, quam prouinciam ſingulari prudẽtia, & conſilio adoleſcens rexit, paternę laudis æmulus, & imitator parum præſidij ad maiores tuos imitandos tibi erit. Hic ad laudem paternam, & auitam tibi currenti aſſiduum calcar ſuo ſtudio adiungit. Habes mi Horati quos egregie imitari poſſis, & debeas. Ne tibi deſis quæſo. Non longe ad vitæ tuæ curſum fideliſſimũ conſilium tibi quærendum eſt. Habes enim Matrem Iſabettam certè tanta prudentia ornatam, & præmunitam, vt eius conſilio ſummi, & clari viri inniti poſſent, quod ab illis accepi, qui illius ſanctiſſimæ matronę ingenium, prudentiamq; perſpexerunt. Franciſcum Coſtellum taceo, cuius amorem, & in te ſingularẽ beneuolentiam quotidiè experiris, fidem, & probitatem, vitæq; integritatem vides. Hunc ſi audies nunquam errabis, huic ſi parebis nunquã laberis. *In primis tua omnia ſtudia fac, vt in optimis actionibus cõquieſcãt.* tui omnes conatus à Deo dependeant. Hoc ætatem tuam regente, & in curriculo laudis modeſtiæ, temperantiæ, & continentiæ retinente rerum, & actionũ tuarum euentus omnes admirabuntur. Tu vberrimos fructus ex honeſtiſſimis vitæ terminis, & tanquam prædiolis capies, ego laboribus meis non contemnendis ſuauiſsimum ſolatium id mihi contigiſſe arbitrabor. Tu quod ſcis in re tua eſſe, & ad te maxime ſpectare in eo elabora. Matrem tuam, Franciſcum vtriuſque noſtrum verbis noſtris ſalutato, plurimam quoque Car-

retto,

retto, & Bellono, eorumq; parentibus noſtro nomine ſalutem dicito. Mea tota domus te ſaluere iubet. Nos omnes valemus. Antonius, ſcis quem dico, quem tu diſcedens mihi diligenter commendaſti admodũ nobis ſatisfacit. Quid? totus eſt in litteris. Valentinus Pozzebonellus cuius ſecure rationẽ reddat nihil ſcit, hic tanquam alter Pegaſus in aere pendet. Spero tamen cum breui, tum induſtria mea, & diligentia, tum Baldęſaris, quo cum eſt aſsiduus in eodem cubiculo, ſtudio, & cura, quam fidelem, & ipſe in eo erudiendo adhibet, ad maximam litterarum frugem peruenturũ. Tu interea illius patrem ſalutabis. Vale Cremo. Idibus Nouemb. CIↃ IↃ. LXIIII.

FRANCISCVS ZAVA
Flauio Fiocco ſuo S. D.

Tvae mi ſuauiſſime Flaui litteræ nunquam mihi ſeræ reddentur. Nec beneuolentia, qua te proſequor, quaúe te ſemper vt primum mores tuos caſtiſſimos cognoui, cõplexus ſum, occupationes tuas retardari velim. Noſtra neceſſitudo non confirmatur viciſſitudine ſalutandi, & viſendi. Ego potius, ſi mea opera eo temporis puncto eguiſſes, cũ hinc diſceſsiſti tibi præſto fuiſſem, nec te deſſeruiſſem, quoad à patria ſoluiſſes. Sis quanti ego te faciam, & quantum tuæ modeſtiæ apud me, non fictam, & ſimulatam, ſed veram & naturalem imaginem reliqueris. Quarè nulla excuſatione opus erat. Non te ad illa ſtudia, quorum ſemper, cum primum ſapere per ætatem potuiſti, deſiderio flagraſti, nõ te inquam ad laudem, cuius es ſtudioſus, adhortabor, tẽ ſolũ admonebo, vt ſaluti, exiſtimationiq;

& opinioni, quam hic de te reliquiſti apud probatos viros, & à te magna expectantes cõſulas. Id fiet ſi tecũ rationem inieris, quamobrem iſtuc profectus fueris, & ſi animi tui cogitationes, eò deduxeris. Noſtros labores inanes fore, ſi nõ tales ſumus, quales eſſe volumus; quam viam ad virtutem comparandam, quaſi cõpendiariam eſſe, & à me accepiſti, dum mecum in ædibus meis eiuſdẽ ſtudij particeps eſſe velles, & ab ipſa philoſophia didiciſti, cuius te admodum ſtudioſum, tunc oſtendebas. Hæc vt ſcis, intermiſsis grauioribus ſtudijs nobiſcum frequenter repetebamus. Ad quod cum te inflammatum viderem, non deſperabam, quin facile id aſſequereris, ſi modo in eum cætum hominum te recepiſſes, qui ſitim tanti deſiderij extinguere poſſent, per cõmodè id tibi accidit. Papiam enim omnium honeſtarum diſciplinarum nutricem, & parentem profectus es. Vbi præter legum fidiſsimos interpretes, nactus etiam es, quodam bono fato Columbanum noſtrum, hominem huius ætatis doctiſsimum, cuius mores, & litteras eas ſemper iudicaui, quibus quodlibet totius orbis, nedum Italiæ florentiſsimum ſtudium adornare, illuſtrare, illuminareq; poſſet, quibusúe omnium oculi in hunc conijcerentur, qui ſolus omniũ ſciẽtiarum notitiam laboret. Quarè cum pater tuus mihi dixiſſet te in iiſdem laribus, ad eãdem menſam diſcũbere mirabiliter letatus fui, tibiq; abſenti quadã lętitia in animo gliſcente gratulabar. Quippe qui pęnes illum eſſes, ex cuius ore melle dulciore, tanquam ex lacteo fonte verba fluentia excipere poſſes, cuius vim, dicendi copiam, vbertatem, fęcunditatem, incredibilemque verborum, & ſententiarum abundantiam, & grauitatem hic ciues noſtri admirabantur, quo

præ-

præceptore ſperabam te magnos, & admirabiles proceſſus in omni ſcientiarum genere, & præſertim in eloquentia, cuius hic principatum hac ætate diſertorum, eloquentiumque altrice tenet, breui facturum. Hæc me ſpes alebat, hac lętitia triumphabam.

At cum ſcribis te ab hoc homine à ſuis nunquam ſatis laudato, quem vt nunc laudem, nec hic anguſtiſsimus, locus exigit, receſſurum, quanta mœſtitia me affectum putas? Ergo noſtrum relinques, vt cum alienis ſis? à quo poteras in optimis diſciplinis erudiri, & in ſuauiſſimis moribus retineri diſcedes? Vbi poteras ſumma cum nominis tui exiſtimatione commorari diſceſſionem facere meditaris? Num illud Terentianum, triduum? Caue ne dum Balettos fugis in Boletos incidas. Noui conſtantiam tuam. Ne lęuitatis crimine quis te accuſet caue. Id à te fieri temere nec exiſtimarim. Quamobrem diligenter à te admoneri velim qua cauſa impulſus id agas, vt ſi aliquando euenerit, vt cõſtantiæ tuæ partes agam, & nominis tui patrociniũ ſuſcipiam, ijs obmuteſcere non videar, ſi qui fortaſſe erunt, qui leuitatis ſuſpicionem tibi exprobrabunt, ſcis quam ſint nonnulli moroſi in alienis moribus, & vitijs notandis. Audiui tamen illum noſtrum amicum, quo nihil antiquius habeo; ſibilis, & conuitijs, ſcindi, & alia quædam tanto homine indigna Socrate animoſius pati. Huius rei crebri ſunt rumores, quos extingui malim, quàm augeri. At crebriores indies fiunt. Scribe, argumentum nunquam tibi deerit. Meo nomine ſalutato Perſighellũ, & reliquos, qui è noſtra Academia ad illas altiores ſcientias euolarunt. Vale Crem. Idib. Decemb. CIↃ IↃ LXIIII.

TT 2 Franciſcus

FRANCISCVS ZAVA Franciſco Bellono S. D.

Hvi mi Bellone tot litteras te ad nos dediſſe? quibus Calendis quęſo, quibus nonis, quibusúe Idibus? Nullas tuo nomine accepi, præter illas, quæ cum litteris Caretti Marignano vna venerunt. Vtriq; eodẽ temporis puncto reſpondi. Erat enim mihi tũc ad manum iſtuc nuncius profecturus. Illęque vobis redditæ fuerunt, quod à Caretto, cum Mediolani eſſem accepi. Reliquas verò quis tulerit neſcio. Quæ ſi alicuius inertia perierunt, grauiter doleo. Nihil enim eſt, quod libentius legam, quàm eorum litteras, quos à me erudiri contigit. Scis ipſe quot, quantisq; occupationibus obruar, tamen ſi litterulam, nedum litteras à te accepiſſem grauiſſimis quibusq; occupationibus depoſitis quibus innumeris diſtineor, tibi reſpondiſſem. Non enim is ſum, qui in ſcribendo me vinci, facile patiar. Quæ porrò mi Franciſce cauſa eſt, vt in te aliqua penes nos ſuſpicio odij reſideat? Num quia aliquando ea feciſti, quorum nunc te piget? Num quia te aliquando, vt filium correxi, & qua beneuolentia patrem tuũ optimum, præſtantiſſimumq; virum, antiquę probitatis religioſiſſimum exemplum proſequebar, & indies magis proſequor, elaborabam, vt in tuorum Maiorum impreſſis veſtigijs te retinerem? Si huiuſmodi adortationes reprehenſione dignæ ſunt, id cum odio fortaſſe à me factum non inficiebor. At id amanter, ſummaque cum fide, & beneuolentia faciebam, & ſi interdum admittebas nonnulla, quæ ætas puerilis, vt plerunq; præceps, affert, non tamen eiuſmodi erant, vt te odio proſequerer, ſed quæ conniuendo mecum dequoquerem.

Re-

Reprehendunt, arguunt, increpant, obiurgant ſanctiſſimi parentes filios delinquentes, minimeq; eorũ ſaluberrimis mandatis obſequentes, ergo & parẽtes natos ſuos oderunt? Te amo mi Franciſce, nec vnquam putaui adoleſcentiæ, vel potius pueritiæ tuæ curã abijciendam. Sciebam enim cuius patris filium commendatum haberem, nec ignorabam quæ meæ partes eſſent, quam meam diligentiam ſperabam tibi perutilẽ fore, à teq; me maxime, amatum iri, ob curamq; hanc meam non diffidebam, quin induſtria noſtra à multis, quod euenit, deſideraretur. Quo genere perſeuerãtiæ confidebam me reprehenſione apud te cariturum. Demum quicquid tum agebam eò tendebat, vt vtilitati tuæ, exiſtimationiq; meę conſulerem. Tu nunc, quod ſcis tibi cõducere in eo te exerceas. Quæ ĩmortalitatis præconia Nicolaus patruus ille tuus, Italiæ quondam ex ditione, & imperio, quod habebat, vnà cum reliquis Cæſaris conſiliarijs, reliquerit non te latet, de cuius moribus, & doctrina nulla obticebunt ſecula. Hunc imitare, calcar hic addiderit omnibus ad laudem currentibus, tecum aliquando excogita quibus rebus poſſis, hanc breuem virum ſuperare. Vale Cremo. Calen. Decem. CIↃ IↃ LXIIII.

FRANCISCVS ZAVA
Horatio Scotiæ S. D.

TVAS pręproperas accepi litteras, in quibus ſcriptum erat, mihi redditum iri vnum ſeſtertium, vel vt nũc loquimur vigintiquinq; coronatos, id accepi. Tulit & literas, & numos vnus, e pueris Belloni. At Hieronymus Mozola ſcribit mihi, & filio ſe miſiſſe vigĩti & ſex.

ad

Ad eum reſcribo totum negocium,& rei ſummam. Nã & Belloni ſeruus fideliſſimus ſeſtertium tantum à te accepiſſe aiebat,quod cum tuis litteris conueniebat. Sed de hoc ſatis. Cur non me admones,num meę Romano ſermone ſcriptæ tibi redditæ fuerint,quibus reſpondebam illis tuis, quas Baldeſar Salmatia ad me tulit? Gratum erit admoneri de earum hoſpitio. Nollem enim illas aliquo ſiniſtro fato perijſſe. Mi Horati ſi me amas,nulla ſit dies,in qua lineam non ducas, & quamprimũ propoſitum tuum conſiliũ exequare. Nec Papiam ibis ſi me audies. Indies.n.crebriores,& noui excitantur tumultus,ſcinditur amicus,ſcis quem dico, nouis ſibilis, & vix ferendis conuicijs,cuiuſq; generis calũniæ illi vt audio inuruntur. Illũ tędet ſuſcepti honoris, vel potius oneris, ſingraphæ recẽtes quottidiè in eius domus poſtibus, & valuis affiguntur. Bis ille Mediolanũ ꝓfectus, eſt ad Senatus pręfectũ querelas, & ignominias ſuas detulit. Nihil profecit,nihil hominem illum gratiſſimum cõmouit. Inſolentiores enim, & infeſtiores,illi Barbatuli,iuuenes facti ſunt. Quamobrem ille profectionem ſuam hinc Papiam miſcellus deteſtatur,autores huius peregrinationis *abominatur*. Totus ille diuerſorum iuuenum conuentus ſurſum, deorſumúe. Omnia plena tumultus. Quarè alio intende animum tuum. Vale Crem. Non.Ian. CIↃ IↃ LXIIII.

FRANCISCVS ZAVA
Bonifacio Caretto. S. D.

QVID? à te non laceſſitus, te literis laceſſam? Id mihi per oportune accidiſſe haud negandum eſt. Tuas litteras deſidero. Voti compos non fio. Illorum fre-

frequentes lego vnde minimè ſperabã. Iis meæ quoq; redduntur, qua literarum frequentia, & mutua reſponſione vna viciſſim eſſe videmur. Qua gratiſſima idea, nec tua pręſentia, dulciſſimoq; colloquio careo. Gratæ tamen mihi eſſent & tuæ, quæ te totum mihi repręſentarent lepidiſſimæ, & doctiſſimæ litteræ. Quare cum ſcribendi argumentũ, tu nobis eſſe poſſis illas varijs, mirisq; rebus, & doctrina nõ vulgari refertas expecto. Interim te in priſtinis illis ſtudijs amica, & fideli adhortatione retinebo, quæ dum penes me exerceres, altius volatu Aquilæ aſcendebas, qua dicendi vehementia, & ingenij ſingulari præſtantia mirabilem expectationem altiorũ progreſſuum hic apud ciues meos reliquiſti, quos vt præſtes ad noſtri animi deſiderium, locus iſte, vbi nunc ardores, & impetus illos ad maiora properantes intercludis, quos incredibiles, & penè diuinos in te animaduertebam, quãdo faces animi tui, inſtar fulminis, quædam magna olim in te apparitura proſperum rerum tuarum euentũ nobis pręſagientibus portendebant, nõ ſat aptus videtur. Nec tamen ignoro iſtic in patria tua eſſe viros, quos ſi in florentiſſimis ciuitatibus audiuiſſes, ij tibi magnę admirationi futuri erant. Et ſcis quantum interſit inter publicos parietes erudiri, & periculum ingenij, viriumq; ſuarum facere, vbi ſunt eiuſdem laudis ſtudioſi, æmuli, & quaſi cõpetitores. Tu vero domi es, vbi nulla inter legum interpretes concertatio, vbi eorundem ſtudiorũ, vel nullos, vel paucos æmulos, vel potius riuales habes. Doleo ita te quamprimum illum videam, quem admirari poſſim, vna cum reliquis, qui te ob probitatem, & ſingularem virtutem tuam (Dijs annuentibus votis noſtris admirabuntur) pręſentem fortunam, & conditionem

tuam, credo te quoq; mihi ſocium eſſe in tanto, taliq;
dolore. Noui enim magnitudinem animi tui. Dices
tu fortaſſe quid igitur faciam mi Franciſce? Id æquo
animo feres, cui tu prudentia tua, excellentiq; virtute
mederi minimè potes, & tu quoad id aſſequutus fueris
quod maximè cupis, in hæc pulcherrima ſtudia, quorũ
non paruam conſuetudinem, & vſum hic à nobis acce-
piſti, incumbes. Tibi quoque aditus ad digniores, &
altiores ſcientias patefacies. Citius enim opinione
non noſtra, qui optimè nouimus ingenij tui fertilitatẽ,
ſed eorũ cauſa, qui te minimè nouerunt. Macte igitur
adoleſcens iſtic tenta, quibus foris immortalitatem
tibi pares. Vt cum fuerim particeps laboris, laudis
quoq; qua tu decoraberis, expers non ſim. Velim mi
Carette perſuaſum habeas te in aĩo ſic meo inſediſſe,
vt nulla dies memoriam nominis, ingenuorumq; morũ
& actionum tuarum ſingularis beneuolentiæ, qua me
vt cognoſti mores meos, proſequutus fuiſti, ingenij,
quo paucos tibi ſimiles habes abolitura ſit. Nec mihi
quicquam antiquius eſſe quam tibi, qua in re potero,
potero autẽ plurimis te.n.omniũ maximè amo, credas
velim obſequi. Nec vlla alia cauſa idibus Auguſti
Mediolanum profectus ſum, niſi vt te viſerem, vt vnà
tecum colloquerer. Matrem tuam lectiſſimã fœminam
nomine meo, Marcum Antonium Bellonum Auuncu-
lum tuum ſalutato. Vale, Cremona Calen. Ianuarij
CIↃ IↃ LXIIII.

FRANCISCVS ZAVA
Aonio Palliario S. D.

QVANDO cõmendationes, quibus apud eos vti-
mur

mur, quos ad iuuandum natos eſſe cognouimus perhumanosq; experti fuimus, in illis commendandis, qui nobis arctiſſimo neceſſitudinis vinculo iuncti ſunt, verborum copia contexendæ forent, & ſententias exquiſitas deſiderarent, longiſſimas omniq́ue concinnitate adornatas litteras ad te darem cum mihi rogandus eſſes, vt in fidem, amicitiãq; tuam illos acciperes, quos tibi vnice commendo, verum quia vtroq; horum ſcio te non egere, nec magis orationem meam te ſpectare, quam eorum moribus moueri, quos tibi commendatos eſſe cupio, id tantum ijs breuiſsimis à te contendã, vt Hieronymo Niconio, qui tibi has reddet, opera, ſtudio, beneuolentia qua tibi omnes obſtringis, nullo loco deſis. A te ea petet, quæ nullo tuo incommodo illi poteris præſtare, modo occaſio, quam & tu de illo bene merendi, cum Mediolani anno ſuperiori domi tuæ te conueniſſem per opportunam, te tunc habere dixiſti, ſeſe offerat. Hæc ſi in præſentia non erit, quod plerũque ſolet euenire, vt ex aliquo illuſtri loco commodè per te emergat enitere. Hic idem eſt quem tibi alias commendaui, in cuius commendationẽ litteras meas ad te ſcriptas, cum tecum Mediolani in tua Amalthea eſſem oſtendiſti. Hic te adeundi in hunc vſque diem varijs negocijs implicitus cauſam diſtulit. Tu prætérquam quod mihi pergratum feceris, ſi intllexero, & Hieronymus meus ſenſerit, non inanes meas ſibi fuiſſe litteras, ita hũc tibi hoc beneficio deuincies, vt de hoc bene promerituro, & bene promeruiſſe nunquam pigeat. Moribus eſt ſuauiſſimis ornatus, litteris politiſſimis, & imbutus, & non mediocriter eruditus. Huius conſuetudinem cum deguſtaueris, te nullum hoc fideliorem, humaniorem, tuiq́ue obſeruantiorem hactenus

in amicitiam tuam accepiſſe fateberis. Noui ipſe penitus hominis huius, & ingenium, & naturam. Vt mihi quamprimum gratias agat, te vehementer etiam atq; etiam rogo. Vale ſi quid poſſum, id totum tuum eſſe, tibi perſuauiſſimum ſit. Cremo. X. Cal. Mai. CIↄ Iↄ LXV.

FRANCISCVS ZAVA
Paulo Manutio S. D.

QVAM ſoleat ſæpe ingenij imbecillitas obeſſe, quantumq; eorũ excellẽtia, qui acumine ingenij, ſcriptorum ſubtilitate, ſententiarum pondere præſtãt à ſcribendo illos deterreat, qui tamen flagranti amore eos proſequuntur, ſingulari beneuolentia obſeruant, quos ſcriptis ſalutare non audent, mihi ipſi teſtis ſum doctiſſime, & humaniſſime Manuti: Crebro enim meas ad te dare volui, illas quoq; iam obſignaueram, vt iſtuc profecturis darem. Verum cum mihi ad quem ſcriberem ſuccurreret, ideſt ad Manutium, omniũ quos doctiſſimos varia tempora pepererunt, in ſcribendo diligentiſſimũ, politiſſimumq;, deterritus hominis autoritate, munus iam ſuſceptũ omittebam, malebamq; mihi hac in re deeſſe, quam delicatiſſimas aures tuas verbis meis incultis: & fortaſſe ineptis obſtrepẽdo offendere. Hæc anceps cura me inde inuaſit, cũ ſcriptis tuis adiutus cœpi ſummum, & optimũ ſcriptorem Marcũ Tulliũ interpretari. Et quo diutius hac in dubia cura verſabar, eo diuturniori moleſtia conficiebar. Cui ardenti ſtudio ad te ſcribendi cum amplius reſiſtere non poſſem, duxi mihi præſtare audacem eſſe, quam nimis timidũ. Ad hoc me inuitabat humanitas tua; quæ eadem in

omnibus

omnibus ſcriptis tuis elucet. Quæ non ſolum elegātiam illam referunt, qua cæteris excellis, Ciceronis faciem, & doctrinam referens, verum & eam Philoſophiam ſapiunt, qua docti tua ſcripta obſeruātes, iandiu perſuaſum habent te nullius ſcripta qualiacunque ſint, relecturum. Scito igitur me tui ita ſtudioſum eſſe, vt nihil magis cupiam, quam ſic in ære tuo eſſe, vt nullis alijs, quod tibi debeo repræſentem, quam tibi, cui plurimum omnium me debere prædico. Quod perſoluiſſe videbor, quando vel alicuius ſermone, vel litteris tuis cognouero, me à Manutijs diligi. Quod tamen non dubito. Tui enim egregij conatus, & immortales labores, ea animi beneuolentia, & ſtudio ſuſcepti ſunt, vt omnibus conſultum eſſe cupias. Argumentationis noſtræ facilis eſt cōplexio. Tui aliquam partem iam poſſideo. Cum enim ſuperioribus diebus mihi nunciatum fuiſſet, Iulium ſorons tuæ filium penes Baldeſarem Sucium in hoſpitio eſſe, nihil mihi antiquius fuit, quam iuuenem ex tam fęcunda prole, ad litteras, ad communem vtilitatem, virtutisque ornamenta, e cęlo delapſa conuenire. Diu illum in amplexibus tenui, te tanquam alterum amplexarer. Domum meam illum inuitaui. At non potui eum à priori diuerſorio abducere. Scindere veſtem nolui. Satis in præſentia mihi fuit vnum e tuis cognoſcere. Vale Cremona I V. Cal. Septemb. CIƆ IƆ LXV.

FRANCISCVS ZAVA

Cæſari Brumano S. D.

CVM in villam Violantæ Bobæ opulentæ, & nobiliſſimæ Matronæ perueniſſem illic duos dies, cum illa

nunquam ſatis laudata Matre familias, & eius cum nobili, & egregia familia commoratus ſum, cuius tem poris breuiſſimi aliquot horas collocauimus in conſilio capiendo, quanam ratione, & fideli deliberatione Emilio natu maiori filio conſuli poſſet. Illa tacita Oratione ſignificabat, optime conſultum fore filio ſuo, ſi ei contigiſſet domi tuæ has altiores ſcientias, quarũ cognoſcendarum apprime cupidus eſt, imbibere, & vna caſtiſſimos mores tuos exhaurire. Tandem, quod prius animi ſenſibus deſignabat, expreſſa Oratione protulit. Filium ſuum tuis auſpicijs illum euaſurum, quem ipſa ſperabat, & ille euadere cupiebat, mihi mãdauit, vt in reditu meo Papiam tecum hac de re loquerer. Et in eo ſermone, & diſcedens deſpondi me tam honeſto mandato nõn defuturum. Papiam veni, quo tempore ligurium diſceſſeras. Cum patre tuo viro ſanctiſſimo hoc de negotio paucis egi. Hic vt de omnibus eſt bene promerẽs honorificentiſſime mihi reſpondit. Id tamen integrum totum differebat in reditum tuum. Non diffido quo minus rem totam à patre iam cognoueris. Te vt noſtris votis reſponderes longa oratione rogarem, niſi mihi perſuaſum eſſet paucis tecum agendum eſſe. Id tibi tantum affirmo. Si quod optamus impetrauerimus fore, vt nunquam te pigeat de Bobis bene promeruiſſe. Habebis adoleſcentem modeſtum, & tui perſtudioſum, Gratum, & tanti beneficij ſemper memorem, ita tibi deuincies hanc virtute florentem, & magnanimis viris præſtantem domum maiorumque ſuorum maxime virtute illuſtratam, vt ex hoc vno beneficio magnam lætitiam ſcis capturus. Vale Cremo. Idibus Septemb.

Franciſcus

FRANCISCVS ZAVA Carolo Sigonio S. D.

Ne omnino me literarũ cõmercio abdicarẽ, ſtudiorũ humaniorũ vacationes, quæ hoc tẽpore paſſim dari ſolẽt mihi inanes prẹteriri nolui. Quod multis modis prẹſtare poteram, hunc mihi tñ in primis elegi, vt quos hac tẽpeſtate doctrina, maxime oĩum excellere audiebam, & oĩum ſermone de literis bene ſentientium cõmendari intelligebã hos litteris meis viſerẽ, & quanti illos facerem, quorum ſtudio, orationeque multis vigilijs elaborata, & perfecta in hoc munere interpretandorum maximarum ſcientiarum autorum adiutus profecerim, ſi non coram, at longe remotus litteris teſtarer. Quibus tantum debeo, vt vades, quibus meã fidem ijs obſtrinxi, nunquã reuocaturus ſim, harumq; tutela me nunquã abdicatum ire deſponderim, nec vitæ periculo, tam nobili à patrocinio diſceſſurus ſim. Per has enim mihi ianua patuit, ad mihi cum Paulo Manutio ſolidæ, & Germanæ virtutis effectore, & poſſeſſore amicitiam iungendam. Per has quoq; confido mihi aditum ad tuam beneuolentiam compatandam patefactum iri. Quod me facile conſequuturum, & ex ijs qui mecum de te, ideſt de ſingulari humanitate, & doctrina tua loquuti ſunt, didici, & ex humaniſſimis tuis ſcriptis cognoui. Quibus Liuium illuminas, Romanorum ius antiquum recenſes, quod ius Italiæ antiquitus fuerit renouas. Faſtos rectiſſimo ordine diſtribuis. Athenienſium Rempub. conſtituis, Tridua breuiſſime colligis. Quæ tua ad communem vtilitatem ſuſcepta ſtudia tam me incitarunt ad literas quęcunq; iſtæ tibi erunt exarandas, vt nefas mihi puta-

rim

rim tecum diuturniori ſilentio vti. Quare Carole, qui caros omnes habere ſoles, qui te amant, per humanitatem, quam tu profiteris, à te efflagito, vt has literas eo animi candore, quo te natura donauit accipias. Perfundor omni lętitia cum ad te, & ad Manutium duo veteris ſcientiæ lumina, meas literas perferendas ſcribo. Amplum mihi lucrum feciſſe ijs litterarum ferijs videor, cum mecum reputo tantam acceſſionem ad veteres neceſſitudines, quæ mihi vel familiaritate, vel vltro, citroq; litteris miſſis cum multis contractæ ſunt, vt omnium Rėgum opulẽtiſſimorum talenta ſuperare, vel potius negligere poſſim. Te vnice amo, id re teſtabor, ſi quando tibi id experiri contigerit. Interim nõ verebor a te petere, vt ſi ex fonte tuo aureo aliquid ad communem vtilitatem ſcaturiet, non patiaris me diuturniori ſiti confici. Tuos enim libros quos publicè legendos diuulgaſti iam helluatus ſum. Quod poſſum tibi offero. Amare hominis ingenui eſſe ſemper iudicaui. Quos benè promereri de Republica ſtudioſorum cognoui, hos obſeruo. Quæ ab amore & obſeruantia proficiſcantur tibi notum eſt. A me illa expectato, quæ cum ijs iuncta ſunt. *Vale, & mihi vel* vnis litterulis in tuorum amicorũ ampliſſimo numero, me repoſitum eſſe, niſi tibi graue ſit, cum tibi per ociũ licuerit, ſignificato. Quo nuncio nihil mihi gratius afferri poterit. Cremo. XIII. Calen. Sept.

FRANCISCVS ZAVA
Franciſco Robortello. S. D.

QVANDO homini datum eſſet, vt quæ mente contemplatur, ea oculis obijcerentur, illi hac beatitudine

 nihil

nihil diuinius contingere potuiſſet. Sic quando eue-niſſet illos ei præſentes videre, quos abſentes colit, & obſeruat literarum munere, & officio minimè opus eſſet. Verum cum hoc tanto beneficio careamus, neceſſe eſt, vt animi noſtri voluptatem, & deſiderium literis expleamus, & quaſi quodāmodo exhauriamus. Quas dum exaramus, cum ijs eſſe, & loquentium orationem excipere videmur, quorum colloquium, familiaritatem, & conſuetudinem affectamus. Hoc in me ipſo experior. Nam cum litteras ſuperiores ad te ſcribebam, quibus humanitatem tuam in manes Iulij Salerni omnibus probatam, commendabam, tanta lętitia afficiebar, & ſcribendo, & litteras illas obſignando, vt te intueri, & tecum loqui viderer. Quarum exemplum quoties lego, toties te, tanquam in ſpeculo contemplari videor. Id ſępiſſimæ facio, quoniam mihi eæ expreſſam effigiem tuam referunt. Quas ſi accepiſti non dubito, quin meum in te ſingularem amorem probes. Sed vereor ne aliquo aduerſo fato expectationem noſtram fefellerint, & antequam ædium tuarū ſanctiſſimū limen attigerint, quod viſere, & noīe noſtrō ſalutare exoptabant perierint, & negligentiæ culpā Tabellariorum, quorum diligentiam in ijs reddendis deſiderare ſolemus, euanuerint. Vt id credam nō difficili coniectura adducor. Nam quo tempore illas ad te dedi, & ad Sigiſmundum Brunanum, cuius ex ſororibus vna mihi in matrimonium collocata eſt, ſcripſeram. Is nullas à me litteras accepiſſe cum primum in patriam ex cognitione Patauinarum, & Phyſicarum ſcientiarum redijt, mihi dixit. Quæ tamen ſi tibi poſt eius diſceſſum redditæ fuiſſent, non is futurus eras, qui eorum litteris reſpondere grauareris, qui te cum pluri-

plurimum diligant, à te amari cupiunt. Idque vel litteris tuis, vel alicuius ſermone, qui iſtinc ad nos veniunt, cognoſcere exoptant. Hæ tibi ni fallor reddentur. De harum incolumitate vt me admoneres, à te admodum contenderem. Sed cum mihi humanitas tua per omnium ſermones, qui affabilitatem, comitatemq; tuam optimè nouerunt, penitus cognita ſit, id te admonere, mihi minimè opus eſſe video. Hoc igitur à te tantum petam, vt cum ſcias te à me obſeruari, diligas, & in eo amicorum numero me colloces, à quibus te coli, & foueri ſcis. Hoc ſi cognouero, nulli fortunatorum, ſi tamen aliqui ſunt, inuidebo. Pluris enim facio hanc tecum conciliatam amicitiam omnium fortunis. Tu ad eam ſeruandam, meam conſtantiam nunquam deſiderabis. Si quid tua ſumma cura, & vigilijs elaboratum, & omnibus numeris abſolutum, in frequentiſſimis bibliothecis reponetur ne tanto munere caream efficito. Tuas omnes cōprehenſiones, & cognitiones, quibus doctiſſima tua ſcripta ornes teneo. Et ijs adiutus maximam lucem, fero ſummis ſcriptoribus, quos in publico, & nobiliſſimorum iuuenum, cum externorum, tum *noſtratium* refertiſſimo Gymnaſio ſingulis diebus interpretor. Vale Cremona X. Calen. Octob. CIↃ IↃ LV.

FINIS LIB. IIII.

LIBER QVINTVS Epiſtolarum Familiarium FRANCISCI ZAVAE

FRANCISCVS ZAVA Sigiſmondo Picinardo Senatori. S. P. D.

CVm mihi non nulla Mediolani agenda me ad egregiam, & omni laude cumulatam ciuitatem iſtam adhortarentur, illa in primis cauſa valuit, qua Caſali iſtuc diuerterem, vt te viſerem, & aliquantulum tecum commorarer, non vt te intuendo penitus explerem animi mei propenſam voluptatem; ſed vt aliquando ſermonis tui affabilitatis particeps fierem. Alterum vt te viderem aſſequutus ſum, alterum vero mihi maxime deſideratum, propter occupationes tum publicas, tum priuatas, quibus ita diſtineris vt nulla hora tibi à labore ſit vacua. His te ad maiora reuocantibus breuius deſiderio meo mihi tecum eſſe licuit. Et quem tecum habere inſtitueram, negotiorũ tuorum nulla intermiſſio ſermonem eripuit. Maximo igitur ſolatio carui. Quo ne diutius carerem has dare

ad te literas volui, quas Petrus tuus, idemque meus tibi reddet. Sed tu fortaſſe dices, quã nam de re mecum locuturus eras qua tibi cauere poſſim, cum operã meam nulli deſiderari patiar? Id profecto eſt, quod te oro, vt proximis comitijs, quibus rerum variæ mutationes fiunt, & Magiſtratuum viciſſitudines renunciari ſolẽt, Petro meo proſpicias, huius natis cõſulas. Quos quia tibi chariſſimos eſſe ſemper cognoui, non verebor cauſam quoq; meorum filiorum tibi cõmendare. Quanta ſit tua autoritas, cum apud omnes, tum vero apud Cremonenſes quorum omnium ſalus tua virtute nititur, non ignoramus. Res literaria in quo ſtatu ſit optime noſti. Laborẽ haſce humaniores profitentiũ antiquam exiſtimationem ciuitas noſtra retinet, patrũ & Decurionum liberalitatem, & rerum ex priſca conſuetudine immunitatẽ nullam experiuntur, qui tamen iam multos annos in ciues ſuos liberaliſſimi fuerunt. Rem habes. Elabora, vt ciuitatis ornamento conſulatur, laboris parentum pro patriæ decoro vigilantium ratio habeatur, vt parem gratiam, qui pro patria laborant, ſibi referri ſentiant. Huius ſaluberrimi conſilij multos fautores habebis. Vale, & me quod facis ama. Cremona XIII. calen. Ian. CIↃ IↃ LXV.

FRANCISCVS ZAVA
Sigiſmondo Brumano ſuo S. P. D.

NOVI hominis ſimulacrum, pulchram mehercle veternoſi, & victi hominis imaginem ad me tanquam in Parrhaſij, & Zeuſis Tabula depinctam mittis. Macte noua virtute, ij veſtri ſunt ludi Theatrales, eæ veſtræ Scenæ, hæc fumoſarum imaginũ mira, vel potius miſeranda

rāda ſpectacula. Rides nunc Romæ eorū ignobilitatē, qui tanquā noctuæ lymphatæ hic nobilitatē tuā nocte inueſtigabant. Me miſerū, qui nō adſum tā oppiperis conuiuijs. Saliarem in modum me fortaſſe aliquis veſtrum acciperet. Nec me inertem haberet. Non mediusfidius diſſimularē, vobiſcū repueraſcerem. Digladiarer, ſi opus eſſet exagitarem ſtultitiam veſtram. Specimen fortitudinis ſuæ Treijcijs notis compunctus ſeruus meus daret. Gratulor tuæ Togæ, qnam Dij fortunent. Accepi litteras à Mathęo Rapario V. P. I I Summo Pontifici cariſsimo, meis delicijs, & amoribus, quæ me admodum delectarunt. Tum quia à tali iuuene, ideſt mei ſtudioſiſſimo, tum quia elegantes, & ſatis facetæ ſunt. Non enim carent illis facetijs, quæ ſummopere me delectant. Dij boni quàm prudenter hic adoleſcens prudentiam ſuam tegit. Huic nomine meo plurimam ſalutem dicito, & reliquis noſtris, Cęſari Brumano in primis. Nos omnes valemus, cura & tu valetudinem tuam, vt aliorum diligentius cures, noſti illud prudentiſſime dictum, Medice cura te ipſum. Cremona Idibus Decemb. CIↃ IↃ L X V I I.

FRANCISCVS ZAVA

Sebaſtiano Regulo. S. D.

Illvd hominis liberi, ingenuèq; educati, & ſapientium pręceptis confirmati, verum, & germanū bonum eſſe mecum cum primùm per ætatem, & maiorum monita ſapere potui, probaui. Non alia ratione amicitias veras dici, quæ virtute cōparantur, quam reliqua omnia, quæ vera bona dicuntur homini contingere virtutis munere, & beneficio. Quæ ratio eo me duxit vt illos verè beatos, & fortunatos exiſtimem, qui li-

 terati,

terati, & ijdem hominum vtilitati nati ſunt. Cęterorũ vero hominũ genus, pręſentis vitæ vmbram, & florem mane naſcentem, & veſpere cadentem dicam. Qua mea ratiocinatione nec me falli credo. Nam vt vnà cum corpore eorum memoriam interire videmus, quorum ignauia, & languida ſocordia totum vitæ curſum comitata eſt, ſic illorum nomina extare cognoſcimus, qui naturam ſuam longe aliam à beſtiarũ voluptate exiſtimarunt. Qui id aſſequi potuerunt, vt aliquo in numero ita habeantur, vt à malis penitus auerſi non ſint, hos certè diligendos, & amandos ſuſcipimus. Verum cum aliqui ſint, ingenio ita exculti, & florentes, vt ijs natura omnia largita eſſe videatur, eos arbitrio noſtro tam facile colendos ſuſcipere nõ poſſumus niſi illis votis noſtris annuentibus id agamus. Scito igitur humaniſſime Regule te ab hinc iã multis annis in animo, oculiſq; meis ita fuiſſe, vt qui te omnium maxime obſeruarunt, & voluntati tuæ pręſentes obſequuti ſunt nemini ceſſerim. Et qnod pręſens aliquo obſequio tibi pręſtare non potui, id abſens aĩo effeci, qui tuas admiratus virtutes, ex eorum numero eſſe cupiebam, qui mecum de te ſępe loquentes, te & humaniſſimum, & literatiſsimum, quod etiam ex tuis luculentiſsimis ſcriptis apparet, non diſcordante oratione, crebro ſermone vſurpant. Sed timore neſcio quo impeditus amorem erga te meum ſingularem literis tibi ſignificare non audebam. Vt autem auderem, effecit Simon è caſtro Bononienſi, qui vir eruditus, Sacerdos caſtiſsimis moribus, quales viros Religio Franciſcana ſemper peperit, perpolitus, omnibus iucundus, & affabilis, tibi affinitate (vt ipſe mihi retulit) coniunctus, cum neſcio quo bono genio in mentionem nominis

tui incidiſſemus, à me petiuit num mihi notus eſſes. Cui reſpondi, nõ mihi obſcuram eſſe doctrinam tuam, quam ipſe teſtatam omnibus in pręclariſſima luce reliquiſti, & me ingenti deſiderio ad te ſcribendi ſępenumero exarſiſſe dixi; quod maximum remedium eſſe perſuaſum ſemper habui, ad nouis amicitijs conciliandis aditum patefaciendum. Scribe inquit perhumanus eſt Regulus, ab eo humaniſsimas literas accipies. Neminem, idem ait, hoc in appetendis amicitijs magis ſtudioſum cognoſco, in hiſq; ſeruandis diligentiorem. Non igitur amplius verebor ad te ſcribere, tum veteri beneuolentia, occulta tamen hactenus, impulſus, qua re proſequutus ſum, tum adhortatione tanti viri, vtriuſq; amantiſsimi admonitus. Non diffido quo minus hæ literæ tibi gratæ futuræ ſint. Non propter verborum concinnitatem, & compoſitionem, qua tu mirifice excellis, ſed propter duas perſonas tui ſtudioſiſsimas, quas ſuſtinent. Neq; in his indagandis, & cõcinnendis ſtudium exactũ in pręſentia ponere volui. Satis enim mihi fuit, nunc ſolidam, & germanam mei in te amoris effigiem exprimere, cui ſi reſpondebis, (quod te facturum ſpero) & concinne, & compoſite ſcripſiſſe videbor. Vale, & quęcunq; noſtræ tibi reddentur literæ, illas ſcito ab tui amiciſsimo tibi venire. Cremo. octauo calen. Octobris. CIƆ IƆ LXVI.

FRANCISCVS ZAVA

Baldeſari Salmaciæ. S. D.

QVANDO ita mihi cõmodum eſſet, quoties cupio ad te meas dare, vt te in oculis ſemper fero, tu quotidie literas noſtras non bis, aut ter, ſed millies acciperes,

reſignares

reſignares, legeres. Flagro enim ingenti deſiderio te alloquendi. Quam ſitim etſi nulla literarũ frequentia & multitudine explere poſſem, literæ tamen aliquantulum meſubleuarent, & animum te videndi cupidũ, vel potius ardentem quodamodo refrigerarent. Sed quomodo id me Baldeſar pręſtare poſſum? Nã pręter quamquod locorum interuallo non paruo diſiuncti ſumus, qui recta iſtuc proficiſcantur neminem habeo. Nec omnibus literæ ad amicos perferendæ fideliter committuntur. Quas ſi neſcientibus quanto ſolacio abſentes ex litteris vltro, citroq; datis capiantur, damus, ſcribentium deſiderio ij abutuntur. Qua tanta negligẽtia miſeræ euaneſcunt. Quo efficitur, vt malim deſiderium per literas amicos alloquendi mecũ fouere, quam inani ſtudio, & ad te, & ad alios ſcribere. Nam ſi quando Tabellarijs ad abſentes literas perferendas damus, & illæ non perferuntur, grauius affligimur, quam ſi nullas dediſſemus. Huc nulla quotidiani, tam nocturni, quam diurni laboris, quo quantũ diſtinear ipſe optimus teſtis es, quem Deorum beneficio amplius biennio auditorem habuimus, excuſatio accedat. Non enim occupationes quotquot eſſent, quo minus ad te ſcriberem deterrere poſſent. Scis me nullum in ſcribendo impigriorem eſſe. Non te fugit à me literis multos ad ſcribendum doctiſſimos, & literatiſſimos viros ſuperioribus annis laceſſitos fuiſſe. Quod ſi omnino per ocium aſſequi nõ poſſum, id ſubſeciuis horis præſto. Noſtrarum igitur literarum tarditatis culpam, & loci nimis diſtractum diuerſorium, & tabellariorum ſocordia ſuſtinebit. Id emendare poterimus, ſi te Papiam cum Emilio Boba noſtro ad maximas, optimasq; ſcientias capeſcendas conferes.

Quod

Quod vt facias tum vtilitatis tuæ,tum nobiliſſimi adoleſcentis cauſa, te vehementer,etiam atq; etiam rogo. Ex hoc enim ſtudio quantam vtilitatem ſis conſequuturus, tum per te cognoſces, cũ has veriſſimas doctrinas amplexatus fueris. Id nunc ipſe experior. Calendis enim Octobris vnus è Franciſcana familia non mediocris Theologus,Philoſophus minimè aſpernandus, Dialecticus admodum ſubtilis in Diui Franciſci æde ludum, è ſcientijs maximæ germanis, naturali Philoſophiæ,& Dialecticæ aperuit. Secum duxit non nullos adoleſcentes in eundem ordinem cooptatos, miræ probitatis,& ſummæ expectationis iuuenes. Ijs à matutinis çerimonijs Ariſtotelis Philoſophiam naturalem explicat. Declinante vero ſole ad nocturna itinera locos,ex quibus argumenta depromuntur oſtẽdit, exorſus à nominis,& verbi ſignificatione. Quibus ſingulis explanationibus & ipſe, vna cum peritioribus domeſticis diſcipulis meis interſum. Harũ cognitione ſenſus meos non parum illuſtrari ſentio. Vtinam & tu ijs lautiſſimis conuiuijs adeſſes: Nihil reliquiarum faceremus. Vt rem paucis concludam. Nos ſumus Papiæ, Ferrariæ, Bononiæ, Patauij, & in çeteris florentiſſimis nomine literarum vrbibus. Sunt homine libero eæ ſcientiæ dignæ, ne iam grauere ijs & te dedere. Litteras Manutij legeres,niſi illas Baldeſar Sucius dediſſet Manfreto legendas, q Mantuã profectus breui expectatur. Cum primũ illarum poſſeſſor fuero exemplum ad te mittam. Nundum Sigonius reſcripſit, à Robortello quoque, & Regulo, Roſcellioq; literas, quibus noſtris reſcribant expecto. Nõ patiar à te illas diutiũs deſiderare, ſi ad me, vt ſpero, venerint. Tibi plurimã ſalutem Petrus Antonius Tollentinus iuuenis

ille

ille omnī laude dignus dicit, Antonius quoq; Agadius quem & noīe tuo ſaluere iuſſi te reſalutat. Tu à nobis omnibus multum ſaluebis. Sed plurimum à Camilla, & Baſilio, quibus tuo nomine ſalutem articulate dixi. Vale totā Bobiorum familiam illuſtrem verbis noſtris ſalutabis. Cremona, Calen. Nouemb.

FRANCISCVS ZAVA
Sebaſtiano Regulo. S. D.

Adeo negotiorum multitudine eram circunſeptus, & oculi ex ingenti diſcipulorum numero caligabant, quo tempore Foſſa noſter in patriam rediit, vt cum me nomine tuo viſiſſet, & plurimam ſalutem mihi dixiſſet vix illum agnoſcerem. Non lippitudinem vllam ſentiebam, nec quiſquam me lippum vnquam cognouit, tñ ita oculi tum mihi tenebris ſepti erunt, vt vix Foſſam cognoſcerem. Mox in ædium penetralia cum veniſſemus cœpi ſenſus diſtractos colligere, & de te ſenſim ab illo exquirere. Quod volebam, non quod dubitabam ampliſſimis verbis accepi. Me tibi in oculis eſſe. Id mihi admodum placet, me à te viro docto, & oībus probato diligi, & crebram de me tum coram meis Cremonenſibus, tum alienis mentionem fieri. Nec eo dementiæ veni, vt dicam me talis, tantiq; viri laudē non agnoſcere. Agnoſco equidem, laudo, ꝓbo, tuumq; hoc teſtimonium omnium probatorum virorū inſtar collaudo, nec tamen credas me gloriæ aucupem eſſe. Satis hoc mihi ſit, Foſſæ, & noſtratium nonnullorum aliorum teſtimonio, nos à te diligi. Tuarum mihi ſuperioribus diebus redditarū mirifica doctrina, ſingulariq; amore, quem mihi ſignificas mirandum im-

immodum delectatus ſum. Qui vt integer ſeruetur, te etiam, atq; etiam rogo. Calor me à ſcribendo deterret, varia, multipliciaq; negotia retrahunt. Vale igitur mi ſuauiſſime Regule, meq; Simoni noſtro (quod tamē commodo tuo fiat) commendato. Vale, vale doctiſſime Regule. Tibi Cremonenſes, reliquosq; qui mihi operam ad haſce humaniores literas capeſcendas, dederunt commendo. Me vero ſcito totum tuum eſſe. Cremona Calen. Iunij CIↃ IↃ LXVII.

FRANCISCVS ZAVA
Carolo Sigonio. S. P. D.

NOVEM menſes elapſi iam ſunt, cum ad te literas noſtras ad Manutium, Robortellum, Regulum perferendas curauimus. Horum literas diutius non deſideraui. Tuæ ſolum mihi incredibili deſiderio expectantur. Huius voti ſi compos, (quod non deſpero) fiam fortunatorum nulli inuidebo. Nec ſi ad ſcribendum te quodammodo vrgere videor mihi iraſcaris velim. Tuarum ſitim amplius ferre non poſſum. Huc calor acceſſit, quo indies hæc maior fit. Nulla gratior tātæ ſitis leuatio mihi afferri poteſt illa, quā ex tuis literis expecto. Te omnes vno ore humanum prędicant. Id limatis, & doctis, quas profiteris literis indicas. Aueo legere literas tuas, quin me ames, quanuis haud noris minime dubito, quo amore omnes tui ſtudioſos proſequeris. Tibi omnia ſecunda cupio, & vt huic audaciæ meæ, ſi tamen audaciam cenſes appellandā ignoſcas velim. Feror ingenti deſiderio tecum loquendi, nec id in pręſentia alia re facilius conſequi poſſum, quàm per literas. Vale doctiſſime Sigoni, & Zauam

 tui

tui obſeruantiſſimum eſſe tibi perſuadeto. Cremonæ Calend. Iulij.

FRANCISCVS ZAVA
Sebaſtiano Regulo. S. P. D.

HAEC fama iamdiu apud vos increbuit, tibi, tuiſq; ſimilibus omnium cõmendationes gratas eſſe, verum quo ſunt illi nobiliores, qui vobis cõmendantur, eo vobis eorum cõmendationem gratiorem. Bene certe vobiſcum agitur. Vnde enim vera laus, & nobilitatis ſplendor proficiſcatur, diu in Peripateticorum ſcholis verſati, vbi totum tempus triuiſtis, optime nouiſtis. Ecce igitur tibi. Nobilem quęris, ex nobiliſſima familia ortum, optime educatum, bene inſtitutum dignũ quem in fidem tuam accipias. Leandrum Marnium tibi cõmendo, iuuenem laudis, & gloriæ ſtudioſum, qui maiorum ſuorum imaginem ante oculos ſemper habeat, deſideras, ad te cõmodè, & ex animi ſententia hunc mittimus. A te hoc tandem petimus, vt quæ beneuolentia tua in omnes eſt, hunc totum amplexeris. Vt id facias cauſa mea non contendo, ſed *illius gratia*, & patris nomine, cuius autoritas apud nos plurimum valet, optimum laudis tuæ buccinatorem inueneris. Scotiam meum tibi eodem ardoris amore cõmendo. Vale, Cremona XIII. Cal. Nouemb.

FRANCISCVS ZAVA
Carolo Sigonio. S. P. D.

NON parum illos doctiſſime Sigoni peccare ſemper exiſtimaui, qui ex aliorum iudicio pendentes, alicuius

vel

vel mores, & virtutes ſuſpiciunt, vel in dubiũ trahunt. Ego elegantia, & ea omnium eruditorum conſenſu cõprobata ſcripta tua, cum primum in manus meas venerunt laudaui. Teque auditoribus meis in ſcribendo imitandum propoſui. Quod ab illis ſumma cum diligentia factitari video. Me enim audiente omnes tuos libros excutiunt. Ex quibus omnibus cum ſingulis ſplendor eluceſcat, ab eodem fonte ſimiles mores profluere, & ad priſcorum ſimplicitatem deriuari ratiocinatus ſum. Quod ab hinc anno, & eo amplius me impulit, vt meas ad te quæcunq; eſſent, flagrantiſſimo tecum loquendi deſiderio motus, literas darem. Quæ fuerint ne tibi redditæ prorſus ignoro. Scripſi tamen eodem iſtuc tempore ad Sebaſtianum Regulum, qui ſtatim mihi, quæ eius eſt humanitas, & in omnes amor reſcripſit. Eadem quoq; ingenij tui admiratio, quæ me tunc ad ſcribendum incitauit, paucis ab hinc menſibus admonuit, vt te meis denuo ſalutarem. Has dedi Tabellario per quàm fideli, & mei amantiſſimo iſtuc perferendas, fideliter tibi redditas nunciauit. Nunc has tertio ad te dare volui, impulſus iudicio, quod iampridem de humanitate tua feci. Quæ ſi perbreuẽ ſalutationem, & aliquod tui in nos amoris argumentũ ellicere poterunt, mihi pergratum erit. Quæ ſi mutæ erũt nunquã meus in te amor mutus erit, quem mutuũ malim. Has tibi reddet Leander Marnius, iuuenis & nobiliſſimus, & honeſtiſſimus, qui iſtuc cognoſcendarum legum gratia venit. Hic & ſi nobilitate familiæ, morum probitate, virtutum ornamentis tibi cõmendatiſſimus futurus eſt, tamen vt hunc in amicitiam tuam accipias, te etiam, atq; etiam rogo. Vale Cremonæ XIII. Calend. Nouemb.

FRANCISCVS ZAVA
Baldeſari Salmatiæ. S. P. D.

QVID tuis longiſſimis litteris mihi triſtius, quidúe iiſdem mihi iucundius afferri poterat? Me .n. primum grauiter pupugerunt, deinde non minus mire, quam Achillis haſta vulnus animo inflictum obſtruxerunt. Meis literis gratias ſemper non agam tantum, ſed habebo, quæ tanti apud te fuerint, vt tanquam Machaonis Miniſtræ, totum morbū leniſſimo penicillo abſterſerint. O' literarum igitur inuentores, vel Aſſyrios dicas, vel Aegiptios cōcedas, vel Phęnicas probes omnibus amandos, & in ſinu ferendos. Non eſt mi Baldeſar, vt te condocefaceam, quo modo, quæ cum omnium natura naſcuntur, feras. Noui enim te non minuti cuiuſdam hominis ad mala perpetienda præceptis indigere, & te ita eadem natura optima parente confirmatū, vt ſi quādo inſtar perfidę nouercæ te ſupplātaret eius dolis prudentiſſime occurras nec ab ipſa penitus ſterni ſinas. Nec aliam cauſam reperio, quamobrem tam facile conualueris, niſi quia cū fortuna, & vitioſa natura tibi nihil eſſe vnquā putaſti. Nō minori flagro deſiderio tuo ſuauiſſimo colloquio fruendi, quam tu mei videndi. Id vtriq; noſtrum in præſentia negatur. Nobis Ideæ Platonis ante oculos obuerſabuntur. Valeat vero ille, qui illas abhominans valere ſtomachoſe precabatur. Sed heus tu quibus Franciſcus Becius vir ille antiquæ probitatis, Senator ſummæ integritatis, me laudibus in cœlum fert, tanti ſcripta noſtra raptim data, aliena manu exarata, non puncto temporis examinata facienda putat? Dij boni quanti iudicium tanti viri facio, quanti eius apud me pręconium

nium eſt. Gaudio triumpho, quo tanti viri laudes tendant nõn ignarus ſum, nec decipitur. Non enim patiar veſtigia laudis iamptidem noſtræ impreſſa, & ferè calcata intercludi. Huius doctiſſimi viri teſtimonium omnium inſtar mihi eſt. Eius quoq; orationem, vt acutiſſimos ad laudẽ ſtimulos expendo. Sed quęſo, quomodò id preſtabo, quando ſpirandi mihi ocium nõ eſt? Mea igitur laus erit more Socratis quotannis ex Academia noſtra, (quod vt ſcis) faciamus, nouos tanquam ex æquo Troano proceres emittere. In hoc nõ mihi deero, quando nulla pręter hanc, occaſio mihi datur. Reliqua nobis beliſſime. Veteres ædium noſtrarum, quæ ad orientem vergunt parietinas demoliti ſumus, ad faſtigium reliqui tecti illas ſubſtruimus. Ad manum omnis ferè materia eſt. Auditoriũ longè priori elegantius effingitur. Noua loca Hyppodidaſcalis, quorum quamplurimos habemus formantur. Andreas, ſcis quem dico, in gratiam ferè rediјt, cum eo hoſte, vel potius perduelli, qui illius inteſtina, & ſemina penetralia occuparat, parum deeſt ad reconciliationem, duæ ad ſummum tres potiones extremum actũ conficient. Omnes mei, tuiq; tibi plurimam ſalutem dicunt. Ego te, tuumq; fratrem tanquam præſentes ſuauior, oſculor, amplexor. Valete Cremona nonis Nouemb. CIↃ IↃ LXVII. Franciſcum Becium verbis meis ſaluere iubeas velim.

FRANCISCVS ZAVA
Petro Prando. S. P. D.

TVA mihi grata, quoquo tempore redduntur; vel reddenda curas veniunt. Non enim quo tempore ad

me

me ſcribas, ſed à quo perferantur conſidero. Quæ igitur pridie calendas Octobris reddi mihi voluiſti. Scito V. Idus Nouemb. ad nos veniſſe, & tam incerto itinere, vt parum abfuerit, quia totum tuum, meumq; cum illis deſiderium perierit. Diuus Martinus nobis omnia reddidit. In celeberrimo conuiuarum cœtu, & virorum eloquentium, & adoleſcentium diſertorum mecum diſcumbentium literæ, verſuſque tui recitati fuerunt. Quanta cum attentione prætereo, quanta nominis tui cõmendatione taceo. Miro enim dicendi artificio vtrunq; genus compoſitum erat. Verbis meis plurimam ſalutem Franciſco Gõſagæ viro nobiliſſimo dicas velim. In cuius patrocinio cum per te repoſitus ſim; quæ maior ad fortunas meas acceſſio fieri poſſit non video. Mihi non parũ gratulor Rotam tanti fuiſſe vt in talis tantiq; viri amicitiam, tam facilè per illam me reuoluerim. Vale, & me, quod facis, ama. Cremona XV. calend. Decembris.

FRANCISCVS ZAVA
Rolando Piſoni. S. P. D.

NVNQVAM amicitia mi Rolande ſera fuit, eſt tamen vt de eius coniungendæ occaſione, & tarditati cõqueri poſſimus, nos locorum interuallo non ita diſiuncti eramus, vt alter alterum literis laceſſere non poſſet, vltro, citroq; mittendis, quo nihil commodius dari poteſt ad illius ianuas aperiendas. Verum quod literarum occaſione non accidit, bono quodam fato, & quaſi Deorum beneficio euenit. Cum primum enim in patriam tuam veniſſem, Aedem ſacrum, ex more, & antiquo inſtituto adiui, illic te inueni, in templo amicitiam

citiam noſtram auſpicati ſumus, quod omen mecum tacitè foui, & agnoui. Scis nihil antiquitus niſi auſpicato geſtum fuiſſe, quid verò ſanctius conſtitui poteſt, eo quod in Deorum aris ſuſcipitur, & confirmatur? Iam non dubitabis pręferre amicitiam noſtra illorum amicitiæ, qui tecũ ſolum literarum neceſſitudine iuncti ſunt. Ego te viſi, quod mihi, vt ingenuè fatear inopinato contigit, inde totum ſum te amplexatus, quo nil vtriq; iucundius erat, vt tum mihi videbatur, de me nil hæſito, te enim cum amplexabar, parentem meum amplexari videbar, de te autem dubitare nefas eſt. Tertium non datur. Nulli eorum igitur inuidebimus qui monumentis antiquorum fidei, & dextræ cõmendati ſunt. Ego cum per otium potero tecum litteris loquar. Quod quando præſtare non potero, præſens vterq; Baptiſta ſuſtinebit, quorum cum altero mihi antiqua neceſſitudo intercedit, cũ altero vero recens, qua tamen nihil antiquius mihi eſſe poteſt. Vale Cremo. pridie Idus Septembris. CIↃ. IↃ. LXVII.

FRANCISCVS ZAVA
Chriſtophoro Torniolo. I. C.
Cremeſi. S. D.

Tvas ad nos mi Torniole literæ ſolam ne legum, & iuris conſultationem, æquitatiſq; notionem redolent? an potius & oratoriam facultatem, & iuris peritorum doctrinam, & verborũ delectum penitus incluſam, & ſapiunt, & emittunt? in me agnoſcis humanitatem? Ego mediusfidius hanc profiteor, amorem meum quoq; probas, quæ poteſt humanitas eſſe ſine amore? in te quid non eluceſcit, nimirum & illa humanitas, quam beneuolentiam appellamus, & quam

eruditionem nominamus, manſuetudo quoq; & amor, in dicendo mira elegantia, in commendando ſumme laudanda breuitas, in re credita ſingularis fides, in vſu veſtrorum verborũ eximie obſeruanda dignitas, quorũ vnum quodq; ad te amandum, obſeruandumq; quemq; rapit, nedum allicit, ſic tu me capis, vt qui tuus vſu, & fructu eſſe volebam, nunc quoq; ſim mancipio, & nexu. Gaudeo equidẽ me huiuſmodi illecebris capi. Tuus nunc quid? non per libram, ſed per humanitatẽ, & elegantiam tuam. Te igitur quem de facie haud noui, literarum ſtudio, morum delectu penitus intueor, diligo, abſentemq; amplexor. Tibi quoq; perſuadeas velim, operam meam nunquam à filio tuo deſideratũ iri, ei nunc imbecillo aſſiduus ſum. Valenti, & corroborato firmiorem opem polliceor, neq; illam vnquam denegabo. Tum quia tuus filius eſt, tum quia ipſe is eſt, cui non petenti totum meum ſtudium deferã. Huc accedit Philippi Vailati in nos omnes propenſa beneuolentia. Tu nobis, qui in ęre tuo iam ſumus, patrocinio tuo caue. Vale Crem. v. calen. Decemb.

FRANCISCVS ZAVA Galeatio Marcho. S. P. D.

TIBI fortaſſe perſuaſeras mi Galeati cum ad nos filium tuum mihi cariſſimum remiſiſſes noſtras taciturnas? id nunquam efficies, ſed illas potius ellicies. Non enim mihi ſcribendi ad te occaſio deerit, crebras literas accipies, quibus te admonebo de filij tui modeſtia, temperantia, obedientia, & de eiuſdem in literarum ſtudia indies (vt ſpero) propenſiori animo. Quem igitur deſiderabamus habemus, quem nõ ſecus

ac

ac filium à nobis amari perſuaſum habeas velim. Quis illum non amaret, & bené moratum, & virtutis ſtudio flagrantem? operi diu intermiſſo, & tandem repetito extremam manum breui noſtris votis, Deo annuente imponemus: ille cupit erudiri, ego illum quamprimũ ad te eruditũ, & vſquequaq; politum remittere cupio. Vt tibi agam gratias, qui ad me remiſeris, quem vnicè diligo, quemq; auide expectabam, ne quæſo expectes, niſi prius effecero, quo mihi & agas, & referas nedum habeas pleniſſimas gratias. Vale, nactus occaſionem qua nobis prodeſſe poſſis, ne deſis, Plurimum autem potes, te oratum velim, iterum Vale. Cremona V. Calen. Decemb.

FRANCISCVS ZAVA
Scipioni AEſtienſi ſummo Antiſtiti
Eua. Caſalenſis. S. P. D.

Dvo mihi percommode ſuperioribus diebus dari cupiebam, ſcribendi ociũ, & nuntium cui iſtuc venienti meas tuto ad te dare poſſem literas; quorum alterum ſępenumero pręſto fuit, crebri enim à nobis iſtuc fidiſſimi nuntij diſcedunt. At quod maxime exoptandum fuit, mihi deerat, occaſio ſcilicet, & ſcribendi oportunitas, quæ mihi in hunc vſq; diem ita denegata fuit, vt nec animnm recreandi ocium eſſet, nedum literas exarandi. Nunc quod volebam nactus, exiſtimaui meæ beneuolentiæ, & obſeruantiæ eſſe, qua te cõplector, & colo, has tandem ad te dare, quibus & tecum loquerer, quo nil gratius mihi eſt, & te de ſtatu noſtro admoneremus. Omnes igitur qui iſtinc veniunt, ad nos adeunt, cum ijs multum de te loquor, & in hoc noſter

ferè omnis ſermo eſt. Quid agit veſter omni veneratione, & obſeruantia colendus ſummus Antiſtes, hoc anni inſolito calore? vt inſeruit valetudini, & dignitati? Valet ne? cuncta ne ad huius nutum ſuccedunt? omnia aiunt perbelle. Modeſtũ, & prudentem rectorem habemus, nil inuita (dicunt) agit Minerua, huiuſmodi eſt oratio noſtra, cum tuis, & meis Caſalenſibus. Nos quoque valemus, & id tempus quod à diuturnis laboribus nobis reliquum eſt ad manſuetiores Muſas deferimus, in recunditarum ſcientiarum ſtudijs abditi, illas literas excolentes, quæ nobis cordi ſunt, ſed permultiplices, & varios labores, quibus per reliquum anni tempus implicamur, & detinemur, illas minimè, vt vellemus ex animi deſiderio tractare poſſumus. Breui Paternum habebis virum, & te dignum, & oĩbus probatiſſimis, & literatiſſimis expetendum, qui cum tuis commodis inſeruiet, eundem tibi affingito Franciſcum te vt præſentem intuetur, fruitur, & obſeruat. Vale & me tuum eſſe ſcito.

FRANCISCVS ZAVA Robortello S. D.

Te rerum abditarum, & abſtruſarum maximum inueſtigatorem, cum ex tuis ſcriptis, quæ in manus meas peruenerunt, ex quibuſdam notis, & cenſuris ab hinc nõ multis annis editis animaduerti. At nunc te maximum Oratorem cognoui. Legimus orationem tuam, qua Salerni Morte contabeſcentes conſolaris, mæſtos, triſtes, & miſeros recreas, erigis, & ſubleuas. Qua eundem in Deorum numero apponis, qua illius ſingularem doctrinam in omnes orbis partes diffundis, &

poſteritati

poſteritati conſecras. Tantam in dicendo vehementiam in ea laudatione præ te fers, vt abſens adeſſe videatur. Iulius ſui deſiderium apud gratiſſimos, & literatos repoſitum ſentiat. Nullus eſt qui hanc tuam in Salernum laudationem legerit, qui non & illius virtutem cognorit, & tuam eloquentiam non admiratus ſit, beneuolentiam, & tuum erga illum amorem non probarit. Quare multum tibi debeo, nec parum me Salerno debere cognoſco, per te enim Salernum cognoui, per illum quanti probatos viros facias video. Scito igitur me totum tuum eſſe, idq; à Dijs immortalibus precari, vt Robortellus ſentiat quanti ipſum faciã, quem vnicè diligo, tanti à te fieri Zaua, ſentiat. Vale, hic ſit fœlix aditus ad tuam mihi comparandam beneuolentiam. CIϽ IϽ LXV. Vale Cremona.

FRANCISCVS ZAVA
Iacobo Antonio Mutio Cremonen.
Legato Mediolanum. S.P.D.

Non minima fortaſſe mi doctiſſime Muti repręhenſione tibi dignus videor, quod ſtatim vt promiſeram te non meis inſequutus ſim literis, equidem verum eſt. Ergo nemini dubium quin à te arguar, & dignas querelas animum grauiter pungentes audiam. At iſtarum querelarum vbi ſunt teſtes? nullum profecto video, neque damnatio ſequi debet, niſi damnum teſtibus aliquot probatum fuerit, vt veſtris legibus cautum eſt. Promiſſum non ſeruatum fuiſſe, quid tu damni feciſti? id ſi ſeruaſſem potius & damno, & incommodo fuiſſet. Te enim vt nugas noſtras legeres, quo nos amore proſequeris, à maximo, laborioſiſſimoque legum ſtudio

patriæ cauſa ſuſcepto auocaſſem, quo quid mihi moleſtius, & mea in te obſeruantia indignius accidere potuiſſet? Satius igitur fuerit commodum tempus expectaſſe, quo & tu à publicis negotijs reuocatus, noſtras tranquilliori animo legas, & nos breue hoc tandem tempus nacti hæc pauca exaremus à veteri maiorum conſuetudine exordientes. Si vales nos equidem valemus, ſic nos abſentes vt pręſentem te alloquemur, Parentes te progenuerunt, patria te educauit, & ſuum cognouit, nos tibi viam patefecimus, qua facilè ad eas ſcientias peruenire poſſes, quæ te, maioribusque tuis dignæ eſſent, quæq; domum tuam antiquitus illuſtraſſent, & auitæ virtutis veſtigia reliquiſſent. Virtus tibi per nos comparata te ád maiora non aſpirantem, ſed proxime accedentem. Quid parentibus, qui te ad maximarum rerum contemplationem nutriuerunt, debeas etiam, atq; etiam tibi meditandum eſt. Quid patriæ, quæ te ad tutelam ſuam multos annos fouit præſtare poſſis, dies noctesq; conſiderandum, labores vero, quos pro te ſuſcepimus, & pertulimus, amore quo me ſemper proſequutus es compenſare potes. ſed virtus quæ indies in te maiorem acceſſionem facit, vt omnium de te conſtantiſſime loquentium pręconiũ firmiſſimum eſt, quod ampliſſimum præmiũ, clariſſimi nominis gloriam ſibi propoſuit, antiquiſſimæ, & nobiliſſimæ familiæ? quod calcar habet? quæ notis impreſſa omnibus veſtigia non exponit? verum quo cum loquor? optimè & dignitati tuæ, & amicorum expectationi conſultum eſt, & patria quas gratias tibi referat habet. Nec tu illam partem quæ ad nos ſpectat omiſiſti, Id enim à te habemus quod ſperauimus, & quod ſummo deſiderio expectauimus. Iam tu perge ad maiora,

lora, Deo auſpice, qui tibi vtinam omnia ſecundet. Te obſeruamus, nos omnes; Vigilantem nepotem tuum verbis meis ſalutato. Vale, Cremona Cal. Ian.

FRANCISCVS ZAVA
Sigiſmondo Brumano S. P. D.

Ex diuturno ſilentio meo tecum, me tui oblitum eſſe vt argumenteris non eſt mi Sigiſmonde, ne quo crimine me accuſares eodem te remorderem. Nec eſt, vt diſputemus vter noſtrum magis à labore, ſtudio, negotioque vacet. Tu enim ſtatim eo decurreres. Nouæ, peſtiferæq; febres exortæ ſunt. Aſsiduus ęgrotantibus adſum. Longa, lataq; Roma eſt, à quam plurimis vocor. Aliquando, cum per ocium licet cum tuo Matheo ſum, Cæſarem noſtrum ſępe conuenio, qua conſuetudine nihil mihi antiquius eſſe poteſt, viſo frequenter Camillam eius matrem; qua cum ſi quando ſum, videor & cum matre, & cum tota familia mea Cremonæ eſſe. Quod reliquum mihi ocij datur, id totũ in phiſicis, & pharmacis ponq. Perbelle mehercle te defendis. Neque te ſatis probarem, ſi mea cauſa quicquam omitteres. Verum quo modo partes meas agam? ſi dixero mihi ſcribendi ocium nunquam dari, id haud credes, quando & in ſcribendo meam velocitatem noſti, & me non ita negotijs detineri, vt ſi non longiſſimis, at breuiſſimis literis noſtris te viſam. Neq; meę occupationes licet magnę, & aſſiduę ſunt, ſic mihi oſtrepunt, vt ſingulis tabellarijs iſtuc per equos expoſitos venientibus, meas ad te dare non poſſim. Quæ igitur cauſa eſt, quamobrem nõ ſcribã dices? Nempe illa, quia quotquot literas ad tuos fratres das, ijs me

ſaluere

ſaluere iubes. Id ſi non faceres cauſa eſſet, vt tibi pigritiam, negligentiam, ſocordiam, noſtri obliuionem, & omne quod recte putas à te officium fieri, nec ego recuſo, exprobrarem. Habeo tuas quoties ad Chriſtophorum meum, reliquosq; domeſticos tuos das, recte potes igitur hoc labore, & breui hac impenſa cartulæ ſuperſedere. Sed ipſe non poteram diutius ad te meas differre. Nos ergo omnes valemus tibique vt Dei omnia ſecundent exoptamus. Verbis noſtris Camillã, eiusq; ad ampliſſimos honores filium expectatiſſimum ſalutato. Ijs addo Matheum noſtrum, quem nomine meo cum primũ tibi occaſio erit diſſuauiaberis, pridie calen. Iunias. CIϽ IϽ LXVIII.

FRANCISCVS ZAVA
Paulo Manutio. S. P. D.

TERNAS tibi meas curaui ſuperioribus diebus reddendas, quibus has ad te dederam, nunciarunt ipſorum officiũ in hoc munere à me non deſideratum iri, fidẽ ijs habui, quippe quos optime nouiſſem, & qui mihi non paruis beneficijs, tenuiq; beneuolentiæ, & neceſſitudinis vinculo iuncti eſſent. Habuit & filius ſororis qui tunc Baldeſaris Sucij hoſpes, vt mihi dixit iſtuc venturus erat, noſtras ad te literas. Nullis tamen tuis has accepiſſe mihi ſignificas. Vt ad te ſcriberem hortabantur me patris tui ſuauiſſimi mores, quem licet per ætatem cognoſcere non potui, ei tamen plurimum debeo, & quibus me aliquo beneficio obſtrictũ video eoſdem obſeruo, & ſingulari beneuolentia proſequor, & cum literis te patre tuo optimo, literatiſſimo, politiſſimoq; viro nõ inferiorem cognoſcerem, quem in lite-

rarum

earum ſplendore æmulatus fueras, nec alijs rebus quæ animum & paternum, & generoſum ſignificant te ab illo degenerare mihi confidebam. Me quoq; Aldus tuus, & tali Auo, patreq; dignus, ad literarum dignitatem expectatiſſimus filius ſubinuitarat. Id feci libenter, neq; nunc has denuo dare piget, ex quibus ſi nullũ aliud ſolatium capiam, hac tamen fruar voluptate, vt cum tuas non legam, ad te ſcribens tecũ loqui videar. Scio te multis, difficilimisq; negocijs detineri, quod mihi iampridem ſignificaſti, & literis Sigiſmondi Brumani intellexi, aliquando tamen ijs te explices, vt cũ amicis liberè poſſis eſſe, qui à te non longiſſimas literas, ſed breuiſsimas expectant, quibus tantum ſignifices, & nouis amicis apud te locum eſſe, quando non amplius dubitas, ne Sigonij, Mureti, & alij quamplurimi ex amicitia tua diffluant. Ego te non tanti facerem, ſi tantum me tibi debere non profiterer quantum ſoluendo non ſum. Et quando me tuum mancipio eſſe non vis, patiare ſaltem nexu, qui quantus ſit neſcio, ſciunt tamen mei, & nobiliſsimi, & plurimi acerimiq; iudicij auditores, quibus quanti apud me ſis iampridẽ compertum eſt. Vale. has reddet vel Cęſar Brumanus conſobrinus meus, vel Mathęus Raparius à Summi Pontificis poculo meus diſcipulus, vel Sigiſmondus Brumanus, cuius ſororem in matrimonio habeo. Vale.

FRANCISCVS ZAVA
Petro Prando S. P. D.

SI amicitia noſtra ijs omnibus nota non eſſet, qui quotidiano ſermone noſtro & adſunt, & interſunt, verborum longo circuitu tecum agere non grauarer. Verum

rum cum ea ſit, quæ & ad poſteros ſit peruentura tibi non maiori cõmendatione mea commendabo, quam beneuolentiæ noſtræ termini exigunt. Id autem amor noſter expoſtulat, vt quam fideliſsimam curam, & diligentiam in rebus tuis à tui amantiſsimo, & ſtudioſiſsimo adhiberi velis, ijs noſtris quæcunq; ſint, adiungas. Mihi diffido, pro illo amore, quo quiſq; parens filios ſuos, licet deformes vt naturæ beneficio debet, preter modum proſequitur. Noſti quam cuiuſque amor ad ſenſus affluat, & cęca voluptate illabatur. Neque hic ſermonem vulgi, imperitorumq; nugas extimeſco. Nec Magni mouent me quando id obſeruo, & a grauiſſimis viris factitatum fuiſſe, qui libertis, amiciſq; ſuis ſua amputanda, amplificanda, ambitioſèq; vt dicebat ille, corrigenda mandarunt. Ego vero cui dignitatẽ, honoremq; meum commendatum eſſe volui? Prando, Dij boni cui viro? ingenuo, literato, ſummi iudicij, Ariſtarchi non diſsimili, omnibus virtutis ornamentis prędito, mei honoris quam cupidiſſimo, hoſti acerrimo meorum æmulorum, ne dicam inuidorum. Sed quid ago? mihi terminos conſtitutos prætereo. Additamenta, quæ vna cũ oratione mittimus eadem cenſura examinabis. Ego locis ſuis illa inſeram. Vale hunc laborem quem fortaſſe nimis impudenter tibi impoſuimus, ſi tanti me facis quanti ſcio, & omniũ pręconio fieri intelligo, æquo animo feres. Iterum vale mi Prande cum noſtro & doctiſsimo, & ſuauiſſimo Hermano cui verbis meis plurimam ſalutem dicito. Cremona XVII. Calen. Quint. CIↃ IↃ LXVIII.

Franciſcus

FRANCISCVS ZAVA
Laurentio Cęlio ſuo S. P. D.

GRAVITER peccarem mi Cęli, omni genere laudis cumulande, & Cęlum ipſum fortaſſe offenderem ſi ijs literis, non operam darem, vt in tuis intimis amoribus aliquem locum haberem, eumq; conſtantiſſime ſeruarem. At mecum pręclare actum eſt, quando & multorum vtriuſq; ſtudioſorum ſermone mihi probatus, corã ſumma animi vtriuſq; lætitia cognitus, & voce mecum retenta, & quodamodo cõpreſſa pudore vtrinq; ſilentium imperante, numero pręclarorum virorum, quos paucos ætas hæc admiratur repoſitus, ac reſeruatus vigeas, & mecum tanto amore, tantaúe ſynceritate, & oĩum qbus nominis noſtri fama chara eſt, animiq; puritate cãdidi copulatus ſis, vt quẽ tibi in beneuolentiã, & verbis, & re ipſa confirmata pręponam non habeam, quem tecum conferam, pace omnium, quęrere adhuc non deſinã. Mea tibi Cęli probantur, lętor me à viro florente, & laudato cõmendari, ijs noſtris putãs inuidos ad extremam inſaniam miſerè compulſum iri? Verum ſi inſanient, qui erimus cum tanto nunc furore efferantur, qui tamen multis ſapere videntur? Vis vt tuo periculo, quędam quæ plurima domi habemus in lucem prodeant? id fiet, ſed caue ne ſi illorũ ilia rumpentur malorũ iliadum miſereamur. Tuus totus ſum ad alia vocor. Vale, ex ædibus noſtris XII. cal. Aug.

FRANCISCVS ZAVA
Troilo Guazono ſuo S. D.

MIHI enitendum putarem ſuauiſſime Troile, ad id impetrandũ quo tuo ſtudio, & diligentia nunc pręſtari

cupio, ſi non illo vinculo noſtra ſtudia iuncta eſſent, quo nihil arctius eſſe poſſit. Tu legum ſtudioſus, ego humaniorum literarum amator, & cultor. Tu in illarũ poſſeſſionem iam ferè pedem poſuiſti; & quid in illarum decreto clauſum ſit non ignoras. Quò earũ fines tendant, licet admodum adoleſcens ſis, non te vt admodum acutũ, fugit. Ego quoq; quæ meæ partes ſint ex veteri præſcriptione cognoſco, & illas ſic tracto, vt nullus induſtriam meam deſiderare poſſit. Iis tecum diligenter examinatis nullam affinitatẽ, nullam agnationem, & ſanguinis coniunctionem noſtræ ex pulcherrimis literarum ſtudijs copulationi conferendam, tu ipſe locupletiſſimus teſtis es. Quare tibi rem meam tantum commendo, quantum non ex iure, ſed æquitate tibi commendari, & noſtri amantiſſimo tradi poſſe videtur. Rem non explico, tu ipſe totum cognouiſti. Vale, & Franciſcum tuum, quod facis, ama. Ex ædibus noſtris XI. cal. Aug.

FRANCISCVS ZAVA

Troilo Guazono. S. D.

LAVDO, & ſummoperè probo, literarum tuarum excurſionem, qua mihi apertè ſignificas quantum Iuriſconſultis debeas, & quem ex iis, qui merito hac humaniores literas profitentur, candorem in dicendo, tanquam ex clariſſimo fonte exhauſeris. Et hoc in te non parum miror, qui in tam iuuenili ætate humaniorũ ſcientiarum, & iuriſperitorum cognitionem, diſcrimen cognoſcas. Verborum, & locutionum diſſimilitudinem internoſcas. Vtriuſq; partis beneuolentiam

tiam non diſiungas. Quid enim à præſtantiſſimis viris aliud audimus, quam Bartholi inſignem barbariem, nõ ſecus euitandam iis, qui in ſacras leges incumbunt, quàm in periculoſo mari Nautis deliteſcentes ſcopulos? Tu nundum (vt opinor) vigeſimum annum ingreſſus, hæc vitia in Bartholo, alijsq; quàmplurimis legum interpretibus animaduertis, eos ſcilicet inconcinne, inepte, aſpere, hiulce, dure, inculte, & deniq; barbare loqui. Qui vero has humaniores literas excolunt, exercent, tractant, digne profitentur, hos tibi tanquam diuinitus progenitos admirandos dicis. Commendo graue iudicium tuum mi Troile, & tibi nomine omnium, qui Grammaticam, cuiusq; maxime ingenuæ, & liberæ doctrinæ, fideliſſimam nutricem, & ducem blandiſſimam profitentur, gratias ago. Et miſſa Achillis tabella, non eſt vt dicas te tantopere in amorem meum deuolare cupidum eſſe. Quando te illũ iam agnouerim, quem omnibus modis ad amandum ſuſceperim, & ſi poſſem, multas horas in doctiſſimo ſermone deguſtandum concupierim. Vtinam mihi illa occaſio ſeſe offerat, vt de te poſſim ita mereri vt tuis moribus, & te, & nobiliſſima familia tua dignis me iandiu tibi obſtrinxiſti. Te, vt breuiſſime dicam, amo, & vt me ames pleniſſima ſingularis beneuolentiæ argumenta ſubijciam. Tu operam dato, vt me in ære veſtro ſerues, nec te cogam vllam facere, quam ſi tamen vorſuram facies tam ſarciã, vt nihil damni, per me ſis facturus. Quod mihi tam diligentem operam tuam polliceris, tantũ mihi gaudeo, vt fortaſſe, quid? imo plane tibi applauſurus ſim, cauſam noſtram à me breui coram accipies. Tu quia mecum tam humane agis, vt nihil humanius arbitror meatum partium eſſe

cupio, ſi non illo vinculo noſtra ſtudia iuncta eſſent, quo nihil arctius eſſe poſſit. Tu legum ſtudioſus, ego humaniorum literarum amator, & cultor. Tu in illarũ poſſeſſionem iam ferè pedem poſuiſti; & quid in illarum decreto clauſum ſit non ignoras. Quo earũ fines tendant, licet admodum adoleſcens ſis, non te vt admodum acutũ, fugit. Ego quoq; quæ meæ partes ſint ex veteri preſcriptione cognoſco, & illas ſic tracto, vt nullus induſtriam meam deſiderare poſſit. Iis tecum diligenter examinatis nullam affinitaté, nullam agnationem, & ſanguinis coniunctionem noſtræ ex pulcherrimis literarum ſtudiis copulationi conferendam, tu ipſe locupletiſſimus teſtis es. Quare tibi rem meam tantum commendo, quantum non ex iure, ſed æquitate tibi commendari, & noſtri amantiſſimo tradi poſſe videtur. Rem non explico, tu ipſe totum cognouiſti. Vale, & Franciſcum tuum, quod facis, ama. Ex ædibus noſtris XI. cal. Aug.

FRANCISCVS ZAVA
Troilo Guazono. S. D.

Lavdo, & ſummopere probo, literarum tuarum excurſionem, qua mihi apertè ſignificas quantum Iuriſconſultis debeas, & quem ex iis, qui merito has humaniores literas profitentur, candorem in dicendo, tanquam ex clariſſimo fonte exhauſeris. Et hoc in te non parum miror, qui in tam iuuenili ætate humaniorũ ſcientiarum, & iuriſperitorum cognitionem, diſcrimen cognoſcas. Verborum, & locutionum diſſimilitudinem internoſcas. Vtriuſque partis beneuolen-
[illegible]

tiam non disiungas. Quid enim à præſtantiſſimis viris aliud audimus, quam Bartholi inſignem barbariem, nõ ſecus euitandam ijs, qui in ſacras leges incumbunt, quàm in periculoſo mari Nautis deliteſcentes ſcopulos? Tu nundum (vt opinor) vigeſimum annum ingreſſus, hæc vitia in Bartholo, alijsq; quàmplurimis legum interpretibus animaduertis, eos ſcilicet inconcinne, inepte, aſpere, hiulce, dure, inculte, & deniq; barbare loqui. Qui vero has humaniores literas excolunt, exercent, tractant, digne profitentur, hos tibi tanquam diuinitus progenitos admirandos dicis. Commendo graue iudicium tuum mi Troile, & tibi nomine omnium, qui Grammaticam, cuiusq; maxime ingenuæ, & liberæ doctrinæ, fideliſſimam nutricem, & ducem blandiſſimam profitentur, gratias ago. Et miſſa Achillis tabella, non eſt vt dicas te tantopere in amorem meum deuolare cupidum eſſe. Quando te illũ iam agnouerim, quem omnibus modis adamandum ſuſceperim, & ſi poſſem, multas horas in doctiſſimo ſermone deguſtandum concupierim. Vtinam mihi illa occaſio ſeſe offerat, vt de te poſſim ita mereri vt tuis moribus, & te, & nobiliſſima familia tua dignis me iandiu tibi obſtrinxiſti. Te, vt breuiſſime dicam, amo, & vt me ames pleniſſima ſingularis beneuolentiæ argumenta ſubijciam. Tu operam dato, vt me in ære veſtro ſerues, nec te cogam vllam facere, quam ſi tamen verſuram facies tam ſarciã, vt nihil damni, per me ſis facturus. Quod mihi tam diligentem operam tuam polliceris, tantũ mihi gaudeo, vt fortaſſe, quid? imo plane tibi applauſurus ſim, cauſam noſtram à me breui coram accipies. Tu quia mecum tam humane agis, vt nihil humanius arbitror meatum partium eſſe,

vt te rogem, ne ab ijs diſcedas, qui loquendi vim perfectam, & ſuis numeris abſolutam normam dicendi nobis reliquerunt. Qua in re ſi me audies non minus in optimo, & exarandi, & loquendi genere proficies, quam olim Marcus Antonius Natta admonitus à quodam literatiſſimo, amiciſſimoq; ſuo profecit. Cuius diuinitus meditatæ cogitationes barbariē redolentes, (nec mirum cum Bartholis enim diu verſatus fuerat) doctis nauſeam mouiſſent, niſi pectus fertiliſſimum ſuũ, & ad ſummas cognitiones natũ, in multisq; literis verſatum, ijs ſaluberrimis eloquentiæ fontibus. Natta alioquin vir doctiſſimus aſperſiſſet. Vale, & me auo, patrique tuo mihi ſemper chariſſimis, quanta poteris maxima diligentia commendabis. Iterum vale. Ex ædibus noſtris X. calen. Auguſt.

FRANCISCVS ZAVA

Petro Prando ſuo. S. P. D.

Ate Prande diſertiſſime Cęſar Gonſaga vtriuſq; noſtrum amantiſſimus nihil literarum? id vix credebam. Hominem excuſſi, nihil cecidit. Commendationis plenus ſalutationis interioris mihi nomine tuo dicendæ refertus ad nos rediję. Ad me enim cum primum, & ſi calore, æſtuq; , qui nunc maximus eſt, pęne depreſſus, vrbem ingreſſus, decurrit, omniaque facundo & diſerto, plenoq; ore, quæ à te acceperat, mihi expoſuit. In qua longa verborum ſerie, & mihi periucunda, te mihi ita expreſſit, vt non ſimulacrum, & imaginem illo narrante corporis tui viderim, ſed te omnibus animi lineamentis, & corporis partium compoſitione inſpexerim. Quem mihi aſſidentem, quando

audiebam,

audiebam, te coram alloqui videbar. Tanta eſt in eius ore dulcedo? Nō tamen Cęſar ſua eloquentia doctoq; ſermone, & iampridem mihi noto, biennium enim mihi in literis operam dedit, vſquequaq; ſatisfecit. Tuas enim percupiebam, & legere auebam, quibus ſignificares, quantū mihi de te polliceri poſſim. Licet mihi non obſcurum ſit, me ſi non plurimum (non enim Hermanum à loco iam occupato, & pene poſſeſſo deijcio) at multum apud te valere. Tu fortaſſe id ægre tuliſti, quod tibi amico, diligēti, literato & in qualibet honeſtiſſima ad amicos nato; amicorum potius famā, & exiſtimationē ponderanti, quam tuos in ſummarum ſcientiarum meditatione, labores conſideranti, onus tam debile, paruum leue, & (vt opinor) non dignum tam limato, politoue iudicio, vt interimes literæ tuæ, & excultum ingenium poſtulabant demandauerim. Id ſi eſt, quod te angit, ita ſcriptis meis te onerabo, vt per multos dies cogaris delicatiſſimis ſtudijs tuis; nec fortaſſe inexplicabilibus, quamuis in aſtrorum cognitione totus ſis, ſalutem dicere. Sed tu noſti quid petendum ſit ab amico, & quibus in petendo modeſtiæ cancellis, & verecundiæ ergaſtulis me ſepire ſoleam. Vt video, vis tu, vt alia tibi videnda, & corrigenda demandem. Id faciam. Accipe igitur & hanc orationem, qua non poetarum numeros, & dignitatem circumſcribo, ſed Cremonenſes ſummos viros qui hac noſtra tempeſtate in ſumma veneratione, & laude vixerunt, nulli antiquorum inuidentes, poſteritati ad maximā laudem admirationi, & quaſi ſtimulis futuros quo penicillo poſſum depingo. Eandem curam ijs literis noſtris adhibeto, quas ad diuerſos amicos dedimus. Ijs tu ſine cura, & longo ſtudio poteris, (noui

tamen

tamen in omnibus rebus diligentiam tuam extremam manum imponeret. Non enim agunt de Rerump. ſtatu, neq; alicuius principis arcana patefaciunt. Totæ ferè ſunt hylares, & iucundæ. Hermano tuo, vel potius noſtro me plurimum commendato. Vale Cremonæ, V. calen. Sextilis.

FRANCISCVS ZAVA
Sigiſmondo Brumano ſuo, S. P. D.

Vos tanta Cęli tẽperatione frui hac in ſumma aeris grauitate æſtuq; maligno, qua debeo, ingenti afficior lętitia. At vos medicæ artis delicatiſsimos cultores, herbarum indagatores, ex tam ſalubri, nobiliq; & dinite vrbe expelli, & alio quodammodo omniũ voce, ſemigrare cogi, vobiſq; tam pulchris, & publicis, & priuatis tectis paſsim in ampliſsima ciuitate interdici, non poſſum non magno dolore affligi. Vereor enim, ne tempus illud nunc ad vos redierit, quo alias Medici omnes, & non nulli alij, quos honoris mei cauſa taceo, ampliſsimi Senatus Decreto, Prętorum omniũ edicto, populi iuſſu, infimi Gregis plebeſcito eiecti fuerunt. Ad quos reuertaris, nõ te fugit. Nos hic multos varijs morbis correptos, & graui æſtu, febriq; laborantes, & iacentes habemus. Quorum Medici noſtri alioquin viri diligentiſsimi, & plurimarum narium, Momo ſagatiores, & acutiores, inteſtinos tamen morbos non percipiunt. Licet toti ſint in odore, & veſtigijs morbi deliteſcentis indagandis occupati. Quos enim ad veſperas non victuros denunciauerunt, vel cum ſole vitam cõmutaturos, non multo poſt, & in forum pergentes, & cum ſuis hilariter Deorũ beneficio diſcum-

bentes

bentes videmus. Sed hæc hactenus. quos vero nulla vi morbi vrgeri, & nullum periculū imminere dicunt, atriatos ſuos relinquunt. Nos, tui, omnesque mei bene valemus. Verum heus tu literæ noſtræ ad Manutium vbi quæſo? curaſtin reddendas, vt tibi mandarā? cur illarū nulla mentio in tuis ad me proximis? illas nō credo interceptas, nec aliquo aduerſo fato perijſſe. Tu velim excites in hoc diligentiam tuam, mihi in cęteris rebus probatam. Ad te venerunt in eodem faſciculo literarū, in quo meæ ad te, & illum erant. Tuas accepi, quibus noſtris doctè, & prudenter, vt ſoles, reſpondes. A Manutio vero nec literam accepi, qua intelligam noſtras illi redditas fuiſſe. Quare ſi me amas vſq; eo odorare, quoad tactione, & odoratione ponderaris, vtrum meas ille acceperit. Vt quo genere ad illum ſcribendi vtar non ignorem. Si tamen ei in poſterum ſcribendum duxero. Da te quæſo totum in hoc; vt quanti me facias (qui me tamen plurimi facis) literis hac de re ſcriptis quamprimum mihi ſignifices, ad illū multas dedi, vnas & illas breues ab illo accepi. Vale, V. calend. Aug.

FRANCISCVS ZAVA
Laurentio Cęlio S. D.

Licet inexplicabili rerum, & agendarum (quod te non latet) & explicandarum ſerie dies, noctesque diſtinear, non poſſum tamen quo quo me verterim, honoris noſtri amantiſsime Cęli, humaniſsimis literis tuis non reſpondere. Rogas me vt Dialogū, quem ſuperioribus diebus raptim compoſui, omniū iudicio exponam, & vnà duas orationes in lucem emittam, quibus

quibus amicorũ conuicia obſcurauimus, maculas abſterſimus, eorundem inſcitiam, petulantiam, proteruitatem, procacitatẽ inſcripſimus, enixe adhortaris. Cõſiliũ tuũ probarem, niſi me illorũ infamiæ ad omnẽ poſteritatem venturæ hac editione pœniteret. Dices quid tu his hominibus facias, qui ſi aliquam maledicendo voluptatem ceperunt, ſi animos ſcribendo ſuſtulerũt, nunc in tuis legẽdis lętitiã, quã nimis diu tacitis ſenſibus fouerunt, deponent, animorumq; prætermodum exultantem inſolentiam comprimẽt. Aculei noſtri (mihi crede) quamuis acuti nihil illis facerent. Phrygibus enim duriores ſunt. Reliqua nota. Quare cenſeo in aliud tempus & Dialogum, & orationes reſeruandas. In qua præter opinionem tuam, & amicorum expectationẽ dilatione, ſi ego honoris mei, quem tu plurimi facis, aliquam iacturam patior, & illi, qui ex illis (vt tu ſcribis) non paruam vtilitatem aſſequuturi eſſent, ſi ederentur, æquo animo ferent. Edemus tamen, & breui fortaſſe, nõnulla quæ & tibi, & cæteris, ideſt bene de literis ſentientibus, amicis noſtris non diſplicebunt, & ad exiſtimationis noſtræ dignitatem, & ad ſtudioſorum (vt credo) vtilitatem nõ parum valitura. Ego te non tantum amo, quod vt faciam me rogas, qui dignus es, qui ab omnibus ameris, verum & obſeruo. Vale ex ædibus noſtris ſexto idus Aug.

FINIS LIB. V.

LIBER SEXTVS
Epiſtolarum Familiarium
FRANCISCI ZAVAE

FRANCISCVS ZAVA
Baldeſari Gambarino. S. D.

CVM te conueniſſem, gratia ſalutandi, de aduentu tuo admonitus ab Horatio Threccho vtriuſq; noſtrum amātiſſimo, cumq; tibi, & Horatio aſſediſſem vobis hoc depoſcentibus, ſtatim vt ſępenumero inter ſcyphos ſolet euenire, nouæ queſtiones exortæ fuerunt, & illa primum, quo nomine latino dicamus vexillum, quod in caminorum vertice quotundam apponitur, quodq; ventorum arbitrio vndiq; agitur. Tum dixi hoc quidem leue, non tamen ſcitu indignum, breueq; temporis ſpatium ad hoc explicandum poſtulaui. Et hoc eo actiori cura mihi agendum putaui, quia cum in quodam ſuburbano, & illo amęno cum nobiliſſimis viris, & doctiſſimis, Sigonius vir ad literatos, & ſtudioſos natus eſſet, & forte ad flabellum, quod in camino illius loci extabat, oculos vertiſſent, à Sigonio omnes expreſſum vocabulum illius flabelli

imaginis expetiuerunt, qui tum factus eſt, ſibi non ſuccurrere quibus verbis apte, & breuiter illorum interrogationi ſatisfaceret. Hui tum dixi tantum virum hac in re hæſitaſſe, me qui nulla in parte cum illo cōferendus ſum, id audacter ſcire profiteri? Hoc procraſtinato, & ferè comperendinato, illud ſecundo exquiſitū, quo expreſſiore, & propriori vocabulo pruna quæ dalmaſchina paſſim vocantur, dicerentur. Et hoc quoq; ab Horatio iuuene ſummæ probitatis, ſingularis ingenij, magnæ expectationis expoſtulatum fuit. Tertio Ioannes Schitius non vt riuolus quidam è fonte ſcaturiens, ſed velut magnum flumen ex ſe naſcens, non vt adoleſcēs, ſed vt vir maturę, iam & prouectæ ætatis, & vt grauiſſimus, & prętantiſſimus apud græcos Neſtor, ex cuius oratione, & conſilio totius gręciæ ſalus pendebat, quiete, docte, grauiter, ſedate, vt eius mos in omnibus rebus eſt, nobiſcum hoc ſermone egit. Quæ ætas, digne, & merito, in homine foret cōmendanda. Ego qui videbam has non eſſe partes meas, ſed potius illius qui in ſummis, & maximis ſtudijs verſatus eſſet, & diuerſorum opiniones, & decreta memoriter poſſet dicere, ad te hanc diſputationem reijciebam, quippe qui optime noſcem hos flores non reperiri in grammaticorum ſcholijs, neq; in rethorum fertiliori officina; ſed tu mihi rem a Schitio mandatam nobis explicandam tacite ſignificabas. Quid ad hoc Tertium ſentirē non paſſus ſum ex me diutius deſiderari, & quæ mihi ex tempore ſuccurrerunt, quam breuiſſime potui enarraui. Verum id vt cōmodius agamus ad primum me referam. Vexillum igitur illud quod ventis in caminis exponitur, flabellum aerium, ſiue æreum appellari à multis video, neq; ſine ratione, cum ad ipſam formam,

tum

tum ad ipſam actionem, quam dum voluitur præſtat. Verum ſi cum Vitruuio loqui voluerimus tritonē appellabimus, quod apud ipsū in turri Andronici marmorea liquido apparet. Nunc ad pruna, quorum varia ſunt genera, & imprimis tria celebrata, Amygdalina, Armeniaca, & Damaſcena. Neq; hic expectas vt ſanem Dioſcoridem, contra Galenum. Neq; vis vt Braſauoli Ferrarienſis celeberrimi Medici de natura Damaſcenorum bellum aduerſum Galenum proponam, quando tibi hęc homini doctiſſimo patent, & ocij noſtri peranguſti nō ſint. Damaſcena igitur à loco appellant docti quæ Dalmaſchina vulgus nominat. Quod vero ad quæſtionem Schitij pertinet, ſcis quæ diximus ex temporis magna anguſtia, nobis videlicet illam ætatem, & quæ properet ad quadrageſimū annum, & quæ intra clauditur, ſaniorem, conſtantiorem, maturiorem, ad honores ineundos magis legitimam, ad ſubeundos labores magis aptam, & conſilio ſtabiliori circumſeptā videri. Id nunc quoque confirmamus tum petitione maximorum honorum, AEdilitatis, pręturæ, cōſolatus, tum authoritate illuſtriſſimorum virorum, quorū nomina breuitate compulſus prętereo, tum numeri ſeptenatij perfectione, qui hac perfecta, & abſoluta ætate continetur. Hac de re, & multis alijs & fortaſſe, cōmodius aliàs tecum agemus. Nunc vt ſcias me deſiderare in eorum numero eſſe, qui te colunt, & obſeruant, has breues accipe, argumentum beneuolentiæ, qua te proſequor. Vale ex ædibus meis.

FRANCISCVS ZAVA Danieli Barbaro, Aquileæ Patriarchæ deſignato. S. P. D.

Incredibilis mi Daniel eſt amor quo te proſequitur Petrus Antonius Tollentinus, homo quidem aduerſa valetudine, ſed propenſa ad diligendum, obſeruandumq; eos beneuolentia, quos tui nõ diſſimiles cognouit. Sermonibus Tollẽtini ſępenumero ĩterſum, huius enim domus omnibus, quos aditu, congreſſu, colloquioq; ſuo dignos arbitratur patet. Hic cum magnifice de literatis, & optime moratis, ad maiorũq; probitatem inſtitutis loquitur, quamuis totus huius ſermo ſit honorificus, vt hominis & ingenui, & ad optimum ingenium nati, auitaq; inſtitutione educati tamen cum de te ſermo exoritur, tanta verborum copiæ te exornat, tanta ſententiarum dulcedine, & grauitate fingit, formatq;, vt qui ſuauiſſimis ipſius ſermonibus adſunt; (& nulla ferè hora diei) ſępe quoq; ad multã noctem huius domus a iucundiſſimo, doctiſſimoq; amicorum colloquio vacat, eos, quotquot adſunt, quorum frequenti itione, reditioneq; domus eius limen teritur, tui ſtudioſiſſimos, amantiſſimosq; cogat eſſe. Ego qui hunc ſumma cum attentione audio de varijs rebus loquentem omnibusq; ad bene, recteq; viuendum ſpectãtibus hunc ſępiſsime, & ſalutandi gratia, & rerum abditarum cognoſcendi cauſa, quarum cognitionis, & ſcientiæ diligentiſſimus, & fideliſsimus indagator, pleniſsimusq; autor eſt, adeo, cum alias, tum diebus feriatis, ſi tamen vllæ ab negocio mihi feriæ ſunt. Et ecce dum in ſermonem de te incidimus, quaſi quodam nobis fato ſubſcribente, tuæ ad Tollentinum noſtrum

perſe-

perferuntur. Has multis arbitris amotis maxima hilaritate, vultusq; iucunditate legit, ſingulas inter legendum clauſulas obſeruo, verba diligenter attendo; quamlibet earum literarum periodum amoris, & ſingularis beneuolentiæ pleniſſimam deprehendo. Tunc ab hoc tanquam nouam ſitim expleturus peto, quo nam modo fores tuas literarum omni genere refertiſſimas, ſanctiſsimas, & (vt audio) amoris pleniſſimas mihi aperirent, illasque patefactas, non intermiſſo amoris tui deſiderio, quo mirum in modum flagro, intrarem. Id me nulla re facilius conſequuturum reſpondit, quam aliquo breuiſſimo ſcriptionis genere. Hominis amiciſſimi cõſilium probaui. Verum ſuppudebat me ad talem, tantumq; virum ſcribere. Quem pudorem, vt pene ſubruſticũ, & agreſtem ſtatim abieci hoc argumento. Quanto quis virtute excellentior, nominis dignitate pręſtantior, & auorum nomine illuſtrior, genereq; nobilior, tanto ad eum aditus faciliores. Mecum quoq; ratiocinabar, non poſſe in animum optime eruditorum, inſtitutorumq; vllam arrogantiæ ſuſpicionem cadere. Quam meam breuiſſimã ſupputationem componens, & breuiter argumenti ſummum, vimq; ſubducens, has ad te dare non dubitaui. Quas ſi cognouero gratas tibi extitiſſe, (licet mihi ad hoc ne minima quidẽ ſuſpicio oriatur) ſępius ad te ſcribere nõ grauabor. Multa igitur in Hermolao tuo, ideſt omnium ſtudioſorum, ſcitu, cognituq; digna vel potius omnia ſunt. Cui tu, & virtutis fama, & honoris cognomine merito ſucceſſiſti, in cuius locum te Deos immortales ad omnium vtilitatẽ ſubſortitos fuiſſe crediderim. Studiorum quidem vtriuſq; magna diſſimilitudo fuit, eadem tamen ad virorum cõparan-

 dam,

dam, omniumq́; bonorum beneuolentiam concilian-dam, nominis immortalitatem propagandã, poſterisq́; tradendam flagrantia fuit. Ille in Plinio, alijsq́; quam plurimis huius generis maximis ſcriptoribus illuſtrãdis verſatus eſt. Tu in Vitruuio Architectorum longe principe, & nobiliſſimo illuminando fertile ingenium tuum, acre iudicium, ſtudium maximum poſuiſti. Quo omnibus Regulam, & normam ad veterum ædificandi ſublimem maieſtatem repreſentas. Qui paucis ante, vel dictionum obſcuritate, vel nimis antiquorũ ædificiorum, columnarum, turrium, caſtrorum, aliarumq́; rerum ex diuerſis modis machinandi forma collectarum mortalibus parum intellectus, per te tantam lucem accepit, vt quilibet imperitus architectus ſummus fabricandi artifex tua induſtria, tuoq́; non paruo labore, & ingenij, celeritate euaſerit. Qui te Duce, & magiſtro non dubitat quodlibet ædificium, vel in anguſtiſſimo loco conſtruere, oculisq́; omnium illud conſpicientium admirandum ſubijcere. In latiſſimo vero campo, & ameniſſimis cliuis maiorum elegantiã machinatorum, & architectandi principum non adæquarint tantum, ſed longe ſuperarint. *Vt multa breuiſſime dicam, & paucis comprehendam, te Architecti* Cremonenſes, & literati viri Vitruuij animam vocant. Qui vero Rethoricam artem profitentur, Ariſtotelis lucernam appellant. Qui beneuolentiam tuam, & guſtarunt, & ſenſerunt delicias amicorum nominant. Quo tanto ad omniũ vtilitatem, & nominis tui gloriã excogitato, vel potius in omnes laudis ſtudioſos beneficio collato, motus non potui diutius meas ad te differre, & tibi gratias ſi non referre, at agere; quibus ſi tibi maxime occupato obſtrepere viſus ſum, id amori

in

in te meo, & nominis tui obſeruantiæ noſtræ aſcribes; quæ me fortaſſe nimis ineptum tibi nunc ſignificauit. Sed tu ſaltem hoc mihi dato, vt in eorum numero ſim; qui te non amant tantum, ſed obſeruant. Nec credas ijs te ad ſcribendum prouocatum, ſed ad amandum laceſsitum. Verum ſi putabis te ad exarandum literas ijs te laceſsi, tuas libentiſsime expectabo, nec huius nouę intemperantiæ amoris vnquam me pigebit. Vale Cremonæ VI. calen. Septemb.

FRANCISCVS ZAVA
Petro Prando S. D.

Testimonio iudicij tui ſynceri, & ſubtilis, vt taceam amoris mutui indicia, & incrementa, nihil laudabilius, nihil plenius, nihil limatius, nihilúe firmius ad autoritatem noſtram firmandam, exiſtimationemq́; inuito grege improborum, retinendam, eamq́; à maleuolorum voculis defendendam accidere poterat. Quod magno dolore obtrectatoribus, inuidisq́; noſtris fore confido, cum in nos amplius (quos emiſſarios mittant non habeant) ſed potius omnes doctos, vereq́; cordatos viros noſtræ laudis Buccinatores eſſe, & propugnatores ſentiant. Sed horum vulticulos, cęſiosq; oculos, cęnoſas, cauernoſasq; facies dimittamus, vt in lętiori, amęnioriqúe campo noſtra oratio exultet. Mihi igitur tuæ, licet ſeræ, attamen iucundæ redditæ fuerunt. Quas cum legerem, magnam lætitiã capiebam. Nõ enim is ſum, qui cum à tali viro ſentiam me laudari, laudes & docti, & amici viri non agnoſcam. Nã vt ex calumnijs, ignominijsq;, & vituperationibus animo dolorem ſentimus, ſic ex illorũ cõmendatione,

&

& præconio, qui ſolo laudis ſplendore nutritur, alimur & pleniſsimo gaudio recreamur. Neq; in hoc ſpinoſos, durosq; & agreſtes ſtoicos probo, qui toti ſunt in contēnenda gloria, quos potius ſtipites, & cautes, quam homines iudico. Quamquam eorum inſcriptiones librorum ſatis aperte declarant, & ipſos à cupiditate gloriæ non alienos fuiſſe. Lætor mi Prande ab illis laudari, quorum oratio ſimplex, & non fucata, amici non aſſentatoris, vt logodædalos mittamus, quid? tanti iudicium tuum facio, vt non putem aliquā nominis noſtri iacturam factam eſſe, quando orationes noſtræ Gogaua vir ſummæ doctrinæ, iudicijque non aſpernandi, bonarumque literarum, & nobiliſsimarum ſcientiarum maximus ſplendor, & ſingulare ornamentum, non viderit. Doleo potius illum, febri ita vexari & vinculis eiuſdem morbi ſic implicari, vt non poſsit tecum eſſe, ideſt ipſum ſe cognoſcere. Quando illum te alterum eſſe multis ab hinc annis vtriq; perſuaſum eſt, quam illas in lucem non prodire, acerrimo Gogauæ noſtri iudicio politas, & tam docti viri pigmentis ornatas. Satis mihi erit, ſi operam dederit, vt conualeſcat, & honori ſuo iam per orbem diuulgato conſuluerit. Quod verò mihi Gonſagam, Magnumq; Stephanum dico, & Cęſarem iuuenes, & modeſtos, & ſtudioſos, adde quoq; literatos, & magni iudicij adoleſcentes, quod in hac ætate rarum eſt, cōmendas, in hoc citius tuam in illos beneuolentiam noto, quam quod putes eos apud me cōmendatione vlla egere. Qui eo ingenio, eaq; morum probitate, & facilitate præſtant, vt non mea tantum affabilitate, comitateq; digni ſint, ſed cuiuſq; literatiſsimi, malebam dicere potentiſsimi, & locupletiſſimi, ſed me in ijſdem ſtudijs

eadem

eadem fere coniunctio, & ſimilitudo decepit. Ad tuos Gonſagas armorum fama, reque ipſa & periculo multarum rerũ, ditione quoq; celebri illuſtratos, & noſtros magnos, nomine per ſe cõmendatos, extremis literarum lineis, quæ ad Grãmaticum ſpectant, & eo fortaſſe amplius, ad te laresq; patrios quibuſdam quaſi penicillis ornatos (quod à me contendis) remittendos, qua maxima induſtria, & labore potero incumbam à quo præclariſſimo munere nec hactenus deſtiti, & literis tuis, tanquã admotis calcaribus punctus, & amore, quo illos proſequor admonitus nulla in te nomen meũ defraudans, officium noſtrum non deſiderabis. Hoc ad doctiſſimas literas tuas reſtat, vt Gogaua tuus, neſcio an adhuc meus, dicam, qui tamen, vt ex eius honeſtiſſimo ſtudio apparet, omnium eſt, me illum habeat, qui eum abſentem intuear, amplexar, foueamque. Vale Gogauæ vtriuſq; noſtrum, vel ipſo inuito, amiciſſimo nos cõmendato, & tradito, quem breui literis noſtris viſemus. Iterum vale Cremona VI. calen. Sept.

FRANCISCVS ZAVA
Antonio Gogauæ ſuo. S. P. D.

Vidi mi Gogaua, ſi me amas, quanti Prandus noſter te faciat, qui fidem ſuam, religioſiſſimũ alloquin teſtimonium, debilem eſſe non dubitat, niſi ea literis tuis ad eum miſſis, mihiq; perlatis, quibus illi ſignificas tibi grauiſſimũ bellum eſſe cum febri, cõfirmetur. Libenter illas mehercle legi, & quia tuæ erant, & quia ad Prandum veteris amicitiæ vnicum exemplum. Tecum tamen condolui, & cũ Prando, quia ijs quantopere febri afflicteris, nedum iacteris admoneor. Sed

illud me ſolabatur, quod vt Mathematicus, & aſtrologus oculatiſſimus, huius morbi grauius vrgentis, frigida aqua epota aduentum prçuideras, & ideo leuius præſentis morbi vi vrgeris. Ad quem quoq; ferendū te & philoſophica tçmperantia, qua nulla medicina ſalubrior eſt, corroboraueras. Et vt audio, vel potius vt ex ſcriptis tuis cognoſco philoſophus es, & quidem ex eorum numero, qui nulla animi perturbatione mouentur, nullo corporis dolore turbantur, qui omnibus rebus ex aduerſo fato venientibus inexpugnabilem te opponis. Quod ſi eſt, nec tu vim vllam morbi ſentis, nec turbationes aliquæ ad te ſpectant. Vel vt aſtrorū igniculorum præſcius, in vtroq; familiares tui te modeſtiorem cognoſcunt. Rides? id quando eſt, ego tecum quoq; rideo, mihiq; gaudeo, & tibi gratulor. ſi noſtræ literæ eæ ſunt, quæ tibi riſum mouerint. Quando ægrotantibus nihil iucundius, hilariusúe, & ſalubrius accidere poteſt, quam eorum morbum riſu ex aliqua re nato leuari. Arteriæ .n. & partes omnes interiores, quæ ęgrotatione aliqua tenentur, riſu exhilarantur, & męſtitia expoliantur. Verum ijs miſſis, tuus ſum nec in amore cedo Prando, te quamuis vnicè amet. Cupio mihi occaſionem dari illam, qua tu re aptius cognoſcas quam vel alterius ſermone ad te delato, vel noſtris verbis, quibus amorem in te meum ſæpe ſum teſtatus, tum ad Prandum, tum ad alios exaratis. Superioribus diebus dederam ad amicum, quē Oreſtem, aut Pyladem tuum appellare ſoleo, Prandū dico, quædam noſtra ſcripta, curſim compoſita, illi corrigenda, amplificanda, decerpenda, tanquam ad meum Ariſtarchum. In ijs cum ad me redijſſent, nullā animaduerſionis notam deprehendi, imo Prandus ad

me illa magnis laudibus exornata non multo poſt re-miſit. Cuius iudicio vt maxime probato conſentus eſſe poſſum. Mihi tamen gratum fuiſſet, ſi & diligētia tua expolita prodijſſent, quando & Prandus tantum tibi tribuit, (nec immerito) quantum cuiq; literatiſſimo, & ſummi iudicij viro tribui poſſit. Verum quia morbo implicitus amico adeſſe non potuiſti, & Prandi iudiciū id eſt, vt in illo quiſq; facile acquieſcere debeat, arbitratus ſum, vel potius decreui illa oīum oculis, & iudicio, qualiacunq; erunt, cōmittere. Vale, & te ſummopere à me amari tibi perſuadeto. Si de ſtatu tuo ad me ſcripſeris, quod auide expecto, pergratum mihi facies. Iterum vale mi Gogauande doctiſſime. Cremonæ. VI. calend. Septemb. CIƆ IƆ LXXVIII.

FRANCISCVS ZAVA
Rolando Vallæ Senatori Caſa.
S. P. D.

VALLEM tuam legi Rolande iuriſconſultorū eloquentiſſime, eloquentium iuriſconſultiſſime. Huius luſtrandæ, & liberæ peragrandæ, Antonius Mariæ filius tuus magnæ ſpei iuuenis, & ſummæ expectationis adoleſcens copiam mihi fecit. Hanc vbi diligēter obiui, illi dixi Heſperidū Hortis, Alcinoiq; Pomarijs, quorum fructus, nec hieme pereunt, nec æſtate deficiunt, toto, vt inquit Homerus, anno pulcherrimi exiſtentes anteponendam. Mira enim verborum elegantia ſepta eſt, ſententiarū concinnitate munita, maximo præſidio Herculis Gonſagæ numine, non Draconis, qui medicaminibus ſopiri poſſit, cuſtodita. Ad quam expugnandam nec Regum omnium maximi, & longè potētiſſimi Xerſis exercitus ſatis eſſet. Foſſæ ſunt altiſ-

ſimæ, Mœnia ære quolibet duriora, Arx inexpugnabi-
lis. Tu inuictus in eminentiſſimo, illuſtriſſimoq; loco
conſiſtis. ordo, & rerum ſeries illic poſitarum, admira-
bilis, nullius inſidias extimeſcens, doctis admiratio-
nem afferens, inuidis vocem adimens, maledicos ad
ſummam deſperationem adducens, cuius loci amœni-
tatem quanto magis oculis luſtro, tanto amœnior mihi
apparet. Illic te prudentem, & patremfamilias attenu-
tum, cum pulcherrima ſuppellectile contueor. Reip.
& ampliſſimæ, quid? imo totius orbis terrarum opti-
mum conſultorem, & rectorem animaduerto. Cōſilia
enim promittis, quam vocem ſuſpiciens, rem miramur
& perutilem, omnibuſq; pernecesſariam. à patre tuo
expectamus Antoni Maria, te felicem, cui talem patrē
habere contigerit, tibi enitendum, ne hoc à patre de-
generes, dixi. Nā ex tua expenſa prefatione collige-
bam, conſilia tua formidas? quæ [illegible] ſenſibus reſ-
ponderent, controuerſiaſq; omnes, quæcunq; res, &
diſputationis litigioſa [illegible] mulieres. Hiero-
nymus n. Vida, quando filium [illegible] fratris ſui
filium, mihi literis, & moribus inſtituendos tradidit,
vniceq; cōmendauit, præter cetera, quæ de te plurima
honorifice [illegible] loquutus eſt, dixit [illegible] multi [illegible]
ipſis conſulendo, quorum [illegible] & hono
ageretur, [illegible] An Vida [illegible] iudicij
[illegible]
gnitionis? qualis cenſor, nō librum tantum, ſed cuiuſ-
libet ſeueriſſimæ doctrinæ, ex vultu quoq; ſignificatæ,
& oratione cognitæ, optimus magiſter, ſanctiſſimuſq;
iudex? Cuius orationem [illegible] diligenter con-
ſideratam, & prefationē tuam exacte penſitarem, diiu-
dicare prorſus neſciebam, tu ne [illegible] magis debe-
res,

res; quæ te omnium montium excelſiſſimum edidiſſet, & in locum maxime excelſum collocaſſet, an illa tibi, qui humilem vallem, patriam tuam erexiſſes, illamq; illuſtriſſimo in loco poſuiſſes, & nunc tantæ tu virtutis monumentis nobilitatas, maximis honoribus ex tua laude enaſcentibus cohoneſtaſſes, omniumq; ſeculorũ immortalitati conſecraſſes. Te, vtriuſq; tandem mecũ examinata fertilitate, illi facile, & ſine controuerſia præponebam. Illa enim grandinibus, calamitatibus, depoſtulationibus, vaſtationibus, omnibusq; fortunæ telis ſubijciuntur; tu nulla ventorum vi, imbriũ impetu, nimborum minis, procellarum ruina, turbinum, tempeſtatumq; naufragio, nulla deniq; temporis varietate, cœli mutatione; quando virtus nullam tempeſtatum, nullam temporum perturbationem, & mutationem patitur, moueris. Vtinam & tales fructus in ſummis colliũ verticibus, in optimis, hubertibus, immenſisq; campis à Zephiris vndiq; recreatis, naſcerentur. Non enim conſiliorum optimorũ penuria tandiu mortales laboraſſent. Multum tibi antea debebam, qui Vidæ autoritate adductus, & eiuſdem literis impulſus, filiũ, & nepotem mihi literis humanioribus, diſciplinaque tam delicatis, tamq; nobilibus, & teneris ingenijs digna erudiendos, informandosq; tradideris, ſed ad plura nunc tibi debeam, qui poteſtatem nobis tua legendi feceris non ſatis ſcio. In quo & beneuolentiam in me tuam agnoſco, & me tibi aliquid eſſe video, cuius iudicium plurimi facio. Vtrumq; tamen ita probo, vt quomodo parem gratiam tibi referam, non habeam: niſi quod & literis ad te noſtris, ſæpe ſum teſtatus, & domi meæ, cum grauiter filium tuum ægrotantem viſitaſſes, promiſi, & tanquam aliquo vadimonio obſtrictus, ſpopondi,

ſpopondi, à te nunquam in filio, nepoteq; inſtituendo laborem, induſtriam, facilitatem, amorem, comitatemq; meam deſideratũ iri. Quod certe omni conatu, & diligẽtia, licet excellenti ingenio, & paterna indole filius præſtet, efficio. Quam rem & tu ex filij, nepotisq; literis cognoſcis, vt ad Vidam, meq; ſcribis. Vale, & valli tuæ plurimam ſalutem dicito. Ita tamen vt ſemper cum valle tua ſis. Iterum Vale, Cremo. X. calen. Nouemb.

FRANCISCVS ZAVA

Rolando Vallæ Senatori Caſa.

S. P. D.

NVLLVS eſt, qui iſtinc veniat, qui tua potius cõmendatione apud me nõ egeat mi doctiſſime Rolande, quã tu putes domeſticos, propinquos cõſanguineosq; tuos mihi cõmendandos. Nouit optime filius tuus. Nouit quoq; Bonifacius, quos maxime, tũ propter bonitatem ingenij, & morum ſuauitatem, tum quia tui, & filius, & nepos ſunt diligo. Ij inquam nouerunt, quanta animi veneratione te abſentem amplexer, quamúe cupiam ita de te, tuisq; mereri, vt nulla me ingrati animi ſignificatione notes. Et ipſi nobiſcum in iiſdem tectis ad literarum non prima tantã rudimenta, & puericiæ incunabula; ſed altioris intellectus, rationisq; firmioris veſtigia cõfirmanda, & illuſtranda triennium, eoq; amplius cõmorati ſunt. Quare priuignus tuus, quando ad nos veniet, gratus nobis, & iucundus erit. Idque tibi perſuaſum eſſe cupio. Qui tamen ſi aduentum ſuũ in calen. vel potius idus Septembris differet, vtriq; vel potius omnibus commodius veniret. Nunc enim omnia cubicula, cameræq; occupatæ ſunt. Triclinium

multorum

multorum alioquin capax conuiuarũ vix me admittit. Nec vlli eorũ, qui nobiſcum in pręſentia diſcumbunt auderem domicilio noſtro interdicere. Sunt.n.omnes ij ingenui, nobiles, ſtudioſi, bene morati, & magnę expectationis. Quorum breui hinc nonnulli emigraturi ſunt, vt in alias ſcientias pedem ponant. Verum quia volui ędes noſtras vſq; quaq; tibi, tuiſq; omnibus patere, in breuiorem locum Bibliothecam meam colligam, concludamq; & illam vacuam priuigno tuo reſeruabo, quem non ſecus, ac filium amabo. Quare ſi tibi commodum eſt, illiq; putas conducere, quamprimũ apud nos eſſe curato, id tamen totũ integrum tibi ad deliberandũ datur. Malo.n.nó hoc tãtũ, ſed omnia mecum agi tuo potius commodo, quam meo, quando me nó paruo beneficio cumulari, & ſentio. & profiteor Rolando Valle inſeruire, homini doctiſſimo, Senatori prudentiſſimo, viro nunquam ſatis laudato, patrono omnium mihi chariſſimo, & fideliſſimo. Vale Crem. VII. calen. Apr.

FRANCISCVS ZAVA
Horatio Threccho Archidiacono.
S. P. D.

Avrelii Gambarini libellum ſimulac domum redij, totum non primoribus labris, & extremis digitis (vt in ore eſt) attigi, & deguſtaui, ſed ſumma cura, magnoq; ſtudio, ter, & quater legi, & quo illũ crebrius reuoluebam, tanto magis mihi in ea cognitione rerũ tam abditarum proficere videbar. Titulum inſpexi, tibi dicatum vidi. Quanta Dij boni tum affectus ſum lętitia, te huic tam illuſtri philoſopho, tã charum eſſe,

ob miram ingenij aciem, & ſingularem morum probitatem, magnamq; de te iam cóceptam cùm apud nos, tum apud talem virum opinionem, & Gambarinum noſtrum tantum preclare nominis ſui te patronum elegiſſe, totámq; nobiliſsimā familiam veſtram hoc ſolo beneficio ſibi deuinxiſſe? Sed vnum doleo librū hunc clariſsima luce digniſsimum in tenebris tandiu reſeruari. Nec credo te ea cauſa id facere, quod doctis inuideas, qui doctorum acerrimus defenſor ſemper extiteris. Quid tu? quod meæ cauſæ, maximum tamen eſt fundamentū, imo tota familia tua, quæ ſemper fuit in patrocinio illorum, qui à maledictis canino morſu notarentur. Tibi crimini non dandum eſſe, quod tam egregio labore careamus, argumentatione ipſa patet. Vter igitur veſtrum in cauſa eſt? Gambarinus ne? Quorſum quæſo? Num quia eſt Philoſophus? Cur igitur Plato dicendi maximus artifex rerum diuinarū, & ſcriptor, & magiſter? Cur Ariſtoteles diſciplinæ peripateticæ, & inuentor, & maximus diſputator?/ Cur alij quam plurimi à ſe inuenta, vel aliorū adaucta ediderunt, & ad mortalem vſum ſcripſerūnt? Pręterea tot, tantarumq; rerum ſummo Gambarini ſtudio aptè compoſitarum indagatio, quibus profuerit? Tibi ne tantum? hoc tui mores recuſant, ingenium tuum frugiferum non patitur, ætas quæ ſua ſponte liberalis eſt non admittit. Non es mi Horati à muſis tam auerſus, vt velis tantū theſaurum amplius in capſis deliteſcere? Quare Gambarinum tuum, quid? imo meum, vt tollatur controuerſia vtriuſq; noſtrum, vel ſi mauis omniū bonorum, & ſtudioſorū, Gambarinum inquam adhortare, vrge, impelle, vt labor hic in lucem tandem prodeat. Ego te omnium literatorum nomine rogo, vt

quamprimũ per te docti fruantur amplissimo labore, & doctiſſimis Gābarini vigilijs. Si te ab hoc aliquod iuſiurandum hactenus deterruit, & fortaſſe per ſtipulationem obligatio, qua vterq; inuicem ſtipulatus ſit, vt perpetuo in tenebris iaceant; non te fugit, hæc inter ſanctiſſimos viros nec ſemper ſeruata fuiſſe. Cuius rei comprobandæ cauſa poſſem adducere, & philoſophorum ſententias, & aliorum opiniones. Videntur tibi hæc in capſis abdenda, vel ex cedro, vel ex ebore, vel ex auro, breuiſſime argumentandi viam cognoſcere? Partitionem comprehendere? Diffinitionem adiſcere? Voces non vno, ſed multiplici ſenſu prolatas internoſcere? Taceo eloquentiam, qua nō minus Dialecticen hic nunc adornauit, quā alias, Marcus Tullius ſui temporis philoſophiam. Non hic ſunt verba inculta, non barbara, non oſcitantia, ſed polita, omni cultu ornata, & ſumma breuitate enunciata. Tu non fortaſſe credis mihi, qui non verſatus ſum in dialecticis, id non inficior. Da igitur alicui dialectico hæc videnda, & admiranda, non corrigenda. Sed caue ne ſibi tam egregios labores, vendicet, & te, alioquin acutum, Gambarinumq; ſimplicem, quod philoſophorum proprium eſt, decipiat. Quod tantæ moleſtiæ mihi eſſet, vt & tuas, & Gambarini partes in hoc genere arrogantiæ vlciſci cogerer, cum perpetua infamia illius, qui tales labores ſibi vindicaret. Quicunq; is certe eſſet, ſuo periculo, quid ſit quietis bilim mouere cognoſceret. Vale tuo, Gambariniq; nomini conſule, & meis mandatis pare. Calendis Auguſti.

D D D Franciſcus

FRANCISCVS ZAVA
Ioanni Iacobo Turriano I. C.
Cremo. S. P. D.

Si mihi aliquãdo vacare publico, priuatoq; labore, & illarum rerum actione, licet, quæ ad rem familiarẽ ſpectant, quæ tamen intermiſſio raro mihi contingit, illud breue, & nobiliſſimum otium, quod ab humaniorum literarũ ſtudio nobis reliquum eſt in libris veſtris euoluendis, & quaſi per tranſennam non illorũ barbarie deterritus, legendis pono. Ex quibus facile cognoſco quarum rerum ſit promiſſio, & qua verborum ſolẽnitate hęc ipſa in illis nuncupetur, reperio. In quæ cum incido ſtatim ſuccurrunt, quæ mihi vltro alias, qua ingenua liberalitate tu maxime excellis, ferè (vt vos loquimini) ſpoponderis nedum promiſeris. Cum enim ſuperioribus diebus te conueniſſem, domiq; tuæ in variarum rerum ſermones delapſi fuiſſemus, tu in multarum familiarum noſtratium vltimam antiquitatem, cuius rei cognitio, & nobilis labor ſumma cum doctorum omnium admiratione te admodũ delectat, & admirandũ omnibus reddit (vt opinor) *quaſi dedita* opera incidiſti, & mox addis, te in quibuſdam ſummæ antiquitatis annalibus, teſtamentis, & ſtipulationibus, concluſis, & obſignatis, quingentorum amplius annorum ſpatia comprehendentibus, familiæ noſtræ originem, & prima veſtigia obſeruaſſe, & à quo viro principium, nomẽque acceperit adnotaſſe. Quod tum primum, cum ingenti deſiderio cognoſcere flagrarem, in tempus tibi commodius differendum duxiſti. Cui tamen meo deſiderio ex iuſta cauſa enato, te breui ſatisfacturum reſpondiſti, & rem concinne cõpoſitam

tanquam

tanquam aliquod corollarium, quam primum ad me miſurum, ſumma animi hilaritate, in quo præclaro naturæ beneficio mirifice exultas, ſignificaſti. Calores, & aeris nouos, vixq; ferrendos ęſtus increpabam, qui tandiu rem mihi tantopere expectatā diſtraherent. Tarditatem enim hanc tibi non aſcribendam putaui. Quippe qui ſciebam quanti me ſemper feceris, tum veteris amicitiæ mutuæ conſeruatione, tum affinitatis iam pridem initæ coniunctione, ſed grauioribus aſtrorũ curſibus pręproperis expectationibus noſtris nimis enixe & ſe oppenentibus attribuebā. Quod vt conijcio nō minus te moleſte, quam me habebat, ſi licet amico animum amici ſolo ſenſu metiri. Nunc igitur quando aeris immutatio longe omnibus gratior, & ſalubrior, facta eſt, ſummaq; elementi ſuperioris nobiſcũ gratia reconciliata, quod multos dies abſtulit, id vna, eaq; contracta hora conficiat. Quod tibi perfacile erit, quia, vt mihi dicebas, ſummam huius antiquitatis in ordinem fere redegeras. Quid? vim hoc inferre eſt, tu fortaſſe dices. Non mehercle. Amor enim hic & (niſi fallor) repręhendendus, rei deſideratæ, more amantium, nimis vehemens eſt, non tamen vis vlla. Et vt me feras te rogo, vel ne amplius hanc animi moleſtiam ipſe feram, quod debes non vllo nexu, Iuriſconſultorum more, ſed animi ad bene de amicis, & affinibus merendum, quod proprium totius familiæ veſtræ ſemper fuit, propenſione diſſoluito. Vale, ex ædibus noſtris ſeptimo idus Auguſti.

FRANCISCVS ZAVA
Rolando Vallæ Senatori. S. D.

Nonis Septembris ędes noſtræ Vincentiũ Pratum,

priuignum tuum receperunt. Et quia locus domi non erat, vbi illum & ex dignitate tua, & ex mea in te obſeruantia, honeſtè cõmodèq; locarem, bibliothecam, librosq; omnes meos cõmutaui, & locum, quem ipſe in ſtudio frequentabam Vincentio tuo, vel potius iam noſtro poſſidendum, fruendumq; tradidi. In literis, vt quid poſſem tibi de illo promittere, non dubitarem, periculum feci. Omnium fere, vt rem paucis explicẽ, literarum expers eſt. Et quod magis doleo, hebetis, tardiq; ingenij, nec ſatis bonæ memoriæ; taceo indecoram ipſius pronunciationem. Dabo tamẽ operam, vt ſi ad aliquam bonã frugem, exercitatione, laboreq; noſtro non intermiſſo illum perducere poſſim tuæ, de nobis iampridẽ opinioni ſuſceptæ, & in filio, nepoteq; confirmatæ non deſim. Quod à nobis alias planioribus, longioribusq; literis, & fortaſſe ab Antonio Aburato eius pedagogo cognoſces. Vale Cremona idibus Nouembris.

EIDEM.

Te & literis multorum ad nos, & nuntijs optatiſſimis, Senatus Caſalenſis præſidem creatum intelligo, quam ſummam, & maximam ordinis ſenatorij dignitatem Deus Opt. Max. tibi tribuerit, velim. Ex hoc medius fidius nuncio hercle tam incredibilem cepi, ſed an maiorem, quàm cum Mediolani conſtitutus Id. calend. Septemb. ceperim tibi viro ſummi, acerrimiq; iudicij dijudicandum libentius reliquerim, quam dixerim. Eo enim tempore cum apud amicos hoſpitarer, quos in ea ampliſſima, nobiliſſima, ditiſſima, omnibus rebus maxime ornata, & copioſa, longeq; liberaliſſima, &

lautiſ-

lautiſſima ciuitate, quam plurimos; & nobiles, gene-roſosq; & mei ſtudioſos habeo, fere quotidie in ſenatũ templum ſanctiſſimum, religioſiſſimumq; ibam. Qui illuſtriſſimus locus diuinum prope theatrum, ſedem, & Deorum maieſtatem refert, totiusq; orbis terrarum decus, & dignitatem ſuſtinet. Illic cum diſertiſſimos, eloquentiſſimosq; implicatarum ad cancellos cauſarũ actores attentiſſime audirem, cumq; diu, & multum, omnibusq; eloquentiæ neruis vtrinq; diſceptatum fuiſſet, ad quemlibet explicandã cauſam ſentiebam illos ſummos iuris, & æquitatis Antiſtites viros tua autoritate niti; eaq; ex conſilijs tuis optimis, tanquam ex puriſſimo, iugiq; fonte hauſta. Quo magno gaudio, & ingenti letitia perfundebar. Cum aliquando quoq; eſſem cum Porro Senatore, Cremonæ Pretore viro integerrimo, & ſanctiſſimo, digno, & ampliſſimo, nobiliſſimoq; patre ſuo, quem quoq; & maiores, parentesq; noſtri Pretorem annis ſuperioribus Deorum beneficio habuerunt, caſu neſcio quo in ſermonem de te incidiſſemus, diu nos oratione ſua docta, & facunda, tota in laudibus tuis poſita tenuit. Quod cum mecũ multas horas, multosq; dies conſideraſſem, dicebam. Caſalis preſidem magnæ laudis eſſe, ſed cõſilia omnibus ſalutaria deſcribere, id proxime ad Deos contendebam. Nam ſenatus preſidem eſſe quamuis nõ vulgaris admirationis ſit, tamen vtriuſq; ratione ad trutinam, critolaiq; lancem deducta, cum hoc laudis cumulo, & acceſſione conferre poſſe nullo modo videbatur. Illa .n. non perpetua, licet multorum annorum, eſt dignitas, quãdo eius extrema linea cũ vitæ hominis diſceſſu eſt. Hæc vero, quæ literarum monumentis preclariſſimis teſtata; & obſignata, omnium iudicium confirmata,

ad communem vtilitatem excogitata, & tradita, nulla hominum memoria extinguitur, indies potius magis lucet, claret, ſplendetqúe. Sed cum tibi vtraq; dignitate frui honeſtiſſime licuerit, nobis quoq; duplici lętitia expleri, cumulariq; liceat. Et quod ſupra ſcripſi, Deum Opt. Max. rogabo, vt honorem tibi, totiqúe familiæ tuæ fortunet. Vale, Antonio Mariæ, Bonifacioq; mihi chariſſimis nomine meo plurimam ſalutem dicito, tuq; me in amore, æreqúe tuo ita habeto, vt te ſemper in oculis habeo. Vale Cremona.

FRANCISCVS ZAVA
Iacobo Perſighello ſuo. S.P.D.

NACTVS occaſionem ad te meas exarandi Tabellarij potius iſtuc properantis opportunitate, quam tẽporis, ſcis enim nullam mihi horam, ne diem dicam à negotijs vacuam eſſe, malui has inanes ad te venire, quam nullas à te noſtras legi. Quæ igitur tibi Papiam ad ius ciuile cognoſcendum proficiſcenti dixerim (vt opinor) memoria tenes. Tibi videlicet in primis meditandũ eſſe, quæ ornamenta virtutis, in omni literarũ genere, & armorum laude, quæ duo veræ nobilitatis inſignia ſunt, domi tuæ inueniſſes. Quam ex nobili, antiquaq; familia ortus eſſes. Quæ ad omnem laudem nata, prolem quoque ex ſe ortam, ſui ſimilem ordine ſucceſſuram, ad patriæ commodum, & decus à Dijs immortalibus ſemper precata eſt. Quibus quoq; ex parentibus ortum, & educationẽ habuiſſes, & à tenera ætate accepiſſes, crebro, (quod ſcis) meminiſſes ſuggerebam. Quæ omnia benigno vultu, attento animo, ingenua fronte, libentiſſimis auribus audiebas, quæ

mira

mira ingenuitatis ornamenta, quatenus apud nos in pueriliad literas inſtitutione fuiſti, & aliquot annos id fuit, cum in multis qui operam nobis ſimul dabant, tum in te, & in Caretto meo animaduerti. Quod à te peto facile aſſequere, ſi mandatis noſtris parueris, ſi te noueris, ſi quantum pro patria elaborandum ſit non ignoraueris, ſi quanta expectatione de te apud omnes, qui te puerũ, & iam ætate paulũ progreſſum nouerunt, concitaueris, non te fugerit, ſi & parentum opinionem non fallendam tibi perſuaſeris. Videor audire tibi ad hæc iam parato, non longiori oratione opus eſſe. Quandoquidem ea cauſa domo diſceſiſti, vt ijs literis in patriam ornatus redires, quibus omnibus ornamẽto, pręſidioqúe ſis. Id (vt ſpero) breui tu conſequere, & nos qui hęc auide expectamus, magna animi hilaritate, & cõmodo fruemur. Vales enim ingenio, iacta quoq; ſunt firmiſſima fundamenta ijs in literis, quæ aditum ad nobiliores ſcientias aperiunt. Nec à maioribus tuis, qui in patria ornanda, augenda, & adiuuanda ſuas omnes cogitationes poſuerunt, tibi degenerandum putas. Qualem patrem, qualemúe patruum domi habeas nõ te latet, illos equidem qui ſumma innocentia, temperantia, animi fortitudine, fide, quæ ornamenta & ſi cõmunia multorũ ſunt, cohortium tamen & militũ pręfectorum maxime ſunt, quibus cum diuerſis in locis orbis terrarum, tum ad Metis grauiſſimam ex temporis periculoſiſſima conditione oppugnationem ſemper præſtiterunt. Hos vt in res militaris cognitione imiteris nolo, in reliquis vt conſtantiſsime æmuleris te adhortor, ſic filius in Ioãne Baptiſta vigebit, ſic nepos in Thoma patruo, & auo luceſcet. Vale, & noſtras crebro expectato, non quibus te ad honorem auitum,

ſponte

ſponte currentem incitem, ſed quibus te viſum, & de ſtatu noſtro admoneam. Cremonæ cal. Iunij.

FRANCISCVS ZAVA
Ioanni Cano ſuo. S. P. D.

CVM III. calend. Septem. Caſalem ſplendidam, magnificam, ſummæ amœnitatis, antiquæ virtutis, mirandæq; integritatis ciuitatem veniſſem, vbi triduo cōmorati ſumus, ſummorum virorum precibus expugnati, qui me certatim domos ſuas inuitabant, nihil poſt Rolandi Vallæ ſalutationem antiquius habui, quā te ex primarijs, illius vrbem maxime celebrem, naturaqúe, & philoſophum, magnumq; iuriſconſultum, & ſenatorem optimum conuenire, viſere, & ſalutare. Hoc pietatis, & mutuæ beneuolentiæ officio, quorum vtriſq; abunde ſatisfactum eſt, omiſſo, huc deducta eſt oratio tua, te cū amicis tuis, penes quos ſumma illius nobiliſsimæ Reip. erat, de me conducendo ad inclytæ iuuentutis Caſalenſis eruditionem, & in literis moribusq; inſtitutionem egiſſe, ab omnibusq; tibi plauſum fuiſſe, qui hanc rem tanta cura ſuſcepiſſes, cumq; de mercede, & penſione publice diſſoluendæ agi cū illis cęptum eſſet, rem ad V I I I. Hs. vt nunc loquimur ad ducentos coronatos productam, & communi conſenſu comprobatam fuiſſe dicebas, pręter omnium rerum immunitatem, lignorū quoddam ex veteri illius vrbis more pręmium, domumqúe publicam ad hoc munus expoſitam, & aliarum huius generis rerum ſponſionem. Cum tu in hoc ſermone diu fuiſſes, ſic tecum agere cœpi, quod & mecum alias accurate, diligenter, illoq; amore, & beneuolentia, qua patriam hanc

meam

meá ſemper amplexatus ſum, & humaniter foui reputaueram: Nihil ab optimo ciue indignius excogitari poſſe, nedū ſuſcipi, & agi, quā patriā, ad cuius cōmoda dignitatemq; & vtilitatem, genitus, altusq; ſit reſpondebam. In magna præſertim illorum penuria virorū, quorum labor in patria dignitate, maiorumq; inſtitutis ſeruandis perneceſſarius eſſet. Memineram enim Decios, Curtiumq; & alios quamplurimos, nobiles, ſtrenuos, forteſq; viros, cum apud alias nationes, tum apud nos pro ſalute, & patriæ, & exercitus, intrepide ſeipſos Dijs immortalibus deuouiſſe. Memineram quoq; & parentes nonnullos, & ſummo, & humili loco natos, à verberatione, natorumq; cęde pro charitate, & patriæ incolumitate manus non abſtinuiſſe. Hac prius emiſſa oratione. Te patriæ genueram. Legeram & fœminas cętero qui genus molliſſimum ad acum, columq; natum partibus corporis inferioribus denudatis, acri, vehementiq; oratione filios ſuos, qui ſam hoſtibus terga dederant, in hoſtem vertere arma coegiſſe, motas ſolo patriæ amore, maternæ naturaliſque beneuolentiæ oblitas. Qua adhortatione & pudore incenſos victoriam conſequutos, in patriam ouantes rediſſe, & cum parentibus, liberis, vxoribus, penatibus, laribus, templis, foro, tectiſq; ſuis, cōmuni lętitia frui cæpiſſe. Neq; inſcius ita rerum eram quin ſcirem mihi eam patriam eſſe, quæ pro alienis focis, amicorum, ſociorumq; laribus nulla pericula recuſans acriter dimicaſſet, pro dignitate ſua mordicus pugnaſſet, quæ nunquam ciuium ſuorum (de optimis temporibus loquor) ſibi aduerſa arma ſenſiſſet, ſed potius tanquam muniti ſſimum propugnaculum illorū corpora ad hoſtium acerrimorum furores comprimendos,

impetus repellendos omnibus telis oppoſita, & obiecta fuiſſe. Ad quæ, illud tritum memorabas, & obijciebas. Vbi bonum, ibi patria. Tum ego qui hoc dixit, illi patria interdictum erat. Me vero ciues mei amant, & filiorum ſuorum non vt pigrum, ſed vt diligentem cuſtodem obſeruant. Et me non ex pelopidarum ſtirpe, ſed Cremonenſium genere pro decoro patriæ maxime pugnace, & fidiſſimo, natum aſſeverabam. Quid tu dicebas domi lucri eſt? qui tibi dignitatis gradus ad hunc tuum tandiu exhauſtarum pro ciuibus tuis laborem? Multum referebam, & lucri, & honoris mihi apud ciues meos eſt. Nam quicquid fortunæ, quicquid literarum nobis eſt, illis acceptum refero, vt affinitatem mihi cum Brumanorũ & antiqua, & nobili familia propter vxorem vtrinq; compoſitam, ex qua filios quinq; iam ſuſcepimus ſilentio prætereã. Foris pugnant Cremonenſes ad Maiorũ laudem retinendam, virtutem patriam declarandam & ad recentẽ laudis memoriam referendam. Ego foris euigilabo pro aliorum commodis, patriæ meæ oblitus pro cuius liberis alendis me tanquam Pelicanum alias expoſueram? nunquam id mi diſertiſſime Cane efficies. Hæc certe magnæ conſiderationis ſunt, tu vt magnus Dialecticus, & pater familias referebas. Ego contra fortaſſe, vt Stoicus, qui nihil à fortuna penderem, dixi omnes meæ cogitationes in Dei benignitate, & Cremonenſium liberalitate poſitæ, & locatæ ſunt, qui beneficijs nunquam ab vllo vincuntur, & qui vt optimi iudicij viri mallunt, qui de Republica ſua bene mereri volunt, more militari non ſemel, & bis, ſed frequẽter puluere concitato, ad olimpiacam metam non intermiſſo curſu deuenire, quam leui brachio fores ad dignitatem

gnitatem aliquam aperiri, vt in labore nõ in ſimulata, inanique & glorioſa oſtentatione; ſpem adipiſcendi honoris ſibi ponendam non ignorarent. Tum tu quaſi contracta fronte, vt mihi videris inexpugnabilis es mi Zaua. Mox tuam conſtantiam, amoremq; tuum in patriam laudo ais. Nullum verbum hac de re amplius vel tecum, vel cum alio agam niſi per te licebit. Hoc idem de conſtanti tua beneuolentia in Cremonenſes, mihi ſępe Hieronymus Vida, quo cum multos menſes familiariter vixi retulit, quod, ex oratione tua accepi. Tu non verbo tantum Cremonenſis quorum proprium eſt nihil ſimulate agere, ſed animi ipſius ſignificatione, obteſtatione, & conſecratione repetebas. Finito ferè iam ſermone, dixi me, & à M. Antonio Bellono viro nobiliſſimo, in meq; liberaliſſimo, & ab alijs illius vrbis pręſtantiſſimis ad hoc pręclarum munus me adhortantibus literas accepiſſe, quæ apud nos ad hoc ſunt. Quibus omnibus reſpondebam, me in patria mea eſſe malle Curium, aut Fabricium, quam in quolibet orbis terræ amœniſſimo loco, lautiſſime, & ſine literatorum contentione viuere. Quare quod Vidæ negaui, quod Bellono non dedi, quod alijs non deſpondi, quod tecũ multis verbis, & fortaſſe ad tui animi faſtidium diſputaui, & me non facturum aſſeueraui, id tu animo ęquo, & coram, & ijs literis negatum feras. Vale, mi doctiſſime & nimis tuæ patriæ ſtudioſe, & vt ſoles, me ama. Cremo. prid. idus Septem.

FRANCISCVS ZAVA

Danieli Barbaro. S. P. D.

EX vltima literarũ tuarum ad Tollentinum noſtrũ

pagella, quæ tua ſit de me non opinio, ſed ſine fuco, & breui ſententia iudiciũ cognoui. Verum an is ſim, quem tu me docta, & plena laudis oratione exprimis bonum videlicet, & literatum iudicabunt ij, qui morũ meorum conſuetudinem aliquam habent, & qui in literis ijſdem ſepe nobiſcum verſantur. Id ſcito, me omnibus diuitijs, regumq; opibus preponere, à viris bonis, doctis, laudatis probari. Neque erat vt cum Petro Antonio tam verecunde ageres de ſcribendi ad me charactere. Nam quacunq; forma literas tuas ad nos dederis, mihi crede, iucundiſſimæ erunt. Non .n. eorum ſolum, qui ad me ſcribunt expendo verba, quæ diligenter cõſiderare ſoleo, ſed beneuolentiæ, & amoris delitefcentes, vel potius aperte declaratos igniculos, magna cum animi delectatione tracto. Quare ſiue latine, (quod valde probo) ſiue cõmuni, & noſtrate lingua, orationeúe ſcripſeris non vehementer laborandum eſſe cenſeo. Quod tuo commodo fiet, id mihi gratiſſimum, & omnium literarũ Romano ſtylo ſcriptarum inſtar erit. Eſt tamen vt te rogem, vt literis tuis ad me prius, nobis ſignifices, & notis tuis clariſſimis beneuolentiam teſteris, quam Tollentino. Non quod ægre feram, id Tollentino vtriuſq; noſtrum amantiſſimo quanti me facias ante ſignificari. Sed quia & ipſe tuas ad me ſeorſum ab illius literis dari velim; ne ſi aliquid de me cum laude ad illum ſcripſeris, qui mos huius eſt, diuulget. Satis iocatus ſum. Tu quumprimũ ad Tollentinum ſcribes, me illi commendato, qui te plurimi facit, ſed non omnium te maxime obſeruat. Non .n. illi in vllo officij genere, vel amoris, vel in te obſeruantiæ, & quicquid eſt huiuſmodi inuideo. Quanquam is vnus eſt omnium, quos amicis fidos, &

beneuolos

beneuolos nouerim dulciſſimus, & maxime comis, ad quē omnes, qui amicitiæ terminos cognoſcere cupiūt, cōcurrunt, vt amoris principia vnde oriantur adiſcant. curſus in amore cognoſcant, fines ab hoc diligentiſſime accipiant. Vale, & me more tuo ama. Cremona XII. calend. Septemb.

DANIEL BARBARVS
Electus Aquilenſis, Franciſco Zauæ
S. P. D.

Nae & tu inuidus, & ego ambitioſus, diſpari tamen iudicio, tu quidem in officij genere honeſto cum Tollentino contendis, ego philautia, & obſequio mei rem repeto, quam non intermittere, ſed planè deponere decreueram, latine ſcilicet ſcribendi. Cæterum te monitum velim, periculum eſſe ne & tua cum Tollentino in me ornando contentio, graue inter vos diſſidiū gignat, & mea in me indulgentia in officiū, & morem vertatur, quo fiat, vt tu inuidiam tuam deponere, & ego ambitionem meam retinere debeamus, ſi modo æquius cenſes bonum periculo plenum, quam malum damno immune relinquendum. Putas me iocari? Sedulo hercle, & ſerie ago, & liberius agerem, niſi temeritatis ſuſpicionem cauerem, quod ad virū doctū, & omnibus humanitatis ſtudijs excultum negligeres, ego & planè ſupinus ſcribam. Præſertim cum nec quid ſcribere, nec quomodo ſcribere debeam, ignorem. Niſi forte illud ſatis, & bene ſcriptum ſit, quod vere ſcriptū eſt, me rudem, te peritū, me nudum, te ornatū, me oſcitantem, & ſtertentem, te vigilem, & accuratū eſſe. Vale Venetijs XI. cal. Oct. CIↃ IↃ LXVIII.

Franciſcus

FRANCISCVS ZAVA
Danieli Barbaro Patriarchæ
Aquilenſi deſignato.
S. P. D.

QVANAM tua ſi me amas, quod nimis ſtudioſe facis, ambitione, quaúe noſtra inuidia fit, vt quod honeſtũ eſt minus per nos cõſequaris? Et in optimo laudis iampridem incepto, & quaſi iã decurſo ſpatio cõſiſtas? Num quia te magis cum omnibus loqui, quam cum paucis delectat? Te hoc ſtudium tenet? non te equidẽ impedio. Quod tamen ſi eſt, quomodo philautiam tuã defendes? quoúe modo tibi obſequeris? niſi hunc tui ipſius amorem, & tuum, & communem appellas. Quorũ vnum Platonis Remp. labefactat, & conuellit, alterum affirmat, & ſancit, tertio locum non video. Neq; quod periculum vtriq; creetur ſatis ſcio, mihi qui quondam te ad latine ſcribendum prolectauerim, Tollentino q blanda oratione ſua, & quaſi perſuaſtrice ad hoc te impulerit, qui non minus ſuauiloquentia ſua ad quod vult, quibus cum loquitur quam Sirenes, quæ earum domos prçteruehèrentur, vertit, quo nihil gratius mihi accidere poterat. Legi enim tuas perhumanas, liberales, & elegantes literas, quibus niſi Tollentini ad huiuſmodi partus eliciendos tam faciles prçſtigiæ fuiſſent, perpetuo cariturus erã: Quo ambigo vtri plus debeam: Tibi dicerem niſi hac mea oratione ſubuererer, ne Tollẽtinus oculi, & delitię meæ à nobis alienaretur. Habeo tamen tibi magnas gratias, illi vero ingentes. Quod ſi ęgre fers, caue ne iam inter vos contentio exoriatur. Quam æmulationem, & mutui amoris contentionem vobis dirimendam relinquam.

Nec

Nec illud pręterire poſſum, me per Socratis Demonẽ adhuc nõ depręhendiſſe, quo modo inter diſputãtes de aliquo oĩm doctorũ & bonorũ cõſenſu laudato, contentio oriri poſſit. Te ego, & Tollentinus vir mehercle tãti ingenij, & iudicij, vt q eius orationi nõ ſubſcriberet, extremæ demẽtiæ iudicaretur, ſtudioſe laudamus, vterq; ad eũdem finẽ ſermonẽ noſtrũ dirigimus, ille tũ verborum, & ſententiarum grauiori cõcentu, ſed nulla ſenſus inter nos diſcrepantia. Num quia noſtrum vnus Sophiſtes, & alter minime? Nõ mediusfidius Socrate egemus ad Sophiſtas diſturbandos. Vtriuſq; ſimplex eſt oratio, & animi expoſitio. Argumentationem tuã ſi admitteremus, doctam quidem, ſed minime validam ad concluſionem, ſequeretur, vt quicunq; diſputant de honeſto, mutuo odio inuicem morderentur, quod cum tu & Philoſophus, & Dialecticus ſis, tibi dijudicandum relinquimus, pari amore, & ſtudio te proſequentes. Certe inter nouem apud Platonem Heroas de pulchri facie diſputantes, licet in conuiuio perquam egregio & magnifice apparato, nõ tamen vlla inter eos diſſenſio audita ad poſterorum aures deuenit. Sed cũ quiſq; partes ſuas ordine ageret, reliqui muſſitantes ſingulorum dicentium verba excipiebant, & taciti ſententias obſeruabant, & nos ieiuni turbam in te ornando inter nos tui amantiſſimos concierimus? Quid preterea? Tu ſupinus (libenter enim verbis tuis vtor) & negligens, ego doctus, & excultus? ſic mecum iocaris mi Daniel? quid ſi vna eſſemus? Næ tu multo vrbanius id mecum ageres. Quod vis tibi de me libet ſcribere, id me fateri decet, te illum eſſe qui tuo ſtudio literatos & ingenioſos illuſtras, beneuolentia, quos tu amplecteris fęliciſſimos, & hoc ſolo contentos. Literas tuas vidit,

vidit, & diligenter legit noſter Tollentinus, qui cum ad illud perueniſſet, me rudem, oſcitantem, & cetera, ſubriſit, vt eſt eius mos in huiuſmodi rebus, mox ſubdit quam belle. & facete, noſter Daniel diſſimulat. Illum nimirum effingit maximum Philoſophum, Vnum ſcio, quod nihil ſcio. Id concedamus tanto viro, tu inquam & quæ ioco nobiſcum agit, ea putemus illum ſerio agere. Id enim exigit Phedri conuiuium, id eſt ſenſuum noſtrorum pulchritudo. Iam ad tuas doctiſſimas literas quid reſtat? nihil profecto. Redi igitur ad priſtinum latinitatis tuæ candorem, quo veram eloquentiam ſuſtines. Da te Philoſophiæ quam literæ tuæ totam ſapiunt. Da te vrbanitati, qua hoc genere ſcribendi mirifice excellis. Repete, ſi tamen literas haſce manſuetiores, & ſecretiores dimiſiſti, quod non credo, id enim ex eleganti ſcribendi ſtylo tuo apparet. Nos ama, qui cum Tollentino, & ad te amandum, & ornandum rectis ſtudijs contendimus. Vale, Cremonæ idibus Decembris. CIↃ IↃ LXVIII.

FINIS LIB. VI.

LIBER SEPTIMVS

Epiſtolarum Familiarium

FRANCISCI ZAVAE

LAVRENTIVS CAELIVS Franciſco Zauæ ſuo. S. P. D.

HAVD poſſum verbis aſſequi, qua voluptate me aſperſerit nominis tui gloria, cum te in conficiendo Brocardi comitis ſymbolo cæteris omnibus, quibus hoc onus iniunctũ fuerat, pręſtitiſſe intellexi. Non mediocri ſimul lætitia me affecerunt elegantes elegi, quos ſcitiſſimi Ahalarũ pueri pręſtãtiſſimo vrbis Venetæ Legato recitauerunt, eoq; impenſius lætatus ſum, quo maiorem inimicis tuis dolorem fecit iſta doctiſſimorum carminum editio. Eſt quoq; mi ſuauiſſime Franciſce, quòd tu ſummopere gaudeas, quando ęmulorum perfidiam perfregiſti, optimamq; de te conceptam opinionem apud ciues tuos plurimũ auxiſti. Tu mehercule huculq; plurimum profeciſti, ſed niſi pergeres, actum eſſet nihil, perge igitur, vt cœpiſti, hoc enim pacto futurum video, vt qui intus rumpuntur

FFF inuidia,

inuidia, medij foris dirumpantur. Vale, & Cælium tuum (quod mutuo facies) ama. Ex Ioan. Baptiſtæ Stangæ Comitis ædibus.

LAVRENTIVS CAELIVS Franciſco Zauæ. S. P. D.

DIALOGVM tuum numeris omnibus abſolutum, vnà cum orationibus elegantiſſimis libentiſſimè legi, meq́; meæ plurimum piguit negligentiæ, quòd talium ſcriptorum lectionem ad hanc vſq; diem diſtulerim. Cum præſertim liberalis eorũ copia mihi iampridem abs te facta fuerit. In ijs, ne ſim longior, nihil à me deſiderari potuit, quod ad ſummum dicendi artificem pertineat. Nam præter quam quod ſingularem verborum elegantiam, ſententiarum grauitatem, & totius denique orationis ſtructuram vehementer admiratus ſum, quam maximè etiam ſuſpexi eximium ingenium tuum, ſummamq́; induſtriam maximis extuli laudibus. Quare etiam, atque etiam abs te peto doctiſſime Franciſce, vt pro nominis tui dignitate, pro communi hominum vtilitate, (quibus quantum debeas, tibi ex Platone tuo ſatis didiciſſe licuit) pro incredibili æmulorum dolore, dialogum, & doctiſſimas orationes in lucem quam primum edas. Hinc te virum eſſe ſentient inuidi, tibi gratulabuntur omnes laudum tuarum ſtudioſiſſimi, remq́ue ijs omnibus pergratam facies, qui maleuolorum dicacitate repreſſam cupiunt. Vale, & Cælium tuum, quod mutuo facies, ama.

Laurentius

LAVRENTIVS CAELIVS Franciſco Zauæ ſuo. S. P. D.

Cogit me ratio fateri Franciſce Cremonæ decus, id quod Stoici voluere, fato fieri omnia. Nam cum in vrbe eſſem, huc cogitans, ſtatuebam, (vt par erat) te primum omnium viſere, & ſalutare. Neſcio tamen quo fato ſalutationem hanc meam in hunc vſq; diem diſtuli, & quod facere coram debuiſſem, feciſſemque libentius, per literas ago. Fatis itaq; agimur, fata nullo mortalium conſilio mutari poſſunt. Sed ad te profeciſci, cum id libens, volensque multis de cauſis feciſſem, primùm, quòd nunquam ad te accedo, quin abeam doctior, melior, ſanctiorque. Deinde quòd curis omnibus leuari mihi videor, dum tui ſermonis ſuauitate me detines, dum tuo iucundo fruor aſpectu, dum vltro, citroq; habetur ſermo de virtute. Qua nihil pulchrius, nihil amabilius, nihil quod magis homines ad amandum aliciat. Mitto tranquillæ, & ſerenæ frontis tuæ hilaritatem, animi tui manſuetudinem, humanitatem, qua me, quoties ad te venio, excipis, colligis, amplecteris, vt aliquando erubeſcam, cũ videam longè me pluris fieri, plus honoris, plus authoritatis mihi abs te deferri, quam merear. Mitto vernaculæ feſtiuitatis iucunditatem, latini ſermonis tui leporem. Quibus adeo capior, vt dum tua vtor conſuetudine, Deorum nectare, ambroſiaq; frui videar. Mitto ſummam acerrimi ingenij tui vim, qua recondita latinorũ, græcorumque ſcriptorum ſenſa miro quodam modo penitus eruis, & nodos ſoluis omnes. Mitto ſuauiſſimos mores, ſingularem probitatem, atq; conſtantiã, quibus bonorum omnium tibi beneuolentiam comparas,

paras, malos in admirationem trahis. Hęc omnia ita me delectant, ita mouent, ita alliciunt, vt nunquam nõ tecum eſſe velim, cupiamq;. Vtinam quod mihi vitæ ſupereſt, tecũ agere liceret, ideſt tibi inſeruire, & commodis tuis adeſſe. Quicum poſſem viuere iucundius, quã tecum oĩum hominum iucundiſſimo, ſuauiſſimoq; quem natura omnium virtutum numeris cumulatiſſimum eſſe voluit. Cuius egregias animi dotes, opesq; ingenij maximas, in rebus perſpiciendis acumen, in iudicandis acre iudicium, in dicendo vehementiam, in legendo gratiam, in ſcribendo leporem, in loquendo munditiam, dignitatem, elegantiam, in concilianda pace ſtudium, in componendis litibus diligentiam nemo non admiratur. Tranſeo, qua prudentia, iuſtitia, animi fortitudine, tẽperantia ſemper vixeris, viuasq;. Qua morum ſimplicitate, & ſumma literarum cognitione contubernales tuos, & Cremonenſem iuuentutem formes, id norunt ciues tui omnes, Mediolanenſes, Placẽtini, Bononiẽſes, & vniuerſa ferè Italia. Quã ſis accuratus Rhetorũ interpres dicat Gambarinus, & cæteri viri præſtantiſſimi, qui te Cremonæ audiuerũt. Quicum fęlicius viuere liceat, quam tecum? quem in proſperis elato animo, in aduerſis fracto nemo vidit vnquam. Sed quorſum hęc commemoro? Cum nulla oratio laudibus tuis par eſſe poſſit. Nec tu fortaſſe laudes tuas libenter audias, eas igitur in aliud tempus omittam doctiſſimis, & eloquentiſſimis viris commemorandas. Has addam, me locutum fuiſſe de dialogo, & de orationibus tuis cum Iulio, & Ioanne Franciſco Stangis ciuitatis tuæ primatibus, & quas ad me miſiſti, eiſdem oſtendiſſe lucubrationes, quas cum auidiſſimè perlegiſſent, à me etiam, atq; etiam petierunt, vt pro

mea in te ſingulari obſeruantia ad ea quamprimum in lucem edenda te hortarer, motus igitur tantorum virorum authoritate, vt ſcripta tua in vulgus emittas, te etiam, atq; etiam rogo, ſed de ijs aliàs, & propediem, vt ſpero. Interim vale, & me, quod mutuo facies, ama.

PETRVS PRANDVS
Franciſco Zauæ ſuo. S. P. D.

Non ſic à magnete ferrum trahitur, vt tu amore quaſi fatali, & germano doctiſſime iuxta, & diſertiſſime Zaua ad te amandum omnes, qui bene te nouerunt trahis, inuitas, allicis. Nam cum tu præſentia antea mihi ignotus fuiſſes, fama autem & nomine iam multos annos notiſſimus, tum ob excellentem eruditionē suam, tum ob candidos mores, quos tibi ineſſe audiueram, cum iniquam tuā erga ſtudioſos humanitatem, comitatemq; exploratam habuiſſem, idque ex varijs ingenij tui clariſſimis monumentis, quæ has ſimul, & alias virtutes apertiſſime teſtantur, tamen ab eo tēpore quo Bozuli apud nos diem vnum fuiſti, tuam in omnes hilaritatem, facilitatemq; propius declaraſti. Ita. n. humanum, & comem te nobis præſtitiſti (vide quid agat hominis præſentia) vt ingens cunctis te amandi, colendiq; deſiderium reliqueris. Quod effecit vt minime mirum ſit, ſi de literis, & moribus bene ſentiētes, omnes vno ore Zauam laudant, prædicant, vnum vere doctum, vnum modeſtum, dulcemq; amicū dictitant, ſibiq; diuinitus contigiſſe putant, quod tua nō ſolum præſentia vti, ſed (quæ tua eſt affabilitas) familiaritate etiam frui aliquando potuerint, præterea abs te mihi,

& amicorum verbis, & literis crebris reddita ſalutatio plenam tui erga me animi, & amoris ſignificationem penitus demonſtrauit, vt ſi te viciſſim non amaſſem, amaremq; ab hominũ conſortio omnino excludendus eſſem. At (fati enim vim quandam hic deprehendas licet) multũ inter me & te intereſt. Tu .n. me diligis, quod vere talem me eſſe credas, qualem alij me tibi prędicarunt, noſtrates prępertim ciues, quos de me ita honorifice apud te loqui cæcus amor patriæ induxit. At qui ego te amo quod toto pectore virtuti, quod honeſtis ſtudijs faueas, quando horum gratia ſola opinione contentus, mihi quoq; faues, non quod his prędítus ſim, ſed quod tibi perſuaſum ſit his prędítum eſſe me. Proinde (vt binis tuis literis nunc reſpondeam) quod de iudicio meo tam bene opinaris, & ſentis, eſſet quidem quod lætarer, me à laudato viro laudari, ſi res ita eſſet, vt ſcribis, ſed ita fit, vt dum alieno ſermone ſeduceris falſum de falſo iudicio iudiciũ feras. Certe honeſta ſtudia, pręſertim ea quæ ad humanitatem pertinent adamare ſemper conatus ſum, ſed iam trienniũ ea intermiſi, Mathematicarũ ſcientiarũ ſtudio captus, ita vt nullos humanitatis authores præter admodum paucos, quos ex tempore interpretari cogor, non habeam puluere obſitos. Sed finge etiam in iſtis ſtudijs me recentem eſſe, putas ne tamen ineptum, aut imprudentem veluti Agricolam aliquem eſſe me, qui in feraciſſimi agri tui exuberantem ſegetem nõ incidentem falcem meam ſtultus immitterem? peream ſi non grauiter peccares, ſi me talem haberes. Nam (vt tecum nihil diſſimulem, ſed omnia aperte agam) quale te iudicium mouit; vt quod tu alioquin oculatus homo, vel argeis oculis examinaſti ipſo lynceo perſpicacior

alterius

alterius iudicio te ſubmitteres? Veruntamen ſi tibi ita placet vt meam ſententiam exponam, dicam libere. Equidem maiorem in modum me delectat ſtylus ille tuus ſimplex, & naturalis, verba non aſcita, ſed vnà cum ipſis ſententijs coherentia, ſenſus ſani, ac ſolidi, nihil neq; in verbis, neq; in ſententijs aut portētoſum, aut diſtortum, aut coactum, aut imminutum deniq; aut redundans. Caue in literis quas ad te ſcribo, & in his pręſertim me logodedalum agere, ideſt nō ſimplicem ac ſyncerum, ſed fucatum & diſſimulantem, de me .n. ſic ſtatuas velim; nihil mihi æque ac hypocriſin eſſe inuiſam, neq; ipſum me apud amicos fingere quicquā, neq; figmentis alienis delectari. Ego tamen optaſſem libentiſſime, vt Gogaua noſter iudiciū ſuum adhibuiſſet, vt quod de Pytagora ſuo Philoſophi illi veteres referebant in diſputationibus ſuis, id & nos (non enim ægre te laturum puto in re noſtra aſſeuerare tui poſſemus: Ipſe dixit. Sed & febri nunc correptus eſt, vt ex eiuſdem literis ad me miſſis, quas ad te dedita opera pariter mitto, cognoſcere poteris, & cū valet, omnem operam principi pręſtat; vt ad gallicinium vſq; (forte enim intelligere potuiſti) noctu ſecum de bonis literis agens moretur. Itaq; doctiſſimam, & facundiſſimam orationē tuam ad te remitto, tum arte mira cōpoſitā, tum ſatis per te acutè examinatam, vt nulla (iudicio meo) egeat expoſitione. Cæſarem Gonſagam, Stephanumque Magnum adoleſcentes optimos, ad ſummam eruditionem natos, etiam tibi cómendo, impriuiſq; vt Gonſagam ad iſthic tecum diutius cómorandum, ſi non precario, at vel vi compellas obſecro. Maiori enim tum eius vtilitati, tum etiam honori id ceſſurum non confido, ſed aſſero. Quam verboſus hac

mea epiſtola fuerim certe ſentio, ſed cogitabis non ſemper eruditas oportere legi epiſtolas. Tu qualemcunq; dedimus à tui amantiſsimo profectam tibi perſuadeto. Vale VII. Idus Auguſti.

FRANCISCVS ZAVA
Io. Baptiſtæ Dulcerio. S. P. D.

Ego cum ex vrbe multarum rerum ſtudio defeſſus nó minus cupide euolare deſiderarem, quàm Platonis auis, qua tempeſtate inuitus apud Dioniſium tyranum cómorabatur, in villam tuam me recepi. In quam me ſepe inuitaras, & omnes tui me ſtudioſe expectabant. Quo cum primum veniſſem, vnà cum duobus maioribus natu, filijs Ioannis Petri Abalæ optimi, & nobiliſſimi ciuis, Pauli Senatoris, quem ad perpetuam memoriam patria hæc cum omnium ciuium maxima laudé genuit, fratris, ex te duas contentiones, nec rerũ leuiũ diſcrepationes inter te, pridie eius diei, & Rufinum, filiorum, nepotumq; tuorum ſummæ induſtriæ, & diligentiæ pręceptorem exortus fuiſſe, cognoui. Quarum vna erat, quoſdam Venetos intelligat, quos Cęſar ſcribit in tertio cómentario rerum Gallicarum, haud difficulter victos fuiſſe. Altera quo tempore *Olympias*, & à quo cęperit dici. Ijs quoq; addebas, *quæſitum*; & quæ nominis eſſet interpretatio, & vſus. Hæc cum à te diligenter enarrata attente audiuiſſem primo dixi me Aquæ nigræ (hoc .n. villæ tuæ nomen eſt) gratulari, quæ pręter loci amęnitatem, & vbertatē, amęniſsimis quoque, & vberrimis ingęnijs abundaret. Deindę ſingula examinare, explicareq; cœpi, ex diuerſorum authoritatibus ſcriptorum. Quæ tamen dixi, cum in

 amal-

amaltheam meam rediјſſem, maiori cura illuſtraturi, & ſtatim controuerſiam omnibus modis explicitam, literisq; teſtatam ad te miſſurũ. Vt igitur mi Ioannes Baptiſta ordine propoſuiſti, ſic tibi ordine reſpõdebo, neq; te hic longiori oratione, & ſermone retinebo, Venetos igitur, de quibus agit Cæſar, recte, & perite mecum cognoſces populos Galliæ Lugdunẽſis fuiſſe. De quibus Plinius libro IV. & cap. XVIII. & XVIIII. eiuſdem lib. agit. Et Strabo apertius lib. IV. diſputat. Quos inter Belgas ad oceanum recenſet, & quo modo à Cæſare, Nauali prælio victi fuerint, breuiſſime idem diligẽtiſsimus ſcriptor docet. Qui Troia euerſa, Duce Antenore, cum ex paphlogonia ob ſeditiones eiecti fuiſſent, oras illas tenuerunt, quas Aquitaniæ conſmographi aſcribunt. Quam rem, & Liuius tetigit libro primo Decadis primæ. Illos non fuiſſe, quos Cæſar vicit, qui annis multis poſt ampliſsimam, locupletiſſimã, florentiſsimamq; vrbem Venetias condiderunt, nullo modo eſſe docte, & prudenter cenſes, nec minus impigre argumentaris. Ij enim, vt aſſeueranter diſputabas, nouæ vrbi fundamenta iecerunt, à Seruatoris humani generis feliciſsimo, & nobiliſsimo, illuſtriſsimo, maximeq; ſalutifero natali, anno quadrigenteſimo, & quinquageſimo quarto. Quod magnum temporis interuallum fuit, à Venetis ſubactis, & in Pop. Rom. ditionem à Cæſare redactis. Bellum enim in Gallos, Venetos, & reliquos de quibus agit Cæſar anno ſexcenteſimo, nonageſimo, ſexto ab vrbe cõdita geſtum fuit. Natalis Chriſti anno 751. à quo tempore ad Venetiarum ædificationem tot anni enumerantur, quot ſupra oſtendimus. Ex quo quiſq; iam ſuppūtare poterit, de quibus Venetis apud Cæſarem intelligendũ

GGG ſit.

ſit. Hos Liuius cum Homero Henetos appellat, nos dulciori pronunciatione Venetos ꝓferimus. Ad hanc quam fecimus diſtinctionem concurrunt & Hiſtorici, & Geographi omnes. Quamobrem me nunc refero ad alterā diſceptationē veſtram, quæ mox de olympiade inter vos inſtituta fuit. De temporis ſpacio, quod olympias compræhendit, peritè vterq; quando cum Rufino putabas, quinq; annorum olympiadem eſſe. Nec non ex quorundam opinionem quatuor iam finitorum, quinto incipiente. Id verum eſſe coram confirmaui. Sed quare olympias, & à quo dicta ſit, quoúe tēpore apud Latinos pręſertim quærebatis. Olympias ergo ab Olympo monte, vbi Hercules olympia inſtituit, appellata eſt, quam à numero quinq; fratrum dici voluit. Cuius rei Rhodoginus libro XIII. capit. XVII. author eſt. Alij à quinquageſimo menſe, vt idem ſcribit eodem in loco. Vbi vtranq; ſententiam cōplexus eſt, quod quiſq; facile ſubducere poteſt. De ijs quoq; Plutarchus in vita Homeri. Olympias igitur prima vt Herculem miſſum faciamus, dici cępta eſt Amulio Latinorum vltimo rege, qui regni Latini annus fuit 409. quo anno ad olympiadas annorum numerum reuocarunt. Cum prius ſinguli anni numerarentur. Sex olympiadas ſub Amulio præteriere. Septima olympiade Romulus regnare cępit. Quam gręci olympiada nominarunt, latini luſtrum dixerunt, peractis n. quinq; vel, vt alij cōtendunt, quatuor annis, quinto incipiēte, ad cēſum Romana ciuitas cogebatur. Cuius rei pleni ſunt libri. Habes à Franciſco tuo maxime occupato, quos Venetos Cæſar vicerit. Oceani Acolas, ſcilicet, bellicoſiſſimos, rei nauticę peritiſſimos, maximæ apud finitimos populos gratiæ, & authoritatis. Aquitaniā,

vel ſi mauis celticam (hoc enim parui facio, cognito per illius regionis coſmographos ſitu) incolentes. Et hæc tibi ingenioſo, acutoq; ſatis eſſe debent. Plura filij, nepoteſq́, tui à me accipient, quando opus erit. Tu vero operã nauato tuo iampridem inſtituto ſtudio, ex quo magnam voluptatem capio, & omnibus tuis me cõmendato. Bartholomeum familiæ veſtræ columen, & totius domus maximum decus, mei vel potius omniũ literatorum ſtudioſiſſimum verbis meis ſaluere iubebis. Rufinum cum ingenti liberorũ, nepotumq; tuorum turma expecto. Vale mi acutiſſime, & omniũ dulciſſime Dulceri, & Aquamnigram tuam nutricem tam fertilis ingenij colito, & amato. Cremo.

FRANCISCVS ZAVA
Scipioni Agiacio S. P. D.

NON erat mi Scipio, vt ſcribendi ad te occaſionem mihi dari exoptarem. tot enim erant, vt illarũ quęlibet me ad ſcribendum impelleret. Io. Franciſci, Angeli tuorum fratrum adoleſcentium electiſſimorum in me ſingularis amor, & quædam admirabilis obſeruantia, qua cum primum me nouerunt, non me ſolũ amplecti, ſed colere quodamodo viſi fuerunt. Perhonorifica quoq; in vxorem, liberoſq; meos omnes matris tuæ honeſtiſſimæ fœminæ liberalitas, qua illos ita ſibi obſtrinxit, vt nullo temporis vtriuſq; fortunæ vis, & poteſtas ſit eam è noſtris animis deletura. Cui ſi pares gratias referre non poterimus, eas tamen ſemper habebimus. Huc, quod ſemper maximũ duxi, tui ingenij facilitas, modeſtia, optimi, ſuauiſſimiq; mores accedunt, quorum integritate, & te omnibus amabilem,

dum nobis operam in literis dediſti, & mihi, meiſque omnibus admirabilem declaraſti. Quibus modeſtiæ, & rationis temperamentis domũ tuam beneuolentiæ pleniſſimam cohoneſtas, omnium principum Italiæ, regulorum, dynaſtarum, multarum nationũ, & regionũ Tetrarcharũ, Cæſaris deniq; Philippi patris ſententia, lege, decreto, quod ego cũ Mediolani apud vos eſſem maxima cũ animi mei delectatione literis teſtatam, & vidi, & ſæpe legi illuſtratam, cohoneſtatam, auctam regijs, imperatorijs diplomatibus in ſummo honorũ faſtigio poſitam, virtutis opinione, qui te amant, expectationeq; iam de te maxima concitata ornas, ſi tamen ſpes maximi ingenij quo tu præſtas ornamentũ familiæ ſtabiliendæ habet. Hæc ornamenta, vt omni literarum præſidio in tã nobili ſubſcriptione retineas, ad Stephani patris tui memoriam te rogo. Cuius oẽs egregiam liberalitatem, fidem, beneuolentiam, omnis poſteritas cognitura eſt, non meorum ſcriptorũ quæ quàm leuia ſint non ignoro, præconio, ſed omnium illuſtriſſima, vbiq; terrarum decantata, & celebrata oratione. Hoc tecum meditere, & ad totius familiæ tuæ decus, & ad nominis familiæ veſtræ ĩmortalitatẽ, gloriamq; tuam, quando ex te domus tua tota pendet propagandã velim. Hoc tuæ induſtriæ, ſtudij, laboris, tuæ deniq; prudentiæ, ſi tamen hæc ætas vix decimum & ſextum annum ingreſſa prudentiam nouit, cuius tu non paruum ſpecimen mihi iam dediſti. Quid ſit ad rationem cogitationes ſuas deducere cogita. Illud quoque tene, hominis proprium eſſe ſapere. Et illud imprimis tecum frequentato, Deo nos omnia debere, quæ in firma ratione conſiſtunt. Nec illum poſſe falli ſcito. Qui cum ratione viuit, non mi Scipio labitur.

Qui

Qui .n. errare quis poterit, qui rationem magiſtram conſilijs ſuis adhibuerit, & ei paruerit, cui omnia ſunt nota? in his longam moram non faciam, quia vt puto aures tuæ præceptis huiuſmodi noſtris adhuc perſonant. Nos à te magni fieri, quod ad me literis tuis ſæpe teſtaris, quid mirum? à nobis quæ acceperis ſcis. Qui cũ me loco patris habueris, colueris, adde ſi vis, quod ego non inficior obſeruaueris, te quoq; loco filij habui, nec ſecus quàm filium dilexi. Reſtat ergo, vt me totum tuum eſſe ſcias, & matri, fratribusq; tuis commendes, necnon plurimam ſalutem Hieronymo conſobrino tuo verbis noſtris dicas. Vale Cremonæ,

FRANCISCVS ZAVA
Carolo Sigonio. S. P. D.

Non me præterit, quàm diſtentus, & occupatus ſis in iure tum Romano, tum vniuerſæ Italiæ dicendo, quamúe in prouincijs obeundis, conuentibus habendis, comitijs illuſtrandis, alijsq; huiuſcemodi rebus indagandis, & ex antiquis tenebris in clariſſimam ad omniũ venerandę antiquitatis ſtudioſorum, & minime illius inſolentium vtilitatem, nominisq; tui nõ vnius, ſed omnium ſeculorum gloriam, lucem reuocandis totus ſis, tamen viſum mihi eſt amicitię noſtræ maxime conuenire his quam breuiſſimis te viſere, præſertim cum Flauius Fioccus iuuenis pręſtanti ingenio, pręclariſſimis, talięq; iuuene, & maioribus ſuis moribus dignis ornatus iſtuc nunc ipſum veniat. Cui Bononiam proficiſcenti quotannis ad vtriuſq; legis cognitionem ad te meas dare ſoleo. Nos igitur valemus tui imprimis amãtes, ſumma animi alacritate expectantes vberrimas

rimas ingenij tui fruges, quibus doctos in facillima veterum annalium, hiſtoriarum, cæterarumq; rerum interpretatione alere delicate ſoles. Prouincias oẽs hoc anno, earumq; iuriſdictionem auſpicijs tuis augurato ſuſceptis luſtrauimus, prçteruecti quoſq; ditiſſimos, & maxime profundos, inſidioſeq; deliteſcentes ſcopulos, deluſis piratis, prædonibusq; deceptis mercem omnem incolumem in portum deduximus, & in terram omnem exercitum expoſuimus, noſq; reduces, & magna prçda onuſtos patria noſtra libentiſſimis animis accepit, cũ in hoc quoq; anno nec ocioſi eſſe velimus, ne inerti pigritia torpeſcamus, ſed longe excurrere, latiusq; vagari tentemus, cumq; nec te ducem fideliorem magisq; locorum, & regionum, prouinciarum omnium, diuerſarumq; nationum, & latinarum, & grçcarum, barbararumque iuris, morum, legum, veterum inſtitutorũ, magiſtratuum, regum, prçfectorũ peritũ habeamus, vnde ingenti peracta cede ouantes, vel potius detractis hoſtibus ſpolijs triumphantes redeamus per te admoneri deſideramus. Nam te duce forti animo quodq; periculum ingredimur, nec vllas arces, vel in altiſſimis montibus ſitas fluminibus, paludibusúe, aut alia loci natura munitas adoriri, oppugnare, illicq; aſſidue eſſe, quoad illas omni munitione ſeptas puteis proxime admotis expugnauimus, grauamur. Te quoq; authore fundis populis, ſocijs, fœderatis, diuerſarũq; rerum publicarum amicis in Senatu, curiaq; noſtra conquerentibus adſumus. Hic expectamus tuũ Diploma, quo accepto, & ſigillis tuo annulo impreſſis Parthos, Indosq;, & alias huiuſmodi longę extremas, & barbaras nationes expugnaturi, ſublato vexillo, ad arma conuocatis militibus mox vaſis collectis

lectis

lectis in patriam reuerſuri ſumus. Quare ſi tu iam molitus es quod credimus, aliquid, nos quamprimum admone. Pecuniam, ſtipemq; quæ hactenus in theſauris, ſecretioriq́ue ærario latuit, ad hanc honorificam prouinciã excudimus, & paramus. Quæ ſi aliquando nobis non ſuppeditabit, vt in grauiſſimis, aſperrimis, duriſſimisq; & longis bellis euenire ſolet ad collybos veniemus. Nec lacunas in huius generis pecunia delitelcentes timemus; quando nulli adhuc vllo edicto, aut plebiſcito hoc permutationum genere interdictũ eſt. Nunc ſit militibus prouiſum eſt. Tu ſi me amas ideſt omnes tribunos militares, quæſtores, & legatos meos, ceterãq; minutorum turbam præfectorum, & turmarum, cohortiumq; diligis ſcribe quid nobis ſperandum, vel potius agendum ſit. Omnes enim vbiq; iuſtitio indicto ſagati ſunt. Has in maxima rerum occupatione, & militari tumultu ad te exarauimus. Vale Cremonæ.

FRANCISCVS ZAVA
Sebaſtiano Regulo ſuo. S. P. D.

LONGA, vltro citroq; literarũ noſtrarum facta intermiſſio eſt, cuius rei vtrinq; minime aſpernandæ defenſiones, & rationes afferri poſſent. Tu grauiſſimis ſtudijs implicitus rebus arduis, & difficillimis impeditus, maximarũ rerum cognitione diſtentiſſimus, quid ocij habeo, quod nactus ad Zauã meũ ſcribam, dices? ego rerum variarum multitudine, paruarum quidem, & minutarum, ad rerumq; tuarũ comparationem leuiſſimi ponderis, quæ tamen nec contemnendæ, nec Ciuibus meis negligendæ opreſſus, & fere dies, noctesq; obſeſ

obſeſſus, quas nam, & quando meas ad Regulum meũ imo omnium ſcientiarum Regem literas dabo? Tu iuuenes, & ætate, & ſtudijs florentes dicendi grauiori genere ad præſtantiora, & ſublimiora ſtudia excitas, ad altiora erigis, nos infantes pene, & rudes, impolitos vrſarum more expolimus, effingimus, & formamus. Quod tanti laboris, & induſtriæ eſt, vt qui huic officio, vel potius piſtrino præſint, aliquando Plauto, vt ferunt, moras truſatiles ad famem tolerandam agenti, ne dicam Mancipijs, & triremium ſeruis inuideant? Quæ miſeriæ, & infelicitatis moles; quæ Hectorem, aut Achillẽ, vel quemlibet alium fortiſſimũ non a ſcribendo ſolum deterreret, ſed ad omnium rerũ deſperationẽ adduceret, & vt verius loquar enecaret? Dij boni præter innumerabiles tricas, quas in rebus omnibus Gramatica cognitio habet, quam cuiq; illã profitenti moleſta eſt? Mitto ſyllabatim recte pueros docere, voces ad varios, & cuiuſq; dictionis proprios ſonos, & cantus emittendas prætereo, multaq; huiuſmodi taceo. Quæ an ſuo cum decoro ſeruentur viderint hi qui hæc aſpernantur, vel quod eſt probabilius ignorant, cum tamen ſe hæc ſcire non diſsimulent. Non eſt præſentis conſiderationis hac de re nunc agere, alias fortaſſe huius rei pertractandæ nacti occaſionem quaſi ludibundi aliquid ſcribemus. Sed ornatè grauiter, copioſe dicere, affectus demoſtrare, verborũ vim tractare, veteres annales explicare, æqui, iuris, diuerſorum populorum morum, legum, inſtitutorum legitimam interpretationem, & vſum conſiderare, vel argumentis, & rationibus, à quibus ſtandũ ſit docere, vel quorum ſententiæ explodendæ ſint admonere, diſſentientes earundem rerum ſcriptores efficere, vt con-

ſentiant, hoſtium inſidias, & ſtratagemata cognoſcere, caſtra metiri, illaq; foſſis, & aggeribus munire, ordines diuerſos in pugnam producere, aciem inſtruere, equites ad veterem, & militarẽ diſciplinam reuocare, pedites deſcribere; vulneratis Dictamum adhibere, ægrotis curationem reperire, & admouere, afflictos conſolari, nimium exultantes reprimere, iacentes erigere, locorum peritiam habere, ſitumq́ internoſcere, ne in rebus tam neceſſarijs peregrinari videamur, rerum pręterea priuatarum, publicarumq; adminiſtrationem conſiderare, quæ animi, quæ fortunæ, quæ corporis bona ſint, ſi non penitus inter legendum demoſtrare, at ſaltem extremis labijs deguſtare, & digito quodammodo indicare, quanti id laboris, quantæ induſtriæ, & ſtudij eſt? Quid pręterea in campo Martio diuerſorũ competitorum, & candidatorum comitia auditoribus ſuis ad priſcum Romanorum inſtitutum referre? quæ ſola diſputatio grauiſſimas inter diſertiſſimos, & magni iudicij viros diſputationes mouit, nec tamen eas adhuc ſedauit? Quid vt taceam ſomnia, quæ ſępius quam vellem oculos noſtros capiunt, fulminũ creatio? augurũ obſeruationes? & ſyderum ortus, & occaſus? Quid de ſacerdotũ generibus, quid de ſenatus habendi ritu, & tempore, decemque millibus exanthlatorum laborum, his qui in prima ingenuarũ artium diſciplina verſantur explicandorum? Hæc ſingula nonne ſatis vnicuique ad quam nouit artem tractandam? vtique mediusfidius. Et cum hęc omnia in varij generis ſcriptoribus reperiantur, qui interpreti fideliter ad aliorũ potius, quam ad ſuum arbitrium explicandi ſunt, conſiderate tamen, & diligenter, quid agendum? ſiccisne pedibus, & tanquam ad Eurotam ocioſe oſcitantibus,

compreſſis manibus hęc prętereunda, magna cum illo-
rum iactura quid audiunt? an potius hominum vitium
conatu, & laterum fortitudine? ingenij ęquo acumine
explicanda, & pro libidine collanda? hoc videbatur ne ipſum
expoſcere qui forum ſolmnis delibatus, & propter denique
ſuum politus, tumidus, elatus, cincinnatus, ſupercilijs
coelum territans, multas horas ſingulorum dierum pe-
currit, deambulat, metitur, à circumforaneorum cantil-
lenis totus dependet? qui mox cum in huiuſmodi no-
dum inciderit, varias lectiones deteſtatur, ſcientias,
& rerum multiplices cognitiones abhominatur, paren-
tibus diem dicit, illis domo interdicit, quorum cauſa
in hos laqueos deuenerit, antiquitatem non agnoſcit,
hiſtorias non illuſtrat, varios orationis colores non
deſcribit, orationem non illuminat, libros iratus è ſu-
periori loco deijcit, omnibus implicitam tenebris le-
ctionem relinquit? An potius quibus hanc profitenti-
bus, omni ſolatio interdictum eſt, vt in extremum la-
borē relegati genis, capiteq; raſo, vt ille, qui ne domo
abduceretur hoc deformitatis genus inuenerat, domi
infelices, laborioſi, ſordidi, ſquallentes, nullo dolore
victi, xantippæ æquo animo contumelias patientes,
omni voluptate animi carentes, domi ſe contineant?
quid dices tu (ni fallor) hæc tu profiteris. Is tu ne,
qui nulla hominum comertia habeas? non mehercle,
coetum enim hominum amo, & cum his libenter ſi per
ocium licet, verſor, & altera in re ſummorum virorum
veſtigia ſequor, an vero id aſſequar, quo proſim, &
iuuentutem Cremonenſem delectem hoc in munere
interpretandi illorum ſit iudicium, qui nos audiunt, &
cum ſemper mihi lętandum fuerit, qui nobiliſſimos
vrbis noſtræ, & multarum aliarum vrbium primarios

iuuenes auditores habuerim, tum maximi beneficij loco, & non paruæ exiſtimationis, nominisque noſtri gratia repono lectionibus noſtris ſuperioribus diebus Gambarinum, quem nobiliſſimi iuuenes Cremonenſes comitati ad nos duxerunt, domumq; à lectione reduxerunt, interfuiſſe. Quem Dij boni philoſophum? quem iuriſconſultum, illum profecto, cuius fama & preclarum nomen vbique locorum celebratur. Nec multo poſt venit nos auditum Pauoncinus, legum & ipſe acutiſſimus interpres. Non minorem cœpi voluptatem ex horum præſentia, & iucundiſſimo aſpectu, quàm olim Poſſidonius ex magni Pompeij ingreſſu in theatrum, & gymnaſium, vbi philoſophiam in magna doctorum frequentia explicabat. Sed quorſum hęc tu inculcaſti; tu forte dices. Nempe ne mirum ſit, ſi raro ego tuas accipio, & tu rarius noſtras legis; quando neutri noſtrum tanti ocij eſt, vt quieti vnius horæ plaudere poſſimus, de me hoc tibi polliceri poſſum, me dies, noctesq; tecum eſſe, & me nulla re magis cruciari, quàm quod te, tuoq; aſpectu mihi nunquam frui licuerit; & tandiu hoc te videndi deſiderio tenebor, dum te videre mihi contigerit. Quod ſi, vt ſpero, cōſequar; omnium mortalium lætitiam ſuperabo. Sed hoc certe oblitus fueram, Simon noſter, qui tamen arctiori vinculo te attingit affinitatis cauſa, vt mihi retulit, modo vllum vinculum ſit copulatius germana, vera, & ſolida amicitia; dic inquam Simon te verbis meis reſalutauit ne? Hoc mihi, & iniurato credas vellim; id ei iſtuc diſcedenti in primis mandauerā. Si hoc non egit ne illū in nomine meo ſalutabis, quem totū mihi chariſſimū amplexaberis: & millies verbis noſtris ſaluere iubebis. Vale; & me quod vt à Simone ſępius

& pleniſſime audiui, & tu literis tuis ad me teſtaris, facis. Cremona VIII. Calen. Nouem.

FRANCISCVS ZAVA Camillo Montio ſuo. S. P. D.

Si meæ literæ tanti eſſent, quanti prędicas nō apud te meum diſcipulū, quid enim id mirum? ſed vt ſcribis apud omnes literatos in quorum manus illæ aliquādo incidunt, ego certe mi dulciſſime Monti non paterer, vt toties à me eas efflagitares, nullus certe iſtuc ſine meis veniret. Nam prærerquamquod non tales ſunt, vt tantopere à te deſiderentur, quæ meæ quoq; occupationes ſint, quas tamen vincerem vt meas haberes, non te latet. Quam in publica quoq; & priuata nobiliſſimorum iuuenū, quorum ingens eſt numerus mihi, & domi, & foris, eruditione diſtinear, ſcis. Credas mihi velim, nullas me literas ad amicos exarare, quæ non tumultuariæ ſint. Tu mearum occupationum, vel ſi mauis obſeſſionum, teſtis es. Et illum me noſti, qui cum cæteris opera, ſtudio, diligentia, quam in eos, qui mihi erudiendi traditi fuerunt, nauare ſoleo ſatisfaciam, mihi nunquam ſatisfieri videar. Scio.n.quam mihi elaborandum ſit, ne quicquam exiſtimationis noſtræ diminuatur, quam vt in aliquo illuſtri loco reponerem, non deſidioſe mecum agendum erat. Aduerſariam mihi habendam, ſemper exiſtimaui conſcientiam, neq; vllius voculas magis extimeſcendas putaui, quam huius animi, & actionum noſtrarum prępotentis cenſoris acre iudicium. Quod cum ita ſit noſtras expectatione tua rarius legis, nec illas frequentes ad amicos damus, qui tamen nos ad ſcribendū

doctiſſimis, amantiſſimisq; literis laceſſunt. Noſtras vero ſi quando legunt, quia nihil ſucci, nihil ſplendoris, nihil dignitatis habent, vt puto ij aſpernantur, quod illorum expectationi, & deſiderio non reſponderint. Qui ſi noſtri laboris conſcij eſſent, potius quidē admirarentur, mihi ocium eſſe aliorū ſcripta legendi, quam mea ad alios ſcribendi. Sed cum ſint ita mihi moleſti, vt ſcribere ad me non ceſſent, quoad literas à nobis elicuerint, æquo animo ferant, ſi noſtræ illis nullis iuſperſæ pigmentis mittuntur. Ad quem enim ſcribo niſi raptim? Sed hæc mittamus. Noſtras cupis literas, habes, quæ ad te verecundiæ plenæ veniunt. Quia ea eleganti forma dicendi ſcriptæ non ſunt, quæ poſſint Piſoni meo ſenum omnium elegantiſſimo, literatorum delicijs dari legendæ. Non .n. me præterit, ea potiſsimum cauſa à te tanto ſtudio illas deſiderari, vt Piſo ineptias noſtras rideat, cum nullum habeat, quo cum ridere poſsit. Scaluus enim illius ſola oblectatio ad nos volauit. Quid? imo migrauit. Sed tñ quid mea refert, des, necne meas illi legendas. Habet & ipſe alias noſtras, quas cum per nos ſcribere non poſſumus, alijs dictamus. Sed Piſonē ſi me amas ne tantum penſitemus, ne nos pondere ſuo deprimat. Tu potius tecum penſitato, vbi reliquum vitæ tuæ curſum ponas. Hoc tecum tractato. Hic ſint omnes tuæ cogitationes, iam ex ephebis exceſſiſti, in nullius amplius tutela retineris. Sed quo modo iuriſconſulti loquuntur tuæ es tutelæ. In rationis tantum, & conſilij, bonæq; mētis tutela te eſſe tibi, perſuaſum eſſe velim. Quod erit ſi hęc ſeruaris. Deum tibi in primis maximo cum amore timendum. Matri antiquæ probitatis fœminæ, quando patri tuo viro ſanctiſsimo iampridem

fęliciter

fœliciter cum reliquis cœlicolis aura, & beatitudine cœleſti fruenti id prꝗſtare non potes, obſequendum. Patris amicorũ non minus hęredem eſſe, quam bonorum, quæ non mediocria tibi reliquit, illoſque tibi tanquam patris imaginem contuendos,& venerandos. Aſſentatoribus non ſecus quam vulpeculis, huiuſmodi imperitæ ętati inſidiantibus, aures minime patefaciendas putes. Legibus obtemperandum. Tandiu elaborandum, vt de patria, amicis bene merearis, quoad id feciſſe te pigebit. Si nouos, quod laudo, quæris amicos, tui ſimiles quęrendos cenſeas. Et priuſquam illos probes, putes multos ſalis modios cum illis tibi commedendos. Vbi vero illos probaris nõ vt recentes, & nouos, ſed vt veteres amicos habeas. Nullas voluptates niſi cum honeſtate, & gloria iunctæ fuerint; tibi ſectandas fore. Deum vel maxime exorandũ, vt fideliſſimum animæ tuæ in primo lucis exortu cuſtodem datum, in vitæ extremo actu ſeruet. Quod facile impetrabis, ſi quoad eius fieri poterit illius ſanctiſſimis mandatis parueris, ideſt ſi rationem ſenſuum tuorum ducem, non appetitus dominos eſſe volueris, quod nequaquam agendum eſt. Ij enim omnem fęlicitatem noſtram ſubuertunt. Quod ne eueniat, eorum conſuetudo, vt perniciosiſſima peſtis, & in animis deliteſcens lues euitanda eſt, qui à patrum ſanctiſſimis decretis, conſenſuq; omnium bonorum, qui ſemper in gratia cũ ratione, & religione, diuinoq; cultu fuerunt confirmatis, deſciuerunt. Multa prętereo tum breuitatis cauſa, tum negotiorum multitudine, quæ nobis nec opinantibus ſępe obrepunt, tum quia, & ea à me pręceptore tuo, honoris tui ſemper ſtudioſiſſimo, & huius generis pleraq; alia ſępiſſime audiſti. Nec mihi placuit, vt tibi

Herculis,

Herculis, Theſeiue labores proponerem, quos mendaces, verboſiq; Græci immortalitati tradiderunt, ſed vt Melchionem patrem tuum virum apprime doctum, & in omnes officioſum, quem & ciues noſtri, & alij cognouerunt, & probarunt, imitandũ tibi proponerẽ adhortatio, vt eius manes non minus te filio gloriari poſſint, quam tu filius tali patre, & vt ego ex laboribus meis, quibus in te erudiendo maxima cum beneuolentia, quod ſcis, vſus ſum, eam voluptatem capiam, quam me capturum ſimul ac te vidi ſperaui. Vale; & me Piſoni noſtro cõmendato, cui plurimã ſalutem Scaluus noſter homo ſingularis fidei dicit. Illud te oratum velim ne Rolãdo homini acutiſſimo has noſtras oſtendas. In hoc tamen vtere iure tuo, non .n. te impedio, in ijs fortaſſe ea deprehendet, quæ illius ſeueriſſimi iudicij aures offendent, quod ſi erit, me ſtatim admonebis; nam illa quæcunque erunt mox corrigam. Matrem, ſororemque tuam verbis noſtris ſalutato. Cremonæ XI. Calen. Nouem.

FRANCISCVS ZAVA
Ferdinando Hortitio Prætori
Cremonæ. S. P. D.

IDI mihi diuinitus, quid mihi? imo omnibus Cremonenſibus, nobis tamen præcipue cõtigiſſe arbitror, vt te Prætorem eo anno haberemus, in quem plurimæ rerum forenſium conflictiones, & difficilium cauſarum actiones, & controuerſiarum quaſi inexplicabiles nodi incidiſſent. Ad quas dirimendas, decidendas, ingenij ſubtilitate, & acumine enodandas, tu tanquam vnus è cælo delapſus ad Cremonenſiũ ſalutem, & cõcordiam,

cognite

cognitæ cauſæ moleſtam ampliationem dari nō pateris, ſed ſalutaribus literis, & ſententijs iuxta cauſarum diſceptationem, quod ex meliori conſenſu iudicatum eſt, id ſtatim proferri iubes. Quod quantum vtrique litigatori expediat non facile exprimi poteſt. Neq; id ego humanum, ſed diuinum potius crediderim; & Cremonenſes iam dijudicarunt. Tu mi Ferdinande in ijs præclariſſimarum actionum veſtigijs per te impreſſis conſiſte. Hæc vera, & ſolida gloria eſt, quæ Dei Opt. Max. iudicio, & ſententia comprobatur. Ad hoc te regum omniū maximus, & optimus Philippus maximi Caroli filius miſit. Nos te nutu, & diuina ſorte habemus. Omnes fatentur te illum eſſe, qui nec prece, nec precio ab honeſto deflecti poſſis, & qui dolum malum nullo modo cenſeas ferendum. Tibi hac diligentia, & animi humaniſſima ac liberaliſſima animaduerſione totam hanc ciuitatem breuiſſimo tempore tanquam eā maximis beneficijs cumulaueris, obſtrinxiſti. Ego quoq; tantum me tibi debere profiteor, quantum diſſoluere difficile eſt. At dices filij mei ſunt apud te ad literas, & mores capeſcẽdos, ad quos hęc ætas informari ſolet, quo maximo beneficio ſentio me tibi plurimum debere. Id profecto verum eſt. Et Petrus Porrus tui obſeruantiſſimus ea ſignificatione amoris, & ſe omnes tuos beneuolentia commendauit, vt ſi vlla in parte illis deeſſem, me non ſatis in ratione officij permanſiſſe putaret, nec arctiſſimo affinitatis vinculo, quæ mihi cum illo eſt, reſpondiſſe exiſtimaret, neq; ipſe expectationi, opinioniq; tuæ de me per nobiliſſimos vrbis noſtræ ciues confirmatæ, & auctæ, quod maximum eſt, ſatisfeciſſe viderer. Verum cum mihi conſultum eſſe cupiam cum Porri fidem penes te incolumem

ſumem velim eſſe, cum expectationem tuam fruſtrari nolim quomodo tamen amori in me tuo vſquequaque reſpondeam, nón video, niſi tibi perſuaſum habeas me totũ in erudiendis filijs tuis fore, quod facile, & breui me conſequuturum puto, pollent enim ingenio, patris acumen præ ſe ferunt. Hiſpanam ingenij ſubtilitatem redolent. Hoc certe efficiam, vt illi nunquam laborẽ, beneuolentiamq; meam deſiderent. Vale, & noſtri quoad eius fieri poterit, memor eſto, quid mihi vltro ſis pollicitus non ignoras, idq; te facturum nõ diffido, modo illa quam ſperas occaſio tibi ſe ſe offeret, quo beneficio impetrato, filij mei gratias quas referre non poterunt agent, & habebunt. Sic ergo literas noſtras concludamus, nihil mihi debes, ego tibi plurimum debeo. Iterum vale, ex ædibus VI. calend. Nouem.

FRANCISCVS ZAVA
Thomæ Venoſtæ. S. P. D.

NONIS Septembris cum me domi noſtræ conueniſſes ea potiſſimum cauſa, vt vnum è fratribus tuis, qui illorum natu minimus eſſet, in diſciplinam mihi traderes, ad illa pacta, & promiſſa, & tua ſponte, & verborum meorum adhortatione veniſti, fore vt vnas ad minus literas ſingulis mẽſibus ad nos dares, quibus ego quoq; ordine & dierum, & menſium reſponderem. Conditionem ſtatim probaui. Verbis, & ſententię tuæ libentiſſime aſſenſus ſum, tanto ſcribendi tuo deſiderio, ſubſcribendum, neglecto rerum omnium mearum, quæ me varie diſtraherent ſtudio, cenſui. Nec me permiſſurum tum dixi, vt in ſcribendo me nomine negligentiæ argueres. Hinc non multo poſt Mediolanũ

proficiſceris. Quo cum veniſſes, literas, eaſq; perbreues ad nos mittis, quibus fraterne, & vnice fratrem, quem cum iis huc mittebas, cōmendabas. In quarum vltima parte me admonebas, primo quoq; tempore, longiores, & aptiori calamo (illas enim ex variarum mercium taberna in patriam reuerſurus dabas) te ad nos miſſurum. Illarum cum ingenti deſiderio legendi flagrarem, & tardius expectatione mea vtriuſq; conuentis reſponderes, meas ad te amplius differre non potui. Tuis igitur, quas Mediolano accepi nō reſpondi, tum quia non habebam cui ad te illas perferendas darem, tum quia vberriores, & ſedatiores à te expectabam, quibus ex varia rerum ſylua, de quibus hinc diſcedens, cum primū Viennam migraſſes, ad me ſcripturum pollicitus fueras reſponderem. At nunc, vt puto, Viennæ es, nihil tamen iſtinc literarum. Huius tarditatis ne dicam obliuionis, quæ cauſa eſt? num ædificiorum vrbis magnificentia, quorum tu pulchritudine allectus promiſſorum immemor ſuſpicis, id nō credo. Num igitur multiplicium rerum copia, quibus iſta nobiliſſima ciuitas abundat, & vt rerum admirandarū parens gignit? Neq; id exiſtimarim. Noui.n. ſtudium tuum non in huiuſmodi rerum fucatarum, breuium, & caducarum admiratione poſitum, ſed in diuinarum meditatione, & contemplatione collocatum, & illuſtratum. Nam inter reliqua, quæ plurima ſummis laudibus digna de te audiui, illud quoq; erat, te Maximiliani imperatoris noſtri, in cuius authoritate chriſtiana ſalus nititur, Theologū eſſe. Quo tanto nomine audito cœpi egregias virtutes tuas magis admirari, oſculari, & ſumma animi alacritate venerari. Nō tam quia Theologiam, & Diuinarum rerum notitiam, &

inter-

interpretationem profiteris, quam quia optimo, & imperatorum ſummo, maximoq; Auguſto abditos, & retruſos ſenſus antiquorũ patrum patefaceres, fontes vberrimæ, & ſanctiſſimæ, ſaluberrimęq; ad veram, & ſempiternam fœlicitatem, omnibus regnis, imperijs omnibus pręponendam, adducentis aquæ aperires. In qua re tu nimis fortaſſe occupatus, ad maiora te vertens ſcribendi ad amicos ſtudiũ amplius nõn curas, vel potius à promiſſis diſcedere cogeris. Quod ſi eſt, vt credo, niſi aliquæ aliæ, vt plerunq; accidere ſolet in rebus Aulicis obuerſantibus, & orbis imperium proſpicientibus, vtriuſque occupationes vtrunq; alio euocauerint, tarditatem tuam in ſcribendo admitto. Quamquam cum ad hanc mecum pactionem veniſti, te in hoc honorificentiſſimo munere futurum dicebas, & omnibus angiſtijs licet ſeptum, raptim tamen ſcripturum, cum primũ Viennam veniſſes, & in ſtudijs tuis rationes, cogitationesq; tuas firmaſſes. Verum eſto, excuſationem tuam, quam nullam affers accipio. Sed vtinam aliquando mihi liceret, doctiſſimo, & ſaluberrimo tuo ſermone, ſi nõn palam, at clam in aliquo angulo deliteſcenti frui. Quã totus ex tua ſuauiſſima oratione penderem, quam gauderem ſenſus meos illuſtrari, quanto gaudio triumpharẽ, me ex eodem fonte tantæ ſuauitatis nectar exhaurire, eodemque poculo bibere, quo Imperatorum ſummus, & ſanctiſsimus haurit? Videor audire te diſputantem, nõ quæ partes ſint prudentiſſimi, & bellicoſiſſimi imperatoris quas ipſe optime nouit, à patre accepit, a patruo fęliciter didicit, ſed quæ ſint illa omni theſauro fulgentiora talenta, quibus villicus ex vel maiori, vel pari fęnore patrifamilias gratus ręddatur, & eum perpetua beneuolentia

uolentia ſibi deuinciat, facem contemplans poſitam in ſummo mótis vertice, qua duce imperiū ſuū hic regat, quaúe omni virtute illuſtratus propius illum ignem accedat, quo omnes boni caleſcunt, & quo mortalia, haud negligens ĩmortalia cōſequatur, ad quæ Auſtria domus Dijs annuentibus, ijſdemq; volentibus ſemper aſpirauit, & aſcēdit. Quo in doctiſſimo ſermone videor audire, ſic te cum imperatore ſermocinantē non mirū ſi qui in tam manſueti, iuſti, clementis, prudentis, in omniq; re temperati imperatoris rectione ſunt, nō ſint illius qui tantum imperium regit diſſimiles cum illud optime à ſuis maioribus ſeruari audiuerit, & ipſe expertus ſit. Nullum bonum in Rebuspub. & priuatis eſſe, cuius princeps, & populi rector non ſit cauſa. Vtinam ſic te philoſophantē, & ijs multo maiora meditantem, & audirem, & viderem. Hoc enim pluris facerem, quam ſi Romanos imperatores triumphantes viderem. Quod quia aſſequi non poſſum in duobus ſignis argenteis quæ ad me miſiſti Maximiliani vere imaginem, & patris, patruiq; & filiorum, expreſſam contemplabor, & quoties illam videbo, quæ mecum quotidie eſt, toties cum illis, & tecum eſſe videbor. Vale, & vnis tuis proximis totam Theologiam mihi explicato, qua aliquot diei horas tibi cōtigit eſſe cum tanto imperatore. Sic enim mihi perſuadebo, & tuis ſermonibus intereſſe. Cremona Calen. Decem.

FRANCISCVS ZAVA
Ioanni Mariæ Theloo. S. P. D.

Si tandiu literas noſtras deſideraſti, quandiu illas nobis exarare licuit, deſiderio preter modum longo

eas

eas expectaſti. Verũ ſi iam in nulla expectatione ſunt, ſtultus ego, vel potius ineptus, qui alieno tempore ad te ſcribã. At quid opportunius, quam quoquo tẽpore meæ ad te perferuntur, illas libenti animo legas, & quo tardiores iſtuc veniũt, eo liberalius tractes. Quod igitur tuis ſero reſcripſerim putas id ne factũ pigritia? id minime credas velim, & tamen id pigritia eueniſſe fateri cogor. Hæc enim cum primum calamum, quo ad te ſcriberem accepiſſem, è manu deijciebat, id crebro tentaram, ſed ea non patiebatur, vt vel quatuor verſibus reſponderem, quæ nunc quoq; à propoſito, & incępto exequendi, quòd debeo, officio, fronte contracta me deterritat. Diutius quam vellem cum hoc inertiſſimo monſtro, laboris inimico pugnaui. In hanc vſq; diem victus ſuccubui. Turpe tandem exiſtimaui non viriliter cum iſta agere, & ad priſtinam meã ſcribẽdi cõſuetudinẽ redire, ne cũ huius ſemper inimicíſsimus fuerim, dicar negligentia ad amicos ſcribere deſtitiſſe. Quid ſcribam igitur? tuæ mihi periucundæ extiterunt. Qua re ſcire exoptas. Tibi libenter obſequor, audi igitur. Tum quia tuæ erant, tum quia illa verborum elegantia, dicendi lepore inſperſæ, ornatæ, eaque cura, & induſtria interpolatæ grauiumúe illa ſententiarum concinnitate expolitæ, quibus mirificis ornamentis illas à te expectabam. Nam vt taceam verba & ſplendore, & vſitato more loquendi illuſtrata, quorum vim magnam, graueq; pondus, concinne multiplici genere ſentẽtias poſitas obſeruaui. Adeo plenę vtroq; dicendi ornamento, adeo graues mihi leguntur. Quid illa in his ingens, vis amoris, quem ſingularem in te animaduerto? quid quoq; ille gratiarum admirabilis cumulus, quas vt nunquam deſideraui (ambitioſus enim

enim non ſum) ita illis nil gratius audire poteram, quando id ſcio à iuuene ſemper mei ſtudioſiſsimo illas proficiſci, preterea loquendi vſum pure, & emendate, ſcribēdi quoq; regulā, quam tu à me accipiſti maxime ſeruas. Quod ſi nec vſquequāq; ſeruares, non mirum tamen eſſet, quando vt ex tuis ad me proxime literis cognoſco, te totum in leguleiorum barbariem ingurgitaſti, quam nec penitus ſi maxime velles euitare poſſes. Dij bene faciant iſtis leguleis, qui in latio nati, malint barbare, quam latine ſonare. Illis te aſſuefacias adhortor, ad legum interpretationem, ad glebas agrorum repreſentandas, ad ſtillicidia deſignanda, ad impluuia indicanda, ad parietum, parietinarumúe deductionem cognoſcendam, ad extremæ dotis numerationem faciendam, ad variam, & vt ipſi putant, perdifficilem teſtamentorum diſtinctionem perdiſcendam, ad capitalium cauſarum cognitionem, vel ſi mauis vlterius progredi, ad Tubos, & Euripos aquarū ductus, & ſterquilinij liquidiſſima receptacula introſpicienda, huiusque generis quam plurimas ſpecies. In ſermonis vero vſu ab illis penitus diſcedas, & te ſeiungas vehementer te etiam, atq; etiam oratū velim. Niſi tales ſint, quales hic quamplurimos habemus, quos ſi de legibus, & antiquorum lege differentes audiueris, tot Gallos, tot Sulpitios, tot Torquatos, & huiuſmodi eloquentiſsimos iuriſconſultos, & diſertiſſimos oratores, quibus patria hæc noſtra ſemper floruit, te mecum audiuiſſe confiteberis. Da te multas horas legum cognitioni, licet viri prudentiſsimi illas tenuiſsimis pellibus cōparent, da te & aliquot horas ſuauiſsimis dicendi magiſtris, & horum ex fontibus iugibus puriſsimam interdum aquam exhauri, quibus

ducibus hanc loquendi formam, quæ admirabilis in tuis literis elucescit, serues. Ijs te inſperge, ne cum Cremonenſium cauſas ingredieris, peregrinus, & barbarus nobis videaris. Scis tu quanta dicendi vehementia, & verborum ornatu iuriſconſulti Cremonenſes lites tractent, expediant, decidant, dijudicent. Illud non te fugit. Senatus Mediolanenſis præconio, & teſtimonio, nihil ornatius, nihil politius, nihil illuſtrius, nihil ad omnium ſenſus, & aures laudabilius, & perfectius ad illum ordinem referri literis, decretis, tabulis patronorum, & Cremonenſium aduocatorum. Alienos malle imitari quã ſuos, recte præſertim agentes, & perite loquentes ſummæ dementiæ eſſe nullus negat. Sed in literis quas ad Hieronymum Puteum iuriſconſultũ in primis cõmendatũ dediſti, quam mihi te admirandũ prębes? Taceo quãplurima digna ſcitu, quæ animaduerti in literis, quas prius ad Leonẽ Vairanum iuuenem preſtanti ingenio, & ſingulari modeſtia dederas. Scribis.n. Puteo te illi plurimũ debere, quĩ eo adhortatore incumbis in illas ſcientias, p quas dignitates, honores, & diuitiæ cõparantur, & quibus animi bona illuſtrãtur. Hæc quãtæ meditationis ſunt? qualẽ his te oſtendis? Sed illud ſcis nõ multis philoſophandũ eſſe, inde potius aliquid excerpendũ quam penitus eo demergendũ. Quæ bona igitur externa, quæ animi id quod ſępe & à me audiſti, quando de bonorum tecũ & cum alijs condiſcipulis tuis triplici diuiſione agere mihi contigit, recte tenes, & per quæ ad hæc quiſpiam peruenire poſſit nunc cognoſcere videris, quæ vt facilius conſequaris corporis bona diligenter curato. Sed hæc mittamus, quæ licuit mihi tecum, & ſerio, & ioco agere, illud dolenter mirabiliter, nec hoc mecum recuſato

cuſato

cuſato, miſerabiliter agamus, quod iam & te audiuiſſe credo. Non enim vereor quin mecum lachrymes, deplores, & omni ſingultus genere miſeram Bartholamei Cruceij mortem defleas, & deformem, deteſtabilemq; illius morum mutationem nõ mireris, & obſtupeſcas. Quis .n. hoc iuuene primo modeſtior? Quis ſecundo temperantior? Quis tertio (vt paucis multa amplectar) magis præceps, amens, & furioſus? Quis vnquam ad tam inauditi facinoris inſaniam venit? Veneno vtrunq; parentem ſuſtulit, quippequi intercluſiſſent ad illius nefarias explendas aditum huius in multis nefandis facinoribus iam nequitia perſpecta, malitia cognita, flagitijs animaduerſis, officinis, & libidinum diuerſorijs, tum Placentiæ, tum Bononiæ, tum Romæ patefactis. Conualeſcebat pater accepto antidoto, ſecundo, tertio, & hoc amplius permixto veneno cibis ad ſalutem patri datis filius, ſi tamen hoc miti nomine dignus, & patrem validiori ætate iam prouectum veneno tandem ſuſtulit. Nullis adhibitis tormentis, & quęſtionibus rem totam prodidit, furore potius eodem, quo parentes necauerat, quam vlla animi conſcientia compulſus. Quod enim conſcientiæ genus tanto perpetrato flagitio in hoc impuro, & nefando patricida eſſe poterat? Non multo poſt caput in caſtro, quod quadrum vocant, amputarunt, reliquũ in quatuor partes Lughignani ſecuerunt, & membra ſecta in triuijs, lignis ſuſpenderunt. De ſupplicij genere quo torqueretur, aliquot dies rerum capitalium quęſtores diſputarunt, in culeum inſuendum cũ cane, ſimia, gallo gallinacio, & vipera vt in cauſa Publij Malleoli alij dicebant, alij quibus leue hoc ſuppliciũ, ex delicti comparatione videbatur, ille enim matrem

tantum

tantum, iſte vero [illegible], & animo hoſtili, barbaro, & obſtinato, peruerſoq; miſerum patrem in priſtinam ſalutem redeuntē ter veneno oppreſſit, aſpidibus corpori admotis vita priuandum paulatim exiſtimabant. Vicit tamen eorum opinio, qui ratione ætatis habita, quo dixi genere concluſerunt è rerum natura tollendū eſſe. Habes infelicem euentum Bartholomęi, habes patris miſerandam mortem, habes totius Bernardi Cruceij (ſic enim pater appellabatur) familiæ interitum. Ex quindecim .n. liberis quos de eadem matre ſuſceperat, hic reliquus erat, in quo vterq; parens conquieſceret, ſed heu parentū ſpem fallacem, heu natorū impietatem, heu morum mutationem, heu colloquia clandeſtina, heu corruptores iuuentutis. Quem Oreſtem, quem Alcmeonem, quem Athamantem, quem alium furioſum cum hoc conferemus? Non hoc quidē Poetarum cōmentum, non græcorum hiſtoriarum figmentum, ſed portentum infeliciſſimum noſtri ſeculi. Nunc Solon dicat, ſe ideo legem in patricidas non tuliſſe, quod nunquam exiſtimaſſet tam execrabile facinus in filium poſſe cadere. Quando hic ſpatio trium menſium (quod ipſe in confeſſione ſcriptum reliquit) inique hunc furorem conceptum dequoquere non potuerit. Audi. Rogatus quid ſi cū patre tuo ad eandem cęnam veneno corruptam diſcubuiſſent cōplures alij? Quid mea inquit, modo pater perijſſet. O nefandum facinus, ò truculētiſſimo barbaro, ne dicam homine in dulciſſima matre Italia nato, indignā vocem, & furiale reſpōſum. Quid huic reſpōdiſſet deus ille, q̄ à parricida rogatus, vt petitioni reſponderet, dixit parricidis non reſpondeo? In quo genere furioſorū iuriſcōſulti veſtri hoc reponent? Nempe in eo quod nunquā recedit, vel

tertiū nūc fortaſſe inueniēt. Idib. Ian. CIƆ IƆ LXVIII. manum carnificis collo admotam vidit; & miſer hinc exceſſit, vel potius præceps ad perennes pœnas fugit. Sed iam miſſum faciamus hanc omnium tragœdiarum maxime horrendam. Tu redige in memoriā quæ ſępe à me audiſti, Deum colendum. Hominem timendū. Impurorū colloquia fugienda. Virtutē amplexandam. Vitia vitanda. Miſeram illam pęnitentiam, quæ deprecationem non recipit. Deo omnia diſcuſſa caligine patere. Illi nihil obſtructum. Hominem poſſe falli. Deum nunquam, & multa alia huius generis quæ nunc quoque tecum penſitato, & ſeruato. Quod ſi feceris nunquam errabis. Adhibe in vitæ tuæ tutelam rationem, illi pare, hæc ſit tuorum conſiliorum dux. Hanc inuoca. Hæc naturæ non reſiſtit. Hæc à rerum fabricatore non diſſentit, hæc nulla in re illi aduerſatur. Sed quid tecum pluribus, quando dixi paucis philoſophandum? Vale igitur &, vt inquit ille, bonis te aſſuefacias, cum muſis, ideſt cum ratione pacem habeto. Riuam, Flaminium, Becium, Valentinum Pozzobonellum, Hieronymum Padernum, Columbarnum in primis, & Gambarinum verbis meis ſaluere iubeas velim. Cremonæ non. Feb.

FRANCISCVS ZAVA

Sigiſmondo Brumano. S. D.

TARDITATEM tuam in ſcribendo, ne pigritiam dicam, excuſandam putarem, quando ab ijs, qui iſtinc veniunt, audirem, te in ægrotorum curatione ita occupatum eſſe, vt vix poſſes pecuniam ab iis acceptam in arca reponere. Sed cum nulla corinthia, rides? vaſa

vaſa adeunda; ſurſum, deorſumde reuoluenda, nullam Marcellam ad ſolis radios ſpeculandã, nec te in iuſculo ægris dando diſtentum: oſbus Romæ bene valentibus intelligã, cur ad hos aliquãdo nõ ſcribas neſcio. Times fortaſſe ne literarũ multitudine te obruã, ſi ad me vnas dederis? Hoc te volo metu omnino vacuũ eſſe. Alias me nullus impigrior in ſcribẽdo erat; nunc me nullus inertior. Scis quare? quia ſi alijs proſum, mihi noceo. Non ſatis probo quod à multis predicari audio, poſſeſſiones noſtras alijs fertiles, nobis inanes exoptandum. Horũ placent mihi verba; orationem nõ reprehendo; horum pietatem re ipſa magis laudarem. Scis me nullũ ſimulationis vitio vehementius inſectari ſolere. Sed hæc diſcutiant quorum intereſt rationem reddere, quod quanto illis attentius agendum eſt, tanto mihi diligentius agellus meus excolendus, & crebrius arãdus, iterandusq; ex quo modo fruges illas capiam, quibus familiam meam alam, honeſte veſtiam, amicis ſuccurrã quantulacunq; poſſum ope, Craſſum diuitijs ſupero. Attali fortunas non inuideo. Romanorum florentium regnum non concupiſco, nec vlla animi affectione expeto. Dices fortaſſe hoc quid aliud quã philoſophari? verebar ne diceres lenocinari. Quid? vis tu oculos ijs adijciam, quibus nihil fallatius? ad illa aſpirem, quæ ſi aſſequar nouis curis macerer? hæc affectẽ, quæ me dies, noctesq; macerent? hęc cupiant, qui barbatulis mulis delectantur, qui murenarũ copia gloriantur, qui Atrienſes pueros deſiderant. Illorum ego probo ſententiam, qui paruo contenti beatiſſimi exiſtimantur. Quibus ſi tu inhias nemo te miſerior. Quod vt fugias, illo ſis lucro contentus, quo te ancillulam, puerumque domeſticum ſuſtentes. Hac vita

ſexcentis perticis poſſidet. Res omnium iudicio cõprobata, & ſummopere laudata fuit. Reſtat vt Deus nobis id fauſtum, fœlix, & beatum præſtet. Mores adoleſcentis iampridem noueram. In ijs .n. & literis multos annos penes me eruditus eſt. Nos omnes valemus, & tibi ſalutem plurimam dicimus. Vale Cremo. idibus Aprilis.

FRANCISCVS ZAVA
Scipioni Eſtienſi ſummo Antiſtiti Caſalenſi. S. P. D.

DVo mihi commode ſuperioribus diebus dari cupiebam ſcribendi ocium, & hominem, cui iſtuc venienti meas tuto ad te dare poſſem literas. Quarum alterum ſæpenumero mihi præſto fuit, crebri enim à nobis iſtuc fidiſſimi Tabellarij diſcedunt. At quod maxime exoptandum fuit, mihi deerat, occaſio ſcilicet, & ſcribendi opportunitas, quæ mihi in hunc vſque diem ita denegata fuit, vt reſpirandi vix ocium eſſet, nedum literas exarandi. Nunc quod volebam nactus, exiſtimaui meæ beneuolentiæ, & obſeruantiæ eſſe, qua te complector, & colo, has tandem ad te dare, quibus, & tecum loquerer, quo nihil gratius mihi eſt, & te de ſtatu noſtro admonerem. Omnes igitur qui iſtinc veniunt, ad nos adeunt, cum ijs de te multum loquor. Et in hoc noſter ferè omnis ſermo eſt. Quid agit veſter omni veneratione, & obſeruantia ſummus Antiſtes? Hoc anni inſolito calore vt inſeruit valetudini, & dignitati? Valet ne? cunctane ad huius nutum ſuccedunt? Omnia per belle aiunt, Modeſtum enim, & prudentem rectorem habemus

reſpondent. Nihil hic inuita (dicunt) Minerua agit. Huiuſmodi eſt oratio noſtra cum tuis, & meis Caſalenſibus: Nos quoque valemus, & id tempus quod à diuturnis laboribus nobis relliquum eſt, ad manſuetiores muſas deferimus. In reconditarum ſcientiarum ſtudijs abditi, illas literas excolentes, quæ nobis ſemper cordi ſunt, ſed per multiplices, & varios labores, quibus implicamur, & detinemur, illas minime, vt vellemus, ex animi deſiderio tractare poſſumus. Breui Padernũ habebis virum, & te dignum, & omnibus probatiſſimis, & literatiſſimis expetendum. Qui cum tuis commodis inſeruiet, eundem tibi effingito Zauam, qui te vt pręſentem intuetur, fruitur, & obſeruat. Tu Bellonum meũ nomine meo ſaluere iubebis. Vale, Cremona X I I. calen. Septem.

FRANCISCVS ZAVA
Emilio Bobæ. S. D.

Itavt mihi optatiſſimum fructum fore duxi, quem ex laboribus, ſtudijsq; meis decerperem, me diligi ab illis, quos vt literis ornarem, nullum mihi grauem ſenſi laborem, vt moribus illuſtrarem, nullum eorum exemplũ reliqui, quos ad optime viuendũ in honeſtis diſciplinis verſatos, in diuerſis officijs, negotijs, & dignitatibus apud varias nationes inter legendum obſeruaſſem. Tu optimus teſtis, quantum te amarim, quam mihi charus fueris, quanti mores tuos fecerim? Teſtis eſt Baldeſar Salmatia, vir nõ minus literis, quam moribus ornatus, antiquæ probitatis, fidei, caſtitatis, continentiæ perſpicuum exemplum, quo cum familiariter aliquando de te loquerer, dicebam te mihi non

ſimulacrũ

ſimulacris, & ingenuitatis imaginem videri, ſed ipſam ingenuitatem, & nomine, & gratia illuſtrem. Teſtes ſunt omnes, qui mecum verſantur, quam teſtata modeſtiæ tuæ, & Caretti mei memoria penes me vigeat. Vt rem totam paucis concludam, omnibus teſtor, quicunque noſtras has literas legerint, te mihi ob integerrimos mores, & in me ſingularem obſeruantiam, vt taceam immenſam matris tuæ fœminam primariæ, præſtantiſſimæq; in me, vxorem, liberosq; meos liberalitatem chariſſimum & eſſe, & futurum. Et cum nunquam dubitarim me à te mutuo amari, & vnice diligi, Petrus Zaya tamen conſobrinus meus, qui Mediolano nuperrime rediit, omni verborum gratia, & dignitate, id confirmauit. Hanc amoris in me tui memoriam Petri mei oratione refricatam fuiſſe maximopere lætatus ſum, nec illi quicquam optatius fuit, quam me quamprimum, vt ad ſuos rediit conuenire, & conſtantem beneuolentiam in me tuam teſtari. Quam vt conſerues, non eſt vt te rogem. Noui enim te, mi Emili, noui ingenium tuum, noui præſtantem animi tui indolem. Quo in ſtatu res noſtræ ſint, credo te, & ſermone multorum intellexiſſe, & à Petro noſtro accepiſſe. Per belle ſe certe habent. Ciuium meorum in nos beneuolentia maior eſſe non poſſet, iis ſtudia noſtra grata ſunt. Gymnaſium in dies magis à nobiliſſimis auditoribus frequentatur. Domus noſtra tum noſtratibus, tum alienis adoleſcentibus maxime illuſtrata. Matrem, fratremque tuum verbis noſtris ſalutato. De Bartholomeo Cruceio & Bellono noſtro nihil, tum quia optime noſtis, tum quia publice vtriuſq; miſerrimus euētus literis à nobis proditus breui legetur. Vale.

Franciſcus

FRANCISCVS PICVS Aonio Paleario S.D.

Qvanti ego te faciam, iampridem qui mecum verſantur, & quibuſcum familiaritas intercedit, notũ eſt, quorum multi experti ſunt cõmendationem meam ſibi penes te haud inanem fuiſſe. Mihi n. per te quod volebant aſſequuti, & coram, & p literas gratias egerunt. Id quod & Hieronymus Liconius vir exculta doctrina, & ſuauiſſimis moribus cognouit. Me enim conuenit, & qua familiaritate, quæ plurima, inter nos eſt, coniuncti ſumus, à me petiuit, vt eum tibi cõmendarem. Quippe qui iandiu optaſſet in eorum numero reponi, qui & te colunt, & obſeruant, gratiasq; agunt, quod per te maximis beneficiјs cumulati fuerint. Tibi hunc igitur & prudentem, & literatum virum tuarũq; doctrinarum admodũ ſtudioſum cõmendo. Hominem experiare. Id cum feceris, dices me huius potius cõmendatione egere, quàm hunc ipſum meã. Tu interim quicquid in hunc contuleris, in me collatum fuiſſe tibi perſuaſiſſimum habeto. Huius ex animo iucundo beneuolentiam non extorquebis, ſed vltro oblatam poſſidebis. Totus enim eſt ingenuus, & candidus. Qua re te adeat (iſtuc enim propediem veniet) ab eo cognoſces. Cuius ex diſerta, & moderata oratione, quæ totum hominem tibi clariſſime patefaciet, multo plura deprehendes, quam ex his noſtris. Tu me ama, quod vt video, & tu multis probas, facis. Te (vt ſpero) breui amplexabor, & tecum aliquot horas cõmorabor. Vale Cremona.

FINIS LIB. VII.

LIBER OCTAVVS

Epiſtolarum Familiarium

FRANCISCI ZAVAE

FRANCISCVS ZAVA

Franciſco Robortello . S. D.

TE rervm abditarum, & abſtruſarum maximum inueſtigatorem, cum ex tuis ſcriptis, quæ in manus meas peruenerunt, tum ex quibuſdam notis, & cenſuris ab hinc non multis annis editis animaduerti, at nunc te maximum oratorem cognoui. Legimus enim orationem tuam, qua Salerni morte contabeſcentes conſolaris, mœſtos, triſtes, & iacentes recreas, erigis, & ſubleuas. Qua eundem in Deorum numero apponis. Qua illius ſingularem doctrinam in omnes orbis partes diffundis, poſteritatiq; conſecras. Tantam in dicendo vehementiam in ea laudatione pręte fers, vt abſentes adeſſe videantur. Salernus ſui deſiderium apud grauiſſimos, & literatos repoſitũ ſentiat. Nullus eſt, qui hanc tuam in Salernum laudationem legerit, qui non & illius virtutem cognorit, & tuam eloquentiam non admiratus ſit, beneuolentiam, & tuũ

erga illum, amorem non laudarit. Quare tibi multum debeo, nec parum me Salerno debere profiteor. Per te enim Salernum cognoui, per illum quanti probatos viros facias video. Scito igitur me totum tuum eſſe. Idq; à Dijs ĩmortalibus precari vt Robortellus ſentiat quanti eum Zaua faciat, te ñ, vnice diligo, & omnium maxime obſeruo. Id etiam, atq; etiam à te peto, vt per te hic aditus ſit mihi fęlix ad tuam ineundam, & cõciliandam beneuolentiam. Huic ingenti deſiderio, & ardore, quem tua virtus, & pręclari nominis fama mihi inijcit, ſi aliqua amoris ſignificatione reſponderis, eorum nemini, qui tecum arctiſſimo beneuolentiæ vinculo copulantur, inuidero. Id quod re potius, quam verbis præſtitero. Quod ſi tibi experiri contigerit facile cognoſces. Vale Crem. XIII. calen. Septem.

FRANCISCVS ZAVA
Sigiſmondo Brumano. S. D.

Et ſi feſtinanter literas tuas ſcriptas animaduerti, illas tamen libenter legi. Tum quia nullum humanitatis genus omittunt, quo ſe non inſpergant, tum vero quia à te, ideſt ab illo, cui neminem habeo, quem in amore, beneuolentia, & obſeruantia comparem, proficiſcuntur. Mihi igitur literæ tuæ admodũ iucundæ, & gratæ fuerunt. Cur non potius dices fortaſſe, maximo dolori, & mœſtitiæ, quia ijs te de Iulij Salerni viri in omni ſcientiarum genere maxime verſati, morte, lacrymis fere oppreſſus, admonui? Heus tu, vbi eſt veſtra philoſophia, qua dolores expellitis? languores curatis? mœrorem leuatis? omnibus morbis medicamini? vnius morte hæc tam cito obliuiſcimini? tantæ

rei

rei memoriæ excidit? ſam vberes, & ſalubres fructus deſeritis? Quorſum hæc veſtra ſtudia? vt in corporis tantum curationem incumbatis? vt deorſum deſpicientes ſentinarum profunditatem intueamini? Quæ animos tollunt, & erigunt negligatis? Cur tantam curam, & induſtriam in perſpicientia, & acri ſpecierum odore, quas formas melius appellamus, defigitis, & locatis? Num inde fortaſſe illi vnguentorum exhalantur odores, quibus vos ſolos ſapere gloriemini? per me hæc ſcrutemini, excutite, peruestigate, odoramini, indagate, olfacite. Placet literis tecum iocari mi Sigiſmonde, quando in præſentia id præſtare non poſſumus. Mortem Salerni æquo animo ferre debetis, quando contigit eius laudationes audire, quibus Robortellus maximus ille rhetor, & philoſophus immortalitati Salernum conſecrauit. At perijt ais, cuius obitu omnia publica Gymnaſia omni fere ſplendore orbata conticeſcunt. Perierit, quid tandem? & nos hominem deſideramus. Iam ſe prætura abdicauit. In eius locum alij ſubrogabuntur, niſi aliquis ab illius ſtatim diſceſſu iam ſuffectus ſit. Annus ſit hic inſignis Salerni morte. Bene vixit. Neſtori æternitate vitæ ſe æquauit. De huius virtute omnis poſteritas loquetur, nec fabulis inuoluetur. Hic à legum ſacerdotibus abditarum rerũ æſtimatoribus qui ſunt, & qui mox erunt in annis nunquam intermorituris celebrabitur, quorũ præconio apud omnes gentes vigebit. Nos vero ijs omiſſis valemus, tibique, & ceteris Cremonenſibus iſtic cõmorantibus plurimam ſalutem dicimus, cuius & Robortellus, quem vnum omnium literatorũ inſtar habeo, particeps erit. Hunc adi, hunc conueni, huic nomine meo quam maximam ſalutem dicito. Tu à ſo-

LLL 2 rore

rore, nepotibus; & neptibus ſaluebis. Vale Cremo. XIII. calend. Septem.

FRANCISCVS ZAVA
Carolo Sigonio. S. D.

LONGAM ad te ſcribendi intermiſſionem ſi repręhendis æquo animo mi Sigoni fero, & id merito à te fieri non recuſo. Quis enim non te laudat, me ſic arguentem? Ego meas ad te Franciſce maximo meo incommodo pridie calen. Decembris dedi, quatuor menſes iam præteriere; quibus nullas à te accepi, cur tam piger in ſcribendo? expergiſcere ſi dormis, tolle ſocordiam ſi te inuaſit, excute ignauiam ſi te comprehendit. Si in ocio hebeſcis, & nō prouidus langueſcis, da te labori. Quidquid dixeris, vel hæc, vel huius alia generis, ijs vel grauiora mecum deliberaui, id patientiſſimis auribus audiendum. Meam pigritiam quouis tu vitio argue; nunquam tibi iraſcar. Modo omnibus probem te à me vnice amari, id mihi ſatis, quod & me tacente non diffido tibi notum eſſe. Sed heus tu, cur quæ promiſiſti nobis tandem non leguntur? Num te ad illa currentem Bononienſes reuocarunt, & res de quibus agere cęperas longa, lataq; regionum perigrinatione, & pulcherrima tua luſtratione peracta, inter cœperunt? Id certe literis tuis mihi ſignificare videris. Aggredere ad hanc illuſtriſſimam prouinciam, ciuitatem, quam multos annos è ſuperiori loco, maxima vndiq; nobiliſſimorum iuuenum frequentia, nominis tui fama iſtuc confluentium, decoraſti, literis, & clariſſimæ annalibus memoriæ conſignato, monumentis illuſtribus mandato. Latior tibi excurrendum eſſe

per hunc immenſæ gloriæ campũ. De cuius maximis, & plurimis ornamentis cum ages, nec illud ſilentio, præteribis, illam coloniam latinam fuiſſe. Quam a Valerio, Attilio, Tappone Triumuiris deductã, id loco maximi antiquitatis beneficij repoſitum nõ negarim. In quem diuinum ſermonem cum incideris, denuo excute quæſo antiquos Romanorũ coloniarum ſcriptores, tuo iterum teſtimonio locus Liuij illuſtretur, qui male intellectus à quodam vetere ſcriptore omnibus riſum mouit. Cremonã agreſtium multitudinem coloniam deductam fuiſſe, quia Triumuiri Romani, qui ad agrum colonis aſſignandum venerant, diffiſi mœnibus Placentiæ, Mutinam ſe receperunt. Latera nunc ſcribenti riſu mihi diſrumpuntur. Quod genus Dij boni hoc argumentandi? quam inſulſa hæc interpretatio? quam aliena à Liuij conſuetudine? quam tota nugatoria hæc complexio? quia in agreſtem cętũ & turbam Villas, & caſas habitantem, per agroſque palantem, agri aſſignatores ſibi pœnis, armis ſtatim arreptis, impetu facto timentes Placentiæ muris Mutinam fugiunt, ergo qui in vrbe agreſtium colluuio. Equidem ſi hoc captioſo, vel potius inſulſo, qui mihi dant operam argumentandi genere; qui in noſtrum Gymnaſium ſępe diſputandi gratia veniunt, circumuenirent, cenſerem flagrum admonendum, nec manus abſtinendas ab illa corporis parte, quæ minore valetudinis periculo in tenera illa ætate verberari ſolet. Quia turbine, & procella ex aliqua cœli parte erumpente, qui in agris diuerſis operis occupati erant, diffiſi arboribus in aliena tecta diffugiunt; ergo in vrbanos, quia ruſtici fugiunt, tempeſtas communiter ſæuit. Et ſic vrbani, agreſtes ſunt, quia in vrbem tanquam in

portum

portum, & aram agreſtes confugierunt, & qui prius vrbani hac repentina in vrbem receptione, agreſtiũq; permiſtione agreſtes ſunt. Nihil me hercle ineptius, nihil magis abſonum. Quod ſi concederemus (quæ ſingularis & deridenda noſtra imperitia eſſet) nihil tamen ad Cremonenſes id pertinere, qui prima literarum rudimenta nouerunt, nedum qui multos annos in literis verſati ſunt, nõ ignorant. Hanc vim argumentandi, ne ſemper Socratis inductiones ſequamur, & Ariſtotelis, Theophraſtique longas argumentationes implicemus Placentini acuti, & ingenioſi, Romanorumque & ipſi antiquiſſimi Coloni perceperunt, & inanem amici ſenis diſputationem reprobarunt. Et vt indubitata veſtigia ſunt quæ coloniam, & propugnaculum contra Gallos, cęterosque Barbaros, antiquæ Italię peſtem, ſe ſe trans Padum agentes, Cremonam probant, ita eiuſdem antiquitatis certiſſima indicia. Quod tamen (vt breuitatis cauſa Leonardũ Aretinum errore lapſum prętercam, & Sabellici ſupputationem omnino falſam taceam.) Cornelium Tacitum virum cętero qui doctiſſimũ, & hiſtoriarum grauiſſimum ſcriptorem fefellit. Qui Tito Sempronio, & P. Cornelio conſulibus, quo tempore muris cincta eſt, Cremonam conditam fuiſſe, cum annis multis ante, vel potius ſeculis, incerto tamen vrbis exordio, & adhuc ſub iudice authore putauit. Sed quo, cum hæc? quando hæc tu optime noſti, & promiſcue decem alijs, & ſeptem quid quid opus eſſet, vel pecunia, vel frumento imperato Pop. Rom. ſe prę ſto futuras, & opem daturas reſpõdentibus, duodecim ex triginta colonijs, ſe pecunias, & milites delaturas negantibus, diſertiſſime hac de fideliſſima colonia egiſti? cupio tamen nunc quoque vel

ſeparatim,

ſeparatim, vel cum tuis, & noſtris Bononienſibus te hoc agere. Id tibi perſuadeas velim hoc ciuibus meis fore tam gratum, quam quod gratiſſimum. Huius vrbanorum, non agreſtium, vt illi antiquiſſimi fundamenti coloniam & ſemel, & bis à Romanis deductam ſcimus, per te illuſtrari maximum lumen accepturam profitemur. Id ego tentaſſem, ſed illud noſti. Clienti cauſam ſuam agenti iudicum aures non patere. Hoc nouo, & egregio ſtudio tantum tibi ciues meos deuincies, omni genere laudis illuſtres, & claros, vt te oẽs certatim coloniæ noſtræ aſcriptum contendant. Quid præterea à te? librum de iure Magiſtratuum, & imperatorum Romanorum, quem in extrema tua pagina breui te miſſurum ſcripſiſti expecto. Qui ſi te nõ iuuerunt, quod moleſte fero, nobis tamen maxime profuerunt. Qui ſi non fuiſſent; nec antiqua oſcuritas tantum luminis à Sigonio accepiſſet. Tuas libenter latinas legerem, ſed id malo tuo commodo, quam meo deſiderio. Vale Mainoldum noſtrum verbis meis ſalutato. Quem quia ſcio tibi commendatiſſimum eſſe, me vtriq; veſtrum commendabo. Hoc tantum. Illum in virtute patria retine, ad auitam gloriam illum, & ſponte currentem inflamma. Cremo. prid. idus Apri.

FRANCISCVS ZAVA
Io. Mariæ Theloo S. D.

NIHIL poteram tuis proximis iucundius accipere, nihil eiſdem triſtius legere. Quarum prima pagella lætitiæ plena, quantum de progreſſu tuo in literis ſperare poſſim teſtatur. Literas enim tuas mihi indies doctiores, & politiores reddendas confidebam, id re

conſe-

conſequeris; Ripamque noſtrum honorificentius illuſtrandum, & nouis muneribus à Scnatu Mediolanenſi cumulandum non ſperabam tantum, ſed aperte proſpiciebam. Tuum peracutum ingenium prius noueram, & quo animi ardore ad iſta honorificentiſſima ocia te conferres, videbam. De Ripa vero ea audiebam quibus non tantum ad hanc nuper ei delatam lectionē aſcenſum haberet, verum & ad maiores, longeq; difficiliores, & nobiliores. Quanquam hoc in munere interpretandi, quid huic grauius accidere, & nobis iucundius poſſet non video. Quod ſi laborioſum ſibi eſſe putabit, ſciat nullam gloriam vere comparari ſine magno labore, & longis lucubrationibus. Sed quid hæc & ad te, & ad Ripam? Noctuas Athenas. Hoc mihi, quod de Pauoncino ſcripſiſti, nec me ſcribente gratum fuiſſe, certo ſcio, & tibi, & illi perſuaſum eſſe. Altera vero quanti doloris? quanti ſuſpirij? quanti gemitus? quantiúe mœroris? quam longæ, grauiſq; ærumnæ? Franciſcum Bellonum florentiſſimum iuuenem amiſiſſe? maximis laboribus in diuerſarum legū præceptionibus iam defunctum tanta cum parentum mæſtitia, & patriæ nunc in fertiliſſima ingenij meſſe poſita ſpe ereptū eſſe? Nefarias, & ſceleratas manus innocenti puero admotas fuiſſe? tam nobiles, & illuſtres parentes tali filio orbatos? Videor audire Veronicam eius matrem ſic Papiam alloquentem. Ego filium meum genui, vt mihi tanti doloris nuncia eſſes? illum educaui, illum Cremonā ad Franciſcum Zauam in literis, & moribus erudiendū miſi vt à te tam triſtē nuncium acciperem? Vt filio ſuperſtes doloris recordatione reliquum vitæ tempus in curis protraherem? Vt ſic miſera parens angerer? Id ſi proſpexiſſem tu

nunquam

nunquam mearum miſeriarum teſtis fuiſſes. Tam breui tantam impenſam, & maxima nostra lætitia in hunc vſq; diem optime collocatam cōcidiſſe? Adiſce quæſo infęlicium parentum tandem miſereri. Ne patiare per cōmoda tua, quæ plurima ab externorum, & aduentitiorum copia iuuenum capis, familias tanto lumine orbari, ne feras diuerſorum patrias ijs nuncijs affligi, ijs ornamentis priuari. In ſontes verte tela, illos legibus, & vinculis conſtringito. Sicarios extrudito. Inſontes tuere, protege, amplexare, foue. Succurrat tibi patrius amor, ſuccurrat in filios parentū charitas, ſuccurrat affinium, propinquorum, cognatorum, Ciuiū denique omnium maxima huiuſmodi adoleſcentium frugis, & ingenij expectatio. Hæc, & alia plurima huius generis à Veronica męſtiſſima matre, & fœmina prędantiſſima prolata non dubitarim. Quam libenter hac oratione abſens ſolarer. Illum hominem natum fuiſſe, vbique locorum nobis pericula imminere, non magis Papiæ, quam alibi, vnum eſſe Deum Opt. Max. penes quem vlciſcendę iniuriæ totū iudicium reſideat, filij potius manes æternæ quieti traditos ijs parcendo, qui hanc in morte filij vulnerauerunt, Deo hoc beneficio veniæ commendare. M Antonium ijs tantum. Meminerit ſe virum eſſe; pręſtet animi in hoc pręſeltim doloris genere magnitudinem illam, quam non ignorat prudentium, fortiumq; virorū eſſe, & loco maximi ſolatij illi contigiſſe, filium ſuum, antequam animam efflaret, Deo reconciliatum fuiſſe, quod in primis optandum eſt. Reliqua enim breuia, caduca, incerti euentus, periculis omnia obnoxia. Nihil incertius vita noſtra, nihil Dei clementia exploratius, & certius. Nihil hac vita miſerius, nihil ærumnoſius, nihil cap-

MMM tioſius,

tioſius, nil ſpoliatius, nil egentius. Illa vero, quam Deus bonis reſeruat, nihil iucundius, nihil beatius, nihil apertius, nihil antiquius, nilúe ornatius, copioſius, & omni fertilitate refertius. Hæc de Bellonis, quos velim quieto animo quicquid euenerit, ferre, & Deo huius iniuriæ vltionem donare. Tu vero hæc pauca. Deum omni animi deliberatione dilige. Nullus ab antiquorũ Decretis ꝑ optimos Theologos conſtitutis vllo lenocinij genere te ſeuocet. Omnibus adeſſe te aſſuefacito. Tua conſuetudo ſit cum bonis, malorum beneuolentiam ne aſpernare, illos tanquam vulpeculas euitato. Illud memineris. Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum. Ripæ nomine meo gratulare. Gambarinum ſalutato. Caſalenſibus meis plurimam ſalutem, niſi omnes Belloni caſu perterriti domum redierint, dicito. Padernum, & Sfondratum verbis noſtris ſaluere iubeto, eorum literas me auide expectare, nunciato. Columbanum quoq; ſalutato. Vale idibus Aprilis.

FRANCISCVS ZAVA Tito Amaltheo. S. D.

TERNIS, quinis, denis, vt breuiſſime dicam centenis litteris mecum his duobus proximis annis egiſti, vt qui primus apud Romanos colonias duxerit, & vtrum ſimiles omnes, an varia illarum forma eſſet, & vt ad te de comitiorum generibus ſcriberem, quibus diebus, quaúe parte diei, per quos Senatus haberi poſſet, quandoúe non poſſet. Qui preterea nunciationem, quiq; ſpectionem haberent. Illud quoq; inter ea, quæ plurima à me efflagitas, quot lictores conſul, quot

quot prætor haberet, & quæ ſingulorum Magiſtratuum in comitijs petendorum ætas legitima eſſet, & multa alia huius generis. Quæ quia in Dioniſio, Polybio, Plutarcho, Liuio, Gellio, Feſto Pompeio, & in pleriſq; alijs ſcriptoribus antiquis Græcis, & Latinis leguntur; exiſtimabã mihi hoc labore carendũ, & penitus ſuperſedendum. Te enim meis proximis ad hos venerandæ antiquitatis ſummos, & clariſſimos authores mittebã. At non contentus hoc meo conſilio, denuo id à me efflagitas, quaſi ignarus ſis quantis, quotq; laboribus premar. Id non poſſum præſtare, nec ſi poſſem, id tentarem. Nam quid addi ijs quæ Nicolaus Gruchius edidit, poteſt? quid ad ea quæ in eodem genere, & pleniori (vt dicitur) manu ad cõmunem literatorum vtilitatem ſcripſit Sigonius? ijs ego ſubſcribo. Horũ induſtriam ita probo, vt nullus mortalium ad eorum excogitationes quicquam melius, ſtabilius, firmius, doctius, illuſtrius afferre poſſit, niſi quiſpiam velit meretriculas imitari, quæ vt fallant imperitos, & meretriciæ diſciplinæ ignaros iuuenes, in eorum conſpectum noua figura, fallaciq; liniamento procaces, petulantes prodeunt. Tu ſi iſtorum inuenta non probas, periculũ ingenij tui ita facito, vt tua illorum ſcriptis præponantur. Sed caue ne illos imiteris qui vt aliorum ſcripta veluti cachinantes, & noui Zoili liberius derideant, nihil ſcribunt, ne ipſi deriſi fiant ſtercoratæ vulgi fabulæ. Tu fortaſſe, quia cum mecum proximo anno eſſes in quoſdam commentarios, quos euitandi gratia turpiſſimi ocij in Cæſaris & rerum Gallicarum, & ciuiliũ libros ſcripſeram incidiſti, in quibus eſt harum rerum fere ſingularum non ignaua conſideratio id tantopere à me contendis. Quid ſi tibi nouũ flagitium enarro?

Mihi ſurrepti fuerunt illi cõmentarij, quos tu Cæſaris, præclaros triumphos appellabas. Furti authorem neſcio, ſuſpicor tamen illum fuiſſe, quem nunquam à latere meo diſcedere videbas, & qui à dextra diſcumbebat, quo tempore te hoſpitem accepimus, & quem tantopere ab indole, ingenijq; acumine laudabas. Non poſſum propius ferre pedem. Adoleſcentem noſti. Ille (vt puto) me defraudauit, quod nunquam timuiſſem. Nec credo te eum eſſe, qui me ad nouos labores vrgeas. Alia aggredior, quæ vt ſpero maioris vtilitatis erunt, cępta Dij ſecundent. Tu ſi me amas, ne ad me amplius hac de re ſcribas, rogo. Quicquid pręterea petieris nihil vel maxime occupatus tibi denegabo. Vale Cremonæ.

FRANCISCVS ZAVA
Cęſari Brumano Legato Pontificio
Neapo. S. P. D.

QVAS mihi Cal. Mar. miſiſti his non reſpondi, quia quod à te petebam ſtatim perfeciſti, tu prudentiſſime, & pulcherrime nobis reſpondiſti. Res vt tibi gratias agerem expoſtulabat. Has coniungere cum gratulatione deſiderabam, vt vnis literis vtrunq; ſimul ſi poſſem pręſtarem. Gratias igitur quas tamen ſcio te non expectare non refero quod ſi tentarem quomodo aſſequerer? Nam ſi quis gratias referre vult, ſi nõ maiorẽ at parem ſaltem neceſſe eſt, aliter gratiam non refert. Quo me implicem argumento vides. Non is ſum qui ſatis apte in vtroq; verſari poſſim. At dices humanus ſum, & quibus opera, & ſtudio proſum, & adeſſe poſſum, me illis dum libenter beneficijs noſtris ſe cumulari patiuntur magis me obligo, quam illos deuinciri

mihi

mihi velim. Hoc nemini dubium, cui animi tui magnitudo explorata eſt. Quam non tantum qui in rebus ampliſſimis, & aulicis verſantur in omnes propenſam, & conſtantem nouerunt, verum & qui priuatas res nec maximas agunt perceperunt, & re ipſa ſenſerunt. Quod non mirum. Quando nihil in te non dignum maximo Cæſare apparet, & elucet. Vt ad dictionis vim reuertar, gratias quas referre non poſſum, niſi quis Deus ita me erigat, vt in pari officiorum remuneratione conſiſtam habebo. Quam amoris viciſſitudinem, & obſeruantiæ genus ſcio te non aſpernaturum. Hæc ſunt, quibus nos iampridem tibi obligaſti. Gratulationes noſtras ſeras nunquā tibi perſuaſum fuit, qui quanti te ſemper fecimus non ignoras. Cū primū huc mater tua omni laude maxime digna matrona venit, illam conueni, ſalutaui, & eius de incolumi in patriam reditu gratulatus ſum. Quæ antequam huc cōmigraret omnes primarios Neapolitanos, qui tibi amplius, cum ad illos Pontificius legatus ires amplius decem millibus paſſuum, vt audiuimus, obuiam proceſſerant, gratulatos fuiſſe acceperamus. Quam ſingularem, & honorificam gratulationem Ciues noſtri in Cœlum laudibus tulerunt. Nam hic nullus ciuis eſt, cui nuntius ille gratiſſimus non extiterit. Tum vt patri tuo, qui ſummus, & optimus vir talem virum, & patriæ beneuolentiæ exemplum reliquiſſet, & quoad eius fieri potuit de patria hac meritus fuiſſet, tum tibi, qui tam breui ad hos virtutis præclariſſimos aditus, & honorum ampliſſimos gradus proceſſiſſes gratularentur. Quæ patria tibi obtigerit ſcis, illa videlicet quæ ſemper & virtutis ſtudioſa, & honorum, dignitatumque ſummorū virorum æmula extitit, ad quas non irrepſit,

ſed cōtendit, & obtinuit. Nec te latet quam in omnes pater tuus officioſus fuerit. Cui nihil clarius, nihil iucundius vnquam fuit quam de omnibus promereri, & quibus prodeſſe poſſet, non operam, non ſtudium, ſed ſe ipſum & fortunas ſuas promerendi nactus occaſionem offerebat, & impendebat. Matrem tuam taceo Camillam, & morum ſanctitate, & nominis integritate, & mentis acumine recte appellatam, rerumque euentu comprobatam, quæ cum qualibet antiquarum, vel Græca, vel Latina optima matrona prudentiſſima, Matre familias modeſtia, temperantia, prudentia contendere poteſt. Tu ſi quis optimis parentibus gloriari poteſt, imprimis, ſi quis patriam dignitatum, & in omni genere honorum fertilem lætari obtigiſſe debet, tu cum reliquis Cremonenſibus maxime. Sed quid hæc ad te qui vix à præceptorum latere diſceſſeras, cum te, animumq; tuum honoris plurima nomina titillarunt, cuius rei cauſa in maximos labores te demerſiſti, vt inde ad florētiſſimos honores emergeres? Nec adhortationē video tibi neceſſariam, ſponte enim, & tuopte ingenio te ipſum imitans, tecum dies, noctesq; certās ad ea curris, quibus præſentes fruantur, poſteri per te admirentur. Gratulor igitur, & quod primum dixi gratias tibi habeo. Vale, & quod me ſemper feciſti ama. Cremonæ.

FRANCISCVS ZAVA
Carolo Sigonio. S. D.

Qvo tempore Io. Baptiſta Mainoldus tui obſeruandiſſimus, meiq; amantiſſimus, & omnium bonorum ſtudioſiſſimus, mihi quædam à te erudite, & enucleate

in

in Scipionem ſcripta, quæ maxima liberalitate excellit, vt tui in primis ſtudioſus legendi copiam fecit. Legatos, & cum his primos ordinis ſpectatæ virtutis, & prudentiæ viros, ſeruili tamen habitu ad Syphacem mittebam, huius diligenter caſtra exploratum, vt ſi poſſem prudenter inito conſilio pœnorum fallacias eliderem. Quæ Legati quoq; referebant audiebam. Exercitum explicabam, aciem inſtruebam, quo modo in hoſtium caſtra ignem præfecti noſtrorum militum conijcerent admonebam. Seductos Lelium, & Maſaniſſam obteſtabar, ne quicquam tantę rei morę darent, omnia in eorum prudentia, & rei ſuſceptæ celeritate poſita eſſe ſignificabam. Mox pęne conſumptis incendio omnibus hoſtibus, ſigna militaria ad me deferri iubebam. Hoſtes igni opreſſos, & enectos numerabam. Et quæ Vulcano ſacraueram incendebam. His omnibus fœliciſſimis Deorum ominibus peractis ad Carthaginem excindendam (dolebam enim cũ Fędifragis, & Tributarijs improbis bellum, & cędes toties inſtaurari) animi cogitationes omnes vertebam. Interim (quaſi tu pręſagiſſes) lego quæ mihi Mainoldus dedit à te nouiſſime excogitata, & ex maximis ſcriptoribus exhauſta, & accuratiſſime decerpta. Quorũ lectione animum meum, longa meorum auditorum diſputatione ad hæc explicanda defeſſum recreabam, & aſſidua illa occupatione, qua auditores meos polio relaxabam. Placent omnia tua mi Sigoni, ſed hac rerũ Pauli AEmilij compoſitione quid pulchrius? quid formoſius? quid amabilius? exempla enim cuiuslibet virtutis generis in his pleniſſime apparent. Non ſunt multi libri euoluendi, quibus indagemus quid domi, quid foris ex prudentiſſimorum virorum moderatione,

& conſilij inita ratione agendum ſit. In hoc enim omnis antiquorum gloria, & laus eximia eluceſcit. Ex his tuis pagellis eruitur Fabriciorum parſimonia, Curiorũ frugalitas, Attiliorum incredibilis animi fortitudo, & tolerantia. Vnum queror te promiſſis quando nihil accidit quo minus id ſerues non ſtare. Alias enim ad me ſcripſiſti, me fore tuorum ſcriptorum participem. Quod nec tamen promiſſum in omnibus tu facis: Tu fortaſſe dices quæ ad Mainoldum damus, & ad te ſępe numero, vtriq; cõmunia arbitror. Si huiuſmodi cauſas hic optimus patronus ageret, nõ recuſarem, quo minus hanc ſuſciperet, ſed iam noſti Platonis Remp. in hoc genere inductionis, & quondam blandæ argumentationis poſitam, penitus ſublatam fuiſſe, probo tamen prudentiam tuam ne dicam in donando ſeruandam moderationem, qui vno munuſculo non lebidenſæ tamen Craſſo filo, & veteres amicos ſeruas, & nouos acquiris. Nam vt ad me quotidie defertur, hic multos Scipionis triumphos tuo nomine publicauit. Sed quid agimus? deeſt ſcribendi argumentũ. Expecto Doriæ, ſiue tu mauis Auriæ principis nauales velitationes, pugnas, victorias pręclariſſimis monumẽtis tuis teſtatas, triumphos declaratos. Iam præterijt menſis, quo dicebas te quæ ſcripſiſſes de Roma Imperatoribus, & Magiſtratibus ad nos miſſurum, nec tamen hæc lego, quæ ſi Venetijs diſceſſere, fac ſi me amas vt huc recta veniant. Nos ſi hæc viæ ſe commiſiſſe ex aliquo tuorũ prodromorum cognouerimus ſtatim nouis periſtromatis, & Aulęis domum noſtram adornabimus, ne nimis familiariter cum venerint nos illa recepiſſe tibi referant. A' quibus vt ſpero diligenter miſerã Scipionis fortunam cognoſcam. Qui orbis terrarum victor

nuper

nuper à te captus de quo glorioſe triumphare potes, Ioachino donatus eſt. Egregium mehercle munus, & præda maxime opima, omniũ Imperatorum manubias ſuperatura. Vale, Flauius Fioccus tuo nomine mihi plurimam ſalutem dixit, quo quia nunc fruor, te frui videor. Te huius nomine ſaluere iubeo. Has tibi reddent aut Ludouicus, aut Iulius Morini, vel vt nunc loquimur Flandres, qui & noſtri auditores fuerunt. Vale iterum Cremona prid. calen. Iunij.

FRANCISCVS ZAVA
Bernardino Cropello S. D.

Qvid ais Bernardine? tarditatem mihi, & cunctationem in ſcribendo obijcis? negligentiam meam accuſas? mihi ſuccenſes? nobis ſtomacharis? tuas legimus V. Non. Maij his reſpondemus Cal. Iunij. Tuis ſerò reſcripſimus. Id verum. Vaco tamen ſi non ſuſpicione quæ tuorum æqualium familiaris eſt, qui timere ſoletis ne ancilla cum puero domi furtum faciat, at culpa, quod mihi multo iucundius eſt. Quas literas volebas me Andreæ, quo cum tibi ſummam neceſſitudinem intercedere, vel potius, vt clarius loquamur, quem tuum conſanguineum (vterq; enim Cropellus) Scribis, ad te perferendas dare, quibus te admonerem me valere? quibus de ſtatu meo cognoſceres? At hic me vidit in medio virtutis Theatro, non in turculari, vt ille, Apage quid nunc de illo homuncione, ranunculo, & male ſano Zoilo? ſed in nobiliſſimo, ampliſſimoq; auditorum conuentu, & frequentia de actione, & ſummi boni cognitione iuuenes noſtros diſputantes attentiſſimis, & libentiſſimis auribus, audiẽtẽ, & cum

iiſdem omni Stoicorum ſeueritate depoſita humaniſſime diſceptantem. Huic præterea domum totam patefeci. Qui ingreſſus multas Italiæ nobiliſſimas ciuitates mihi vectigales cognouit, quod maxime Andreas tuus, idemq; meus probans, & ipſe mihi nuper Tributarius factus eſt. Nepotem enim ſuum cenſui meo acceſſionem nouã adiunxit. Nec id fortaſſe quærebas, quia tui ciues, cognati, & affines, qui me ſæpe viſendi cauſa conueniunt, hac de re pleniſſime tecum, & ſæpiſſime loquuntur. Quid ergo? quæ mea de eius ingenio nepotis opinio? Dij boni credis me illum æmulari qui ex facie hominum ingenia cognoſcebat, & cui rei maxime apti eſſent prædicebat? Hoc ſi profiterer amici noſtri ex maledictis ſuis præmiũ ſuum (ſcis quid Dauo ex fallacia imminebat) reportaſſent. Ariolus nõ ſum, nec huius generis furibundas prædictiones vnquã probaui. Quid ſi indolẽ ex facie adoleſcentis probaſſem, in reliquis vero Momo non ſatisfeciſſem, num volebas me hac de re cum Momo in diſceptationem venire? Hoc mihi crede longe aliud eſſet, quam ſi quiſpiam diceret. Mihi magnus retulit. Pallas oleo tranquillior in celſa pupi ad clauum ſtetit. Et huiuſmodi Endymionis ſomnia. Tu bene pulchellum hominem noſti. Hæc tunc non expectabam dicis, ſi meæ aures non me fallunt. Nunc ergo valemus. Cropellus tuus, quem mihi vnice cõmendas, imo omnes Cropelli, qui nobiſcum quamplurimi ſunt ingenio valent. Quod cupis, de eo optime ſpero. Et tu quid de me Andreæ pollicitus es, diligenter ſeruabo. Hoc à te peto, ne vadem pro iſto te offeras. Niſi tu ſolus ſitim meam, (amo enim Cropellos, & huius familiæ ſum perſtudioſus) explere poſſe confidas. Ne vadimoniũ ſæpius

diffe-

differamus ſcribe ſiſtendi diem, vel quod malumus ſoluendi, & ad ſtatutum diem huc te referas. Tunc pactione rem tranſigemus. Quod ſi præſtare nō potes, (adeſt.n.meſſis) à repreſentatione Andreæ nō diſcedā. Tecum libenter iocor, ne iocemur, tu ſerio age. Vale, & me ama. Cremona.

FRANCISCVS ZAVA
Sigiſmondo Brumano S. D.

TANTI Roma eſt, vt cùm qui ægrotet, & Medicus quæratur, eiusq; opera maximopere deſideretur, dicat aliquis ægroto. Medicus venire non poteſt, illum excuſato, hoc tibi ſit ſatis, ęgrotus hoc audito quieſcat? Medicum nō amplius quærat? ad ſanitatem hoc excogitatū remedium ſatis putet? Magna eſt iſtius laus, ſi hanc credit morbo laborantibus medicinam peropportunam eſſe. Non credo vos ita ſapere, vt in hoc vos ſoli deſipiatis. Nec tu mihi perſuaſeris hoc ab aliquo veſtri gregis tentatum fuiſſe, vel mihi des Hippocratem latera, & frontem ægroti, non arteriam tactu ſeruantem, Dioclem, Praxagoram, Chryſippum, Herophilum, & Eraſiſtratum, Machaonem deniq; ipſum, quem Homerus Deo æqualem ſcribit, & AEſculapiū, cui vt in Phœdone Plato ſcriptum reliquit, Socrates moribundus Gallum vouerat, quem poſtea eius familiares, illius nomine, ex Socratis mandato ſacrificarunt, licet quoq; reliquos, non parabolanos, qualem illum nouit hęc tota ciuitas, qui amici cuiuſdam noſtri extremos natales errabundus quærebat, quo tempore locum eſt quieti, ſed ſumme commendatos mihi ad hoc proferas. Qua in re ſi nimis obſtinate, & pertina-

elcet, moreq; veſtro, ideſt Sophiſtico, mecum ageres non dubitarem, te & reliquos ſtercorariæ artis ſpeculatores, & acres indagatores Scatophagos appellare, cuius dictionis vim ſi quæris propius dentes admoue, quos (vt puto) nec franges, hęſitabunt potius. Nec tñ dicerem cum Euſtachio, medicinam partis Phyſicæ extremam fęcem eſſe, nec cum illo Phyſicis nihil arrogantius. Nec cum Mimnermo antiquiſſimo Poeta Medicos mendaces, quod mercedis cauſa morbos prędicent multo grauiores eſſe quam ſint. Nec vos cum quibuſdam in nobilitatis diſcrimen adducerem, ne ille qui ad hanc artem nullum niſi nobiliſſimũ admittendũ cenſebat cauſa caderet, quando ex Iuriſcõſultorũ ſanctiſſimo ſecreto probarẽ, vt ſi quis in hac ſe exercuerit nobilitatem, quam illi maiores reliquiſſent, amittat, vobiſcum modeſtiſſime agerem. Cum igitur ſcias (vt opinor) excuſationes penitus ineptas eſſe, & mihi nunquam probatas, cur perſeueranter tibi perſuades, quas ad fratres das, mihi ſatis ex breuiſſima ad illos commendatione? Velles tu fortaſſe Manutiũ imitari, qui quando incidit in te, vel tu illum conuenis hoc genere incantationis, vel vt dicis perſuaſionis, tecum agit. Me Zauæ noſtro excuſato, in pręſentia illi non poſſum reſcribere, ex lõgis, magnisq; occupationibus me vndiq; vrgentibus, ſi potero quamprimum? Tu ne Manutius, qui vel ad nullos, vel ad ſummos tantũ viros ſcribere ſolet? Quare ſi vis excuſari ad me quãprimũ vel raptim longiſſimas literas dato. Nec mireris ſi cũ nullos veſtri ordinis enumerarem, peruerſo ordine id egerim. Quod ſi faceres magis ego mirarer, quando vos Manicatis, & Talaribus veſtibus inſigniti res ſordidas, & fœdas tractantes longe obſeruans intueor,

propter

propter quod non dubitauit Hippocrates, quem vos Medicorum Antiſtitem (& merito) appellatis, medicã artem ſordidã fateri, & ſcriptis cõteſtari, in numeroq; obſtetricũ medicos, quorum nec maior, quam illarum authoritas eſſet, reponere. Satis tecum iocatus ſum. Tiburtius tuus, idemque meus, quem quia omnium Brumanorum (fratres tuos dico) dulciſſimus, & elegantiſſimus eſt, plurimi facio; ſed caue ne hoc Chriſtophoro, Camillo, & reliquis ſcribas, non enim me amplius ad cęnam inuitarent, quo frequentiſſime accedo, habet enim Chriſtophorus ſemper aliqua opulenta à clientibus ſuis obſonia; ex tuarum proximarum appendice ſalutem dixit. Nos recte ſi tu pecunioſus. Breui (vt ſpero) ſudabit Mula. Ne credas me tecum ambitioſe agere, ſatis mihi factum putabo, ſi vnis binis meis reſponderis. Cæſarem Brumanum ſi commode poteris, verbis noſtris ſalutato. Quem tamen breui literis ſum viſurus. Vale Crem. III. Non. Iunij.

FRANCISCVS ZAVA Paulo Manutio. S. D.

Si nunc Tarteſius præceptor meus viueret, non dubitarem ab illo pecuniam repetere, vel ſi putarem eius filios mei amantiſſimos ad ſummam inopiam eius pecuniæ cauſa repetitæ, quam mercedis loco accepit peruenturos. Hic enim ſępe auribus noſtris inculcabat nullum diſcrimen perſonarum, quibuſcum ineas amicitiam. Illud animaduertendum aſſerebat mores, & ſtudia illius diligenter exquirenda cuius amicitiam exquiras. Antiquum enim familiæ genus nullis moribus in priſca diſciplina, & nobili retentis excultum

nihili prudentiſſimus ille faciebat. Diuites vero, & homines nulla virtute illuſtratos, Togatorum, & Prætextatorum antiqua probitate, & doctrina decoratorũ miniſtros repetebat, quod ex Platonis, & Socratis, huiusq; generis hominum prudentiſſimis decretis acceperat. Ego diſertiſſimi pręceptoris authoritate cõpulſus, non deſperans cõmertium vtrinq;, ſi non pari ſcientiarũ genere, quo facile patiar, me à te, & à multis alijs ſuperari, at morum non diſpari, in quo nec à te, nec ab vllo, qui fidem, conſtantiam, temperantiam, beneuolentiæ iura ſe & optime nouiſſe profiteatur, & ſeruare prædicet, nunquam me vinci ſinam, conflatum iri, quoties meas ad te dabam me toties tuas lecturum confidebam. At quas tu dederis, & quam breues non ignoras, & quas à me acceperis (vt puto) non te præterit. Nec credo id te dicturum. Non tu Hippolitus Eſtenſis, non Alphonſus Caraffa, non Rinutius Farneſius, qui poſſis nobis adeſſe. Verum, nec cuilibet datũ eſt corrinthum appellere. Caue Manuti ne Laidem fallas. Non omnes admittit. Mulierum præſtigias nedũ ſeditiones domeſticas, hinc excitatas bene noſti. Imprudens à cauſa noſtra diſcedebam. Tu ergo non ſcribis niſi ad fortunatos, & præpotentes viros? Sed quos nam quæſo tu fortunatos intelligis & admiraris? num ſolum qui regia tecta habitant? qui multos fundos poſſident? qui amęnis piſcinis fruuntur? qui latiſſimis longiſſimisq; inſulis imperant? Qui prata, & paſcua centenis riuis irrigata hora (vt ille) nõ ſperata adeunt? cernunt? tenent? quibus Decem millia Hs. ex cenſu ab aliquo perſoluuntur? Me imprudentem qui fortunatos illos ſolum crediderim, qui paruo cõtenti nullis cupiditatibus inſeruirent, nullius copijs fortunarum

captis

captis irretirentur, nullius fortunas concupiſcerent, nulli ſe premij expectatione, vel potius ſuſpiratione addicunt, & nobilitate animi demiſſa venditant, non qui amplis in Aulis vario auleo inſignitis, Emblemate vermiculato illuſtratis, & laquearibus, tabulatis, tectis auratis, foribus, & veſtibulis marmorijs, omni ędificio vmbraculis colluſtrato diſcumbunt, cęnant, triclinia frequentant, commode ambulant, vbi vaſa corinthia circunſpiciunt. Abacos delicate expoſitos vident, ſtragulas veſtes cōtemplantur, quam plurimis Mancipijs, Scribis, lictoribus, & accenſis imperant. Sed tu dices fortaſſe, hæc vt nimis antiqua obſoluerunt, & a noſtris contempta euanuerunt. Huius ſeculi ſplendidi Heroes huiuſmodi Philoſophos irrident, ſpernunt, & penitus effugiunt, magis probo quorum Philoſphia diuitias ſapit, coquinas munit, opes commendat, honores prędicat, miſeros, egenos, mendicos, abiectos miſereatur, humiles, & iacentes dolet, ſed nō erigit, tempori inſeruiendum, quando hæc in tempora ſuſpicioſiſſima, quibus non facile hominum ſenſus percipiuntur, quibus fortuna maxime dominatur, quibus nobilitas, & virtus diuitijs ſuccumbit, ignorantia diſſimulata, & bonitas ficta imprudentes allioquin bonos fallit, inciderimus. Præſens hæc hominum conditio longe aliā vitam, moresq; ab illa ſimplici, & candida priſcorum vita expoſtulat. Suppudet me in hunc locū deueniſſe, præſertim cum & ipſe hæc admirer, quibus res familiaris augetur, ornatur ſuppellectilē maiorem indies capit, & eorum miſereor quibus (vt inquit ille) verba ſunt ſine penu, & pecunijs. Dabo igitur & ipſe operam, vt eorum me aſſuefaciam philoſophiæ, quæ docet coquinas bene ſapere, & patres optime familiā

 alere,

alere, & veſtire, agricolas arare, operas terram fodere. Perge mi prudentiſſime Manuti, ſcribe frequenter ad illos vnde literæ non inanes, ſed pleniſſimæ redire poſſunt. Nam ſi ad me ſcribes nihil inanius, nulli n. qui philoſophiam veterem ſequuntur, ditant abunde eius ſectatores. Prudēter agemus ſi neq; nimis ſtudioſe neque nimis abiecte hanc vitam coluerimus, quo in genere præſens Philoſophia tota verſatur. Non te amplius ab hac frugifera meſſe (quā ita Dij me ament vberem, & copioſam tibi, vel potius vtriq; cupio.) reuocabo, & quod Sigiſmondus meus mihi tuo nomine, quod ſępius fecit, ſcribet duobus verſiculis binis & longiſſimis literis id me à te accepiſſe non negabo. Vale, & ſi me amas, quod te facere non diffido, ne Platonis iam obſoleta philoſophia, qua tamen ſcripta tua ſępenumero illuſtraſti, hac tēpeſtate hęc inſpergas, quæ fęlix, fauſta, fortunata in diuitijs, & opibus exultat in egeſtate, & miſeria tota iacet, nec vllius eloquentia erigi poteſt. Centies Vale ſapientiſsime Manuti, quando millies ſapis. Cremo. Non. Iunij.

FRANCISCVS ZAVA Sebaſtiano Regulo. S. D.

SESTERTIIS non minus duobus pridie cal. Iun. à publicanis tabellarijs literas tuas emi, mihi ſane iucundas, nec iis mihi quicquam charius. Illarum breuitas mihi ſummopere placuit, nec mihi pollicitationes tuæ, quamuis Cremonenſes ægre ferant iſtis diſtrahi diſplicuerunt. Verum nō ea cauſa ad te ſcripſeram, vt mihi de te noua promitteres, & ſponſores ad hęc mihi dares. Sciebam te meū eſſe, quod me impulit

vt ea à te quærerem, quibus vt ais non potes, vel quia non te recte habes, quod doleo, vel quia nimis occupatus, in quo tibi gratulor, reſpondere tamen te amicos habere, quibus ſecure poſſis, quæ à te peto explicanda comittere. Sed heus Regule ſic mecum agis? ſic tibi diſſimulandum putas? quo Dij boni cũ loqueris? credis mihi occultũ quod tu Bononiæ profiteris? non certe. Latiſſimus enim & fertiliſſimus multarum ſcientiarum campus tibi patet. Caue ne id ſciant fortunatiſſimi tua doctrina Bononienſes, qui te ob ſingulares virtutes tuas admirantur. Sed eſto quod tu ad me ſcribis, quod tamen mihi Cremonæ literas humaniores profitenti veriſimile non ſit, vis ne tu ideo hoc onus vni ex tuis amicis nomine meo imponi? non id credo. Nam ſi amicus ille in quo rei tantæ ſpem ponis, recuſaret, ego reprehenſione dignus, qui hoc probaſſem, nec tu hanc euitare poſſes, qui mea cauſa hoc petiuiſſes. ÆEque mihi carum eſt te exiſtimationi tuæ conſulere, ac meæ, in quod vt enixe incumbas te horton. Sed hoc miſſo cur in ſcribendo non imitaris Bononienſium liberalitate? cur Sigonium tuũ, vel potius noſtrum non æmularis? tanti paginam facis, vt malis pagella ſciſſa ad me ſcribere, quam integra? quid ſi Bononiam veniam, iſtius vrbis ampliſſimæ, & nobiliſſimæ viſendæ gratia, & hoc ab aliquo amico vtriuſque tibi renunciabitur, nũ tu ſtatim nuntio accepto venies, & me domũ tuam inuitans veſtes ſcindes? Quid mei Cremonẽſes, ſi domũ ſciſſa veſte redirem, quando ipſi ex hoſtibus Aquilas integras referunt, & magnis Dijs opima ſpolia, manubiasq; incolumes deuotas ferunt? Tecum libenter mi Regule præter Cremonenſium morem, qui ſerio agunt, iocor. Mallem tamen literas

tias pleniores. Vt amice tecum agam non probo laconiſmum hoc tuum, ſi neſcis quid ſcribas, quod non credo, natura n. tibi ea largita eſt, quibus argumenti nunquam inops eſſe poſſis; ſcribe quid agant Cremonenſes noſtri, qui te vt audio ſępe viſunt, quid ex eorũ oratione de ijs ſperes, quid ex eorũ indole ſpei capias, quid ex fiorum ingreſſu, & ambulationibus quando tecum ſermocinantur futuri m obſerues. Ex ijs enim ſępenumero depræhendimus, quales illos habituri ſimus. Scribe quoq; quid Simon noſter agat. Hoc à te peto, ne tantopere parſimoniam, & frugalitatem illam antiquam admireris. Sic.n. facilius à me impetrabis, vt te multis, & nobilibus comitatus viſam. Vale mi Regule, & mihi in amore reſponde, vnice.n. à me amaris. Cremona Non. Iunij.

FRANCISCVS ZAVA
Franciſco Cæſarino. S. P. D.

Hercvles Marchius me ſibi multis rebus ante deuinxerat, nec illis leuibus, nec caducis, quas vulgus imprimis ſuſpicit, & habet, ſed illis, quæ nulla fortuna licet aduerſa obliterantur, modeſtia videlicet, & temperantia, morumq; manſuetudine, & facilitate cum ſingulari verecundia, & obedientia coniuncta, quas animi ægregias dotes cum primum hunc cognoui, effecit, vt nunquam in hoc deſiderarem, ſed potius vt mirarer, & illum multis imitandum proponerem, qui non ea morum elegantia in ſenſuum regione continerentur, vt ſolet in magna iuuenum frequentia euenire. At hunc me ita ſibi denuo obligauit, vt non alio officij genere huic reſpõdere plene, cumulateq; poſſe videar,

quam illo, quo antiquiſſimis amicis gratiam referre ſoleo, vt illum omni beneuolentia complectar. Hic ergo vt mei amantiſſimus, & quæ à me puer accepit maxime memor, me quo die Cremonã venit, viſitauit, & Galeacij patris ſui viri clariſſimi nomine, plurimam ſalutem mihi dixit, mox triduo, aut ad ſummum quatriduo, ſe Mediolanum reuerſurum, vt ſi cũ amicis literis loqui vellem, id agerem, ſcribendi nactus occaſionem, ſi vlla tamen vnquam eſt ſedate ſcribendi humaniores literas tractantibus, & in iiſdem varij, multiplicisque ingenij iuuentutem exercentibus, munus reddendarũ literarum ſe ſtudioſe, & amanter præſtiturum dixit. Nihil tum dixi quod in præſentia ſcribam habeo. Idem pridie quam diſcederet ad me rediit, eandem orationẽ renouauit. Cui reſpondi nihil mihi charius fore, quam ſi te conueniſſet, & verbis meis te plurimum ſaluere iuſſiſſet. Id & ſi diligenter ſe effecturum pollicitus eſt, ei tamen has tibi perferendas arbitratus ſum dare, ex quibus tu de ſtatu noſtro aliquid cognoſceres, quod tibi non minus gratum fore ſperabam, quam mihi eſt de tuo quæ opto, & cupio audire. Quando tibi quæq; optatiſſima ſemper precatus ſum. Nos igitur valemus, eaſdem muſas excolentes, quibus cum mediolani tecũ eſſem, & vna domi tuæ deambularem nihil iucundius me dixi habere, nec quamuis mihi in patria non ſatis gratæ, illarũ tamen ſolatium vllum ſalubrius reperire. Quamobrem quicquid ocij mihi ab eruditione diſcipulorum meorum ſupereſt, id totum in harum ſuauiſſimis ſtudijs ponere. Quod quanta animi delectatione faciam, dicendo nec ipſe aſſequor, nec explicando tu ipſe cognoſcere potes, ea tamen eſt, quæ me totum recreat, & à labore reficit. Quo ſtudio volui, & rurſus

tentare ſi poſſem ea conſequi, quibus amicos de me aliquando optime meritos vt munere quam ſimillimo remunerari poſſem. Huius noſtri ſtudij, & tu breui particeps eris. Epiſtolarum enim octo libri, quas ad diuerſos amicos, diuerſis temporibus dedimus imprimuntur, & vna quatuor Orationes cũ amplius duobus millibus carminum. Hæc cum legeris, quid ſentias omni adulatione ſublata ad me ſcribes, quod mihi perſuadeo te amiciſſime facturum, quando optime noſti, amicorũ res non blanditijs, & aſſentationibus, quibus nulla peſtis capitalior inter eos, qui ſanctiſſimo amicitiæ vinculo copulati ſunt, poſſit, eſſe diiudicandas. De ſtatu noſtro, quæ putaui tibi cognoſcenda, vt eorum quibus de corã familiariter egimus aliquam particulam ijs quas Marchius reddet acciperes. A te peterem vt tu quoq; de rerum tuarum ſtatu aliquid, vel potius pleniſſime ad nos reſcriberes, niſi Nicolaus Sfondratus Diœceſeos vniuerſæ Cremonenſis rector, & diligentiſſimus conſeruator mihi in earum rerum, quæ ad decorum, exiſtimationemq; tuam ſpectant, & rei familiaris ornamentum pertinent, expoſitione ita ſatisfeciſſet, vt mihi nil amplius ab vllo, vel diligentiſſimo, & vt inquit ille oculiſſimo tuo OEconomico quærendum ſit. Ad te iſtius vrbis primarios, & maxime copioſos iuuenes confluere, qui ad minus amplius quinquaginta ſextertios primo quoq; menſe, tanquam regium vectigal tibi penſitant. Nec id te à paucis ſed à quampluribus exigere frequentabat. Et hoc eo ardentiori animo dicebat, quia ſciebat quam miſera eorum conditio, qui mercede Cremonæ docerent, quorum tñ in docendo incredibilis, atq; admirabilis, valdeq; fructuoſus labor eſſet. Ea eſt hac in re diſpicientia, & laboris (patere

quæſo

quæſo mei decurpiſto modo loqui) contempto, vt, cum ipſe hoc enarrando indignaretur, quippe qui non ignorat quanti ſit virtus, ego ſcribendo erubeſcam. Præterea te omnibus chariſſimum eſſe, & quod à Deo optandum eſt, te bonum virum, quod illum maxime decet, quibus adoleſcentes literis erudiendi, & moribus poliendi traduntur. Et quod in tribus bonis Plato enumerabat, te bene valentem, & firmum eſſe dicebat. Omnia facile agnoſcere potuit: è regione enim huius ędiũ nobiliſſima exercitatione Mediolanenſem iuuentutem erudis, ornas, & illuſtras. Vox tua diſertiſſima, & clariſſima ad huius aures dum in explicatione rerũ arduarum, & illuſtrium illo cum chariſſimo fratre cõmorante verſaris, deferri poterat, reliqua à germano audire. Quo mihi hæc explicante in cętu multorum nobilium, dici non poteſt quanta lętitia talem, tantũq; virum audiendo, tunc afficerer, cũ huius recordatione indies maiori gaudio cumulor. Ij ſint fœcundiſſimi agri tui, quos ijs aureis fontibus irriges. Hæc ſint nobiliſſima tua tecta, vbi illa ſpargas & diſſemines, quæ in hominum ſempiternam memoriam propagentur. Vtinam huiuſmodi arboris ſurculos aliquot haberem, quos in hortulo meo ſererem. Mihi enim non diffiderem illos fructus inde mihi caſuros, quibus elegantiſſimæ bibliothecam meam adornarem, quos vt deliacam, & corinthiam ſuppellectilem admirarer, & fortaſſe vt elegantiores illi longe preferrem. Verum quorſum hæc? vt ſciãs me tibi gratulari, & Deos precari, vt hæc tibi incolumnia ſeruent, & fortunẽt, noſq; aliquando tuis literis viſas, quod mihi quo tempore vna eramus te facturum non rogatus dixiſti. Breues tu has fortaſſe dices, ego breuiſſimas, ſi putares mihi

eà cauſâ ſcriptas, vt ea exponerem, quæ tibi Deorum ſuffragio contigerunt, & tibi longo, dulciq́ue labore peperiſti, at longiſſimas ſi vtriuſq; occupationes reſpexeris. Nam & ſi mihi pari fertilitate non reſpondent, tuis tamen (mihi crede) non ſunt minores. Vale, & me ama. Crem. pridie Non. Iunij.

FRANCISCVS ZAVA
Petro Prando. S. P. D.

NESCIO mi Prande quo fato, bono tamen vnæ ex tuis doctiſſimis, politiſſimisq; & amoris plenis literis in noſtras, quæ impreſſæ & Typis iam exſcriptæ ſunt, irrepſerint. Quas cum vidi vna cum meis conglutinatas, & inſertas maximopere lętatus ſum. Rem Gonſagæ noſtro enarraui, eidemq; mandaui vt te quamprimum huius mihi gratiſſimæ coniunctionis, & *inſitionis* admoneret. Quam elegantiſsimã Epiſtolam ſi patiere, vna cum noſtris in lucem venire, propediem illam videbis. Id vt facias te tantum rogo, quantum amicitia noſtra, vt id agam patitur. Hoc ſi arbitrio, & voluntati noſtræ condonaueris, me tui in nos amoris maximum pignus habere non negabo. Sin animi tui à deſiderio noſtro, (quod non credo) voluntas aliena eſt, à loco ſuo, vbi concinne poſita eſt, eam inuitus amouebo. Quod ſi permittes (caue tamen ne id agas) & tui te non amantem oſtendes, & rerum tuarum te negligentem ſignificabis, meq; tibi non charum literis tuis teſtatum fuiſſe declarabis. Vide mi doctiſsime Prande quo te iniuriæ genere obſtrinxeris. Tibi non amicus, pulcherrimi animi tui fœtus expugnator, & hoſtis, mihi non ſatis beneuolus. Si tu hanc domeſti-

 cam

cam diſcordiam (quod nollem) quæris non me huic contentioni opponam. Si probas hoc modo filios beneuolentia paterna exhęredandos non intercedam. Si tibi deniq; cum his digladiandum putas,ne tibi perſuadeas me euocandum , qui me vobis certantibus interponam ! Quod meum eſt id tibi, vel nullis teſtibus deſpondeo . Tibi nunquam,quod tuum ſciam eripiam. Quid agam neſcio . Hoc maxime ſcio . Si vis vt inſitã literis hanc germanam ſocietatem alio transferam, tibi ſubtriſtis parebo, ſed hac imprimis pactione, conuento, & ſtipulatione, vt mihi diſſoluas quinquaginta Seſtertios, pro illius pagellæ, vnde euelletur, recuncilianda gratia . Vtrum mauis ad nos ſcribito , & ſi me amas , quod vtriuſq; exiſtimationi conducere animaduertis, mihi concedito . Si te amas, ſi Gogauam omni doctrina illuſtratum,omni humanitate inſignitũ, procul à vulgi ambitione ſemotum,omnibus bonis deſideratum, nõ minus honeſte lachrymis decoraſti, quã Heroides,Troianíq; Heroes ſuum Hectorem,Achilles ſuum Patroclum , vniuerſa Græcia Achillem, Syracuſani Theocritum , & Archimedem , Cremonenſes Vidam,& reliquas ſuas delicias decorarunt . Si hunc nõ minus Veſpaſianus fecit quam Scipio Ennium , Lelius Terentium , Lucullus Archiam ſuum , quod à te peto concedes , vt & hoc Gogauæ noſtro , quem licet nunquam de facie nouerim illum tamen , & virtutis , & morum nomine, vt per te cognoui , plurimum amaui, tribuas velim . Nec credam illum,licet cęleſtia magis quam humana ſuſpiceret , quod à te petimus aſpernaturum . Cui tantum te debere , & merito, fateris (ab hoc enim maximis ſcientijs nobilitatus, quod literis ad amicos tęſtari ſummæ tibi laudi fore non dubitas,

fuiſti.

ſuiſti) vt omnibus amicis, affinibus, cognatis, & amoris officio, & ſcientiarum omnium genere hunc ipſum doctiſsimo tuo præconio dudum nobis audito præponendum & cenſeas, & teſteris. Id potius probarem, vt quas miſiſti ad Aurelium Caleffum Sablonetæ ludi magiſtrum, & alia quæ in Gogauam, & cum à te aulſus in Hiſpaniam profecturus, & poſt eius in Cælum diſceſſum maxima ſolertia, & ingenij diligentia meditatus ſcripſiſti ad nos ſtatim ab his lectis mitteres. Si tibi gratum eſt, vt nos dum funere efferetur Regem ipſum, & eius prætoriam cohortem, reliquumq; nobiliſsimũ comitatum in oĩbus literatis Gogauæ funeris luctuoſi exequijs videre, vt funebres Tibicines ad eaſdem concinentes præteream; & multa alia in eadem Epiſtola doctiſsime à te ſcripta omittam. Id primo quoq; tempore nobis dato. Vide quid egerim, qui cum dubitarim ne vnam è tuis à me repetas, alteram à te efflagitem. Vale & me ama, qui te in amando ſemper imitabor, cetera ſi non aſſequar nõ deſinam tamen tecum familiariter omnia agere. Cremo. Tertio cal. Quint.

FRANCISCVS ZAVA
Bartholomæo Pozzallo. S. P. D.

PVLCHRAM mehercle occaſionem ad me literas exarandi nactus es mi dulciſsime Pozzalle, quam (ſic me amas) vtinam mihi probares. E quo nam meorum ſermonum accepiſti, his ſatis eſſe, qui amicos multis, maximisq; nullam vim, nullam tempeſtatem, nullam calamitatem, nullum naufragium, nec denique ipſius minas, & fulmen Iouis paſſuris beneficijs cumularunt, illuſtrarunt, in maxime conſpicuo loco poſuerunt, ſi

duobus

duobus verſiculis gratię ijs actæ fuerint? Si huiuſmodi meritorum, & liberalitatis pignoribus tam breui, & tenui referendæ gratiæ ſignificatione ampliſsime, & vſq; quaq; ſatisfit, non ſatis mihi caui cum ijs, à quibus nec tam copioſis (vt opinor) muneribus ornabar, vel potius onerabar, quando cũ illis verbis non inanibus, ſed frugiferis, & pleniſſimis, maximeq; oneroſis rebus mihi agendum dies, noctesq; mecum reputabam. Fallebam enim ſępenumero meum villicum, ſurripiebam abſente nouerca, quæ mihi probabantur, patre conniuente penũ defraudabam, quo tamen dulciſſimo furto maiorũ meorũ antiquũ fundũ nõ exhauriebã, nec id magni feciſſem, vt pręceptores meos, quibus omnia debebã leui munuſculo remunerarer. Hui ergo me furtis aſſuefacis, dices? ſi mecum ſic ages, illũ tecũ diſceptare (hominẽ noſti) cogam, vt à quibus docendi gratia à Cremonẽſibus pſertim & Caſalẽſibus opulẽtiſſimis, & liberaliſſimis, vt ex te audiui iam multos annos pecuniam accepiſti reddas. Dij boni qui ſtimuli ſunt iſti? quæ dicæ, hoc certe aliud eſt, quam audire ranas coaxare, & hoc grauius mihi eſſet, quam ſi mihi denuo Calepino, & Mario interdiceret, cui nunquam interdixi Valla, Priſciano, Diomede, & Guarrino, nec Perotto, reliquaq; nimis ſuperſtitioſa, & contentioſa turba, litigioſaq; niſi mauis tu Grammaticorum veſano grege ad venerandam priſcarum vrbium antiquitatem indagandam, illamq; è ſuperioribus, & tenebricoſis ſeculis eruendam, nobilioriq; memoria ad quorundam mentis, & animi horribilem cæcitatem demonſtrandam, & ſi fieri poſſet illuſtrandam in hodiernam lucem repetendam, & dicendi nobiliori ſtylo reuocandam. Id & mihi multo moleſtius, quam ſi dentatã chartã nõ

morſu impreſſam, ſed leuigatam, quam interpretationem nunquam probaui(vt à me ſępe audiſti è ſuperiori loco varias opiniones explicante) licet ſit cuiuſdam mei amiciſſimi, quem honoris gratia nunc taceo. Mallo enim cõmune iudicatum, id quoq; verbis Tullij expoſcentibus, quam vnius omnibus refragantis nouã interpretationem ſequi. Neq; hoc cadit in eam diſputationem ſint ne Municipes, qui aliorum legibus vtuntur, qui quod ſuum ius ſit propriũ, & cõmune neſciunt; quorum conuenticula, & cœtus ex Proletariorum, & capiticenſorum, Pileatorumq; maiori parte conſtat, & qui in aliena ditione continentur, aliorũq; imperio coercentur, & viuunt. Nec id eo cadit, ſint ne eius ciuitatis amplius ciues, qui poſtliminij iure frui non poſſint, amiſſa iam ciuitate in quam venerant, tum ciuium lege, tum dicandorum, & aſciſſendorum voluntate. Mihi reddendam pecuniam, à quibus accepi, quid aliud eſſet, quam totam rem meam, illius temerario conſilio, qui hoc diſputandi genere infatuare docuit, negligere? Alios infatuet, me nunquam hac noua & callida ſtultitia infatuabit. Ad te hoc ridiculo Dialectico neglecto reuertor. Furti nomen igitur perhorreſcis? quid aſperitatis eſt in hoc pecunioſo, & magnifico nomine? quid imanitatis? quid potius nõ ſuauitatis, & manſuetudinis? Perhonorificum enim eſt & celebre hoc nomen. Perſæ, qui fere cum omnium rerum natura orti ſunt lege ſanxerunt, quanto quis in furtis cautior, & prẹſtantior, inſigniorq; tanto maiori prẹmio & laude dignior haberetur, & qui rapto vitam propagarent, illos Cardaces, ideſt bellicoſos, & fortes idiomate Perſico appellari voluerunt. Quod aperte Pauſanias, & Ammonius teſtantur. Nec Aelij Dionyſij

inter-

interpretationem admittimus, qui Cardaces impios interpretatur. Pluris .n. facio Ammonij, & Pauſaniæ authoritatē, quàm mille Dionyſios Venereos. Scythas taceo, Aegyptios prætereo; homines in rerum humanarum, & diuinarum ſolertia, maxime commendatos, qui tamen furta concedebant. Nec Lacedemonios quorum republica nihil ſanctius, legibus nihil laudabilius, nec moribus quicquam cōmendatius huc reuocandos cenſeo, qui tamen furta è nobiliſſima ſua republica non exterminarunt, nec inuenta punierunt. Hos tu vt longe à nobis remotos non fortaſſe probas. Sed quid de antiquis Italiæ populis legimus? Nonne inter heroum præclara, & egregia facinora furtum habebant? Vnde illud maximi; & huius patriæ nobiliſſimi alumni Poetæ vulgatiſſimum.

Caniciem galea premimus, ſemperq́; recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.

Quid nunc ais? hoc fiebat in Italia, & in nobiliſſimis, illuſtriſſimisq́; locis. Ad quorū immitationem annis ſuperioribus multi viriati hic exorti fuerant, & ingenti preda onuſti egregio apparatu inter nobiliſſimos viros enumerabantur. Finem taceo ne mea argumentatio hac complexione diſſoluatur. Times tu ergo fortaſſe Platonis ad puniendos fures leges ſcriptas. Audi nō eſt vt has putes timendas, iam enim abolueruntur, & antiquatæ ſunt. Vis argumentemur quo modo adoleſcentes noſtri ſępenumero ſolent à maiori? vt video probas. Si ea quis impune furatur, quæ ſunt animi, & aliorum præclara inuenta ſuis (vt inquit ille) cacatis chartis inſerit, nec furti decurionū (Draconis legibus iampridem deletis) leges non timuit, quid nos timebimus ea accipere, quæ ſunt corporis, pro quo alendo,

 veſtiendo,

veſtiendo, ornando, fouendo nulli parcimus labori? Vt video mecum furtum probas. Sed quid fureris neſcis. Accipe: Sunt Pulli Gallinacci, ſunt & Columbini, caue hic intelligas Metamorphoſim illam noſtrã ex poculo Circeo. His mihi gratificare, quando nullus pręter te domi eſt. Rides? Ego tecũ quoq; rideo, nec poſſum nunc riſus cõtinere. Hæc ruri naſcuntur. Hæc in vrbe comeduntur. Videor tecum ridere, ne anideridear, ea mecum vtere liberalitate, quæ mihi cum proſit tibi, nec alijs obſit, nihil quod ad facultates tuas amplificandas, nunquam probarem diminuendas ſit, à te expecto. Si in beneficientia delectum putas dignitatis quærendum eſſe, ad quem potiſſimum cenſes modeſtiæ regulam referendam, te rogo, vt quamprimum mihi gratias referas. Sed heus Bartholomæe omiſſis tandem iocis, quibus ſcis me adeo oblectari, vt hec torculari pepercerim, quo egregiam, & amplam (vt nunc loquimur) aulam haberem, ad eorum fatuitatem deridendam, qui mihi hoc vt extremum dedecus obijciebant, tanquam ſi illud demolitus non fuiſſem, Eculeus mihi defuturus eſſet, quo illos torquerem, quid te impulit, vt ad me ſcribas, te nihil magis deſyderare, quam mecum eſſe? Solæ ne lectiones noſtræ, quod tu ſignificare videris, an potius reliquorum ſociorum diſertiſſimi, & ſuauiſſimi colloquij fruendi deſyderium? Scito hanc nobis, & te videndi communem eſſe concertationem. Quam gratiſsimas, & iucundiſsimas mihi tuas extitiſſe ſcriberem, niſi timerem me nomine adulationis, à quo vitio (quod ſcis) ſemper alieniſsimus fui, fore tibi ſuſpectum. Nam ſi cauſas huius rei (quod fieri ſolet) vt tibi Problematum rationis non experti minime obſcurum eſt, quæreres, vellem, nollemq;

lemq; reſpóderem, quia ijs nihil doctius, nihil elegantius, nihil humanius, & prudentius, taceo quia tuæ ſunt quod parui facerem, ad iudicandi ſimplicem, & germanam veritatem, qua nihil in diſputationibus noſtris caſtius, fidelius, & quod magis ſeruemus. Quam nec ignoramus à grauiſsimis Philoſophis, & cibum animi appellari, & ſapientiæ familiarem dici. Cuiusque ad perſuadendum magnam vim ex peruerſo mendacum ingenio, & conſuetudine quotidie magis experimur. Illas igitur libenter legimus, & vt libentius legamus expectationem noſtram quo vis munere (ranas tibi reſeruato) quarũ coaxatione nihil moleſtius fero, præcurre. Quod ſi grauaris facere id mandato Petro Bergamino tui ſtudioſo, & mei amantiſſimo. Vide quanti ſales tuos, quibus nihil ſalſius, faciam, qui cum tecum iocari coram non poſſim abſens id effingam. Te, & Bergaminum comitem in vrbem ad literas inuitarem, Sed vrbe quid triſtius? mœſtius, & nunc deformoſius? rure vero quid lętius, quid hilarius, quid pulchrius, & amęnius, quidúe amabilius? Literis nunc nihil inſuauius, nihil deſertius. Tu nos potius in villam tuam inuitato, vbi per amœna ſalicta errantes, illud comentemur, quo animum defeſſum recreemus. Vt puto pleniſſimam ex centeſima literarum tuarum verſura ad ſingulos menſes, quibus à nobis abes, & tuas literas accepimus, ſolutionem habes. Eorum, qui mecum in iiſdem ſtudijs verſantur nemo eſt, qui te non plurimi faciat, & amorem tuum amet, tibique in beneuolentia ita non reſpondeat, vt te eorum quiſque in oculis non ferat. Vale, & nos literis tuis, cum per ocium libuerit, viſe, tu Petro Bergamino verbis noſtris plurimam ſalutem dicas velim. Te nobiliſſimi noſtri

Heroes

Heroes Vailati, Somẽtij, Villæ, Scalui, Góſagæ omnes ſalutant. Vale Cremona V I I. calend. Quintilis.

FRANCISCVS ZAVA

Inuidiæ perpetuam quietem D.

Ego longiſſimas regiones peragrare non dubitaui, nobiliſſimas nationes adire non veritus ſum, quodq; genus animalium ſecare nõ timui, ſumma, & profunda quoq; petere non horrui, vt vbi nam gentium eſſes non ignorarem, tuamq; originem penitus cognoſcerem. Volebam enim te propius intueri, pallorem in ore qualem tradunt Poetæ inſpicere, maciem in corpore cõſiderare, liuidos dẽtes examinare, fel ę pectore prorumpens deguſtare, ſuffuſam veneno linguam tangere, riſus ex alieni boni dolore Phyſicorum ratione ſeruare, & diligentius notare. Cum ab Aegyptijs de te quærerem illud reſponderunt, Scytha Aegyptio nõ inuidet. Quo dicto admonebar non tam longe huc inuidiam profectam fuiſſe. Neq; te in vllius rationis expertis animalis pectore inueniebã. Et te oĩum ore tamen eſſe cõperiebã. In ſolo homine mihi cõuenit cũ maximis, & doctiſsimis viris, te interiores tuos dolores munire. Cumq; interius progrederer illam cauſam tantæ ſolicitudinis inueniebã, te dies, noctesq; excruciari, quod aliorum regnis, potentiæ, diuitijs, virtuti, honoribus, fortitudini, dignitati, & corporis formæ æquare non poſſes. Ex quo conijciebam te his, qui hæc poſſiderent longe inferiorem. Quam rem cum mecum accurate conſiderarem. Hęc potius ſibi, quam alijs nocet, dicebam. Nam cum tuum ex ſingulis liniamentis ſimulacrum conſiderarem, & animo luſtrarem,

nullam

nullum genus teli in manibus tuis videbam, inanem te amicis, pecuniaq; conſpiciebam, nullo pręſidio munitam attēdebam. Omniū rerum inopia oppreſſam animaduertebam, te nihil ſpoliatius, nihil egentius, nihil miſerius, nilq; magis calamitoſum perſpiciebam. Hui tum dicebam, nam te hic ſentam ſqualidam, ægram, pannis, annisque (vt ait ille) obſitam, & miſere, hic iacentem (nuſquam n. alibi gentium te inueni) tantæ ne tu audaciæ, quæ potētiſſimos Reges ex auito regno expellere, ſummos Magiſtratus ex eburneo Tribunali deijcere, reliquos ex ſubſellijs diſturbare, & pręcipites nimis ſuperbe dare, fortunatis inſidiari, bene valentes præſtigijs fallere, quos velis deformare audeas? Vt tecum amice agam, te nunquam timui; tuos potius tumultus omni bili amota inanes, imprudentiamq; tuam ad laterum diſſolutionem riſi. Illud enim me legiſſe memineram, te non in longinquos, ſed in proximos, & te pręſtantiores dentes acuere, & in te morſus omnes redire. Neque illos probo, qui tibi tanquam vni è Gorgonibus, hoc dederint, qui ſolo aſpectu noceas. Quoties enim tu me irata aſpexiſti, & victam te fugere coegi? in quas latebras te cōpuli? Quoties dixiſti dolēo me huic hoſtem ſignificaſſe? Hic enim ille eſt, qui reguli patientiam ſuperat, qui Socrate fortior non ab animi conſtantia deijcitur, qui omnes eos ſtultos putat, qui nō viriliter, & animo viro digno non euertant fallacias, quas in ipſos ſtruxeram. Valde crede mihi fallebaris quando in nos emittebas cum tu à me ſępe numero euicta iaceres, neſcio quos tuos ſatellites, quos vt ſcis & ſatis facete, & ridiculoſe emiſimus. Nec tamen credo illos fortunæ ſuæ pœnitere, habent enim vnde ſordes abluere poſſint,

& ij nunc te inteſtino odio proſequntur, quos do operam vt tibi recunciliem,& vt ſpero breui tecum in gratiam redibunt. Illud prçterea in te fçtidum cernebam, nullum in oculis tuis ſtabilem colorem,& quod magis dolebam, hoc tandem è te euenire multorum tum eorum qui ſunt, tum qui varijs temporibus, & varijs in locis vixerunt, vel potius omni ſolatio, & voluptate ſpoliati,& orbati miſere, infeliciter, calamitoſe vitam propagarunt exemplo obſeruabam, quos tu veneno tuo inſperſiſſes eoſdem omnes quoad vixerint infeliciſſimos fuiſſe, & quod grauius eſt illos apud inferos vbi ijs eſt perpetuum ſtabulum, manu carnificis verberari, torqueri, & omnino exoſſari. Nec tibi vllum patronum, quippe cui in viuis omnibus ſacris interdictum fuiſſet quando proximorũ aduerſis lætabantur, ſecundis, & proſperis qui te ſectantur triſtabantur, illic dari videbam. Neq; illis aſſentiebar, qui paulo ante Socratem natum dicerent, nomen tuum auditum fuiſſe. Eorum ſubſcribebam ſententiæ, qui te furiarum primã in terris viſam ſcriptum reliquerunt, quæ nec manus Diuis prius inijcere dubitaris, vnde in vltima, infimaq; terrarum loca te Dij omnes communi conſenſu præcipitarunt, apertiſſime memorant. Illud quoq; admirabar te nõ poſſe omniũ malis ſatiari omninoq; expleri, nec vllius fçlicitate à propoſito deterreri. Malùm iterabam quæ beſtia hac truculentior? quæ peſtis capitalior? Nec tamen vnquam tibi iraſcebar, tuæ potius ſtultitiæ miſerebar. Themiſtoclisq; reſpõſum maxime laudabam, qui cum admodum adoleſcens eſſet, cum ei diceretur nihil ſplendidũ eiusq; indolis expectatione dignum feciſſe, dixit id verum, quia inuidos adhuc nullos inueni. Vide hoc prudentiſsimo iuuenis reſponſo,

quibus

quibus noceas, illis ne, qui iter ad pręclara facta, & gloriam affectant, an tibi? Iuuenes non dubitarit decertare, & tecum confligere, & qui tua ſpicula retuderunt, tela fregerunt, proſtrauerunt, teq; peſſundederunt te vnquam verebuntur, & extimeſcent? Ne hoc ſperes quæſo, niſi qui te ſemper exoſculatus ſum, & amaui; vis vt nouam bilim in te acuam, armem, & cominus vulnerē quod certe inuitus, & niſi ſummo dolore coactus facerem, ne Iuriſconſultorum traditiones, & ad hoc decreta ſcripta negligere viderer, quos vt iuſtitiæ, exiſtimationis, dignitatisq; ſummos patronos diligo, veneror, colo, obſeruo, & aſſurgo. Ij .n. prudentiſſimè cauerūt, ne legitimus in certamē à notho, licet prouocatus veniret, tāetſi eorū legū verēdarū ſanctiones multi certandi cauſa diſtorſerint. Quod & Achilles à quo ſingularis pugnæ fere leges profectæ fuerunt, apud Homerum, cuius rei puto te, vt præclarorum operum oculatiſſimam ſpeculatricem non ignaram, cognouit, quando vulnus animi ſui poſteris aperiens, & lachrymabundus mortalibus patefaciens ingentes dolores ſuos dolebat, cum à Paride quo cum nulla in parte conferendus erat incaute occiſus fuit, manu Hectoris non mortem oppetijſſe. Non te amplius laceſſo dicis, ſat te bonum, & ſtrenuum ducem cognoui, periculo honoris mei, vel vt verius dicam vitæ meæ, & bellatorem non impigrum experta ſum, quo tempore multorum ſolus Gymnaſiarchiam Harpagonibus, alijsque quàm plurimis bellicis inſtrumentis demoliebaris, & in ſummam deſperationem illius vigilantiſſimos, & bellicoſiſſimos pręfectos adducebas, nec ſigno dato in fugam conuertebas. Non poſſum non admirari, quando recordor te ſolum tot, tantasq; pugnas ſuſti-

nuiſſe, & te oẽs impetus meorũ apparitorum tui animi ĩcredibili robore nõ deriſiſſe tñ, ſed eos oĩo fregiſſe, diſſipaſſe, ꝑdidiſſe. Sed hæc mittamus, nec Pallamedẽ, aliosq́; innumeros dolo tuo è medio ſublatos, huc adducamus, ſcis te Corũ appellatã (doleo id me nũq poſſe Grecæ ſcribere) impedior enim inopia mei librarioli, cui deſunt literæ, quibus Elephas ſcribat. Celtica Spolia Dicaui) tecũ n. alio ſermone loquerer: Scias tñ te totã liuidam ab illo, quẽ ſcis, pręſtanti Poeta notari. Quid? te ne ſoli poetæ, oratores, philoſophi in iudiciũ vocarunt, dicamq́; vbiq; locorum ſcripſerunt, an & qui ſordidas artes tractant? Legiſti ne è fornacibus Cyclopum quædam Baſcania dependiſſe, quibus te deridebant, quod viſa oculorum acie corrumperes, & enecares? Quam omnibus nota ſis vides me nõ ignorare, ne tamen putes victoriæ adeptæ immemorem eſſe, me tibi polliceor duo ampliſſima ædificia erecturũ, vnum cis Padum, alterum trans; iacta ſunt iam fundamenta, & vt credo illic non temulentorum, Grãmaticorum ue amplius voce aures tuæ perſonabunt. Ne opus iam cœptum intermittam me aliquando viſe nunquam. n. à me non conſulta abibis. Vale, & elabora vt multos inimicos habeas. Cremon. III. Calen. Quint.

FRANCISCVS ZAVA
Cæſari Dulcio. S. P. D.

CVM multis ante rebus mihi compertum fuit, à te non diligi tantum, verùm & amari, quod quanto diligentius, & humanius faciebas, id tanto mihi charius erat, tum vero h V. cal. Quint. id manifeſtius cognoui, qui non contentus mihi nomine tuo à multis vtriuſque

amicil-

amiciſſimis ſalutem dici, cum recta ad tuos in patriam redires, relictis omnibus qui tecum erant me coram ſalutaſti, & plenius quod multis ante mandaras egiſti. Qua tua ſalutatione nihil dulcius, nihil amantius audire poteram. Te enim videre cupiebam, cum vna vtrique noſtrum Soncini profectione, quo tempore te nobiſcum iunxiſti nō tandiu licuerit eſſe dum Paulum Oroſium euolueremus, Liuiū explicaremus, antiquos annales excuteremus, obſeruationes & Capitolina Scholia vt ſtudioſe inceperamus, elimaremus. Vix tēporis puncto, & dimidiæ deabulationis ſpatio mecū eſſe potuiſti, quo tū breui tempore à me petiſti vt vnus ad te reliquis, (audiueras .n. quædam noſtra ad quam plurimos amicos ſcripta imprimi, & ijs fere extremam manum iam impoſitam) adiungerem. Dixi me id libentiſſime, licet omnia cū inuidia concluſiſſem facturum. Nec deſyderium hoc tuum exiſtimaui obliuioni tradendum, ne putares te à nobis, cum abeſſes, non tanti fieri, quanti ſemper ex vultu, & oratione re ipſa accedente preſens à me fieri ſępius, quam hic exponi oporteat animaduertiſti. Has ergo damus quas quoties leges ſi me talem exiſtimabis, qualem in ſermonibus ſemper expertus fuiſti meam Orationem te coram audire tibi perſuadebis. Hæc igitur accipe, & imis ſenſibus include, quando tecum amice, & grauiter agendū cū ex mutua amicitia, tum ex dignitate, quam ſuſtines, qua Deus in terris nullam maiorem reliquit, nullam venerabiliorē hominibus propoſuit, ad quam (quod ſępe facio) quoties mentem verto, toties tot Dij in Cœlo vitam degentes mihi ad Dei optimi, maximiq; nutum in recta actione, & meditatione conſiſtentes occurrunt, quot cuiuſque generis ſacerdotes

 nobiſcum

nobiſcum viuunt. Hic habitus venerabilem maieſtatem refert, celeſtem chorum repreſentat, antiquorum patrum caſtitatem refert, morum integritatem & vitæ ſanctitatem promittit, mentem ad priſcam religionem allicit, ad Deum erigit, ad humanæ ſalutis vnicum Dei filium, ſolum autorem, & ſeruatorem reuocat. Hæc animo, & mente, fixaq; cogitatione diu, & multũ mecum tracto, & repeto. Quam continens, quam temperans, quam caſtus, quam moderatus, quam minime ambitioſus, quam lingua, & moribus pudicus, quam deniq; hic totius vitæ integritate, & eſſe, & fulgere cum domi, tum foris debet, qui alijs hac tam inſigni, ſublimiq; dignitate illuſtratus præfectus vitæ, & morum magiſter ſit. Hoc mihi quoq; ſuccurrit, qui in hunc ſanctiſſimũ ordinem, & collegium cooptati fuiſſent, medicos appellatos fuiſſe. Aegyptios, & Perſas in primis ſacerdotes hoc nomine cohoneſtandos decreuiſſe, qui non tantum animis quod illorum maximi ſtudij eſſe debet, verum & corporibus mederentur, quorum vitia, & corruptiones vt cognoſcerent, & purgarent, legeram ijs Carneadem imitandum eſſe, qui antequam in Zenonem ſcriberet exiſtimauit ſenſuum, & mentis debilitatem firmandam, ingenij velocitatem coercendã, quæcunq; obſtarent Helleboro purganda, non enim neſcius erat omnia corporis bona, & mala à fæce corporis fœtidiſſima in animam influere. Quo genere curationis Plato in Cratylo oſtendit hominem & corpore, & animo candidum, & purum reddi. Is idem in charmide ſcribit Magos fuiſſe, & animæ, & corporis medicos. Neq; hoc Galenus ignorauit. Hoc quanti ponderis ſit non dubitarem, nec vllo laboris tædio grauarer explicare, ſi tu is eſſes, qui ad hanc

rem

rem longa exemplorum, & verborum ſerie, qui & ingenio vales, & longo ſtudio hæc conſequutus fuiſti, indigeres. Nec tamen, & hoc ſcitu dignum audire, quo multa cognoſcendi, diſcendiq; deſyderio ſemper arſiſti, recuſabis. Romulum, quod Dionyſius Hallicarnaſſæus literis teſtatus eſt, edixiſſe, ne ſacerdotia venalia eſſent. Adeo hic vrbis Romæ códendæ autor, quæ ſacerdotum propria, & religioni dicata erant, faciencia paſtorum cœtu, & ſocietate quibuſcum ſuperiorem ætatem vixerat, relicta, habituq; depoſito iudicabat. Quod prudentiſſime agebat. Nam ſi dignitas tanta cepta eſſet venalis fieri, decorum tantæ, tamque auguſtæ rei non diu incolume futurum videbat. Quæ veneranda, & omni cultu, conatuq; decoranda, in ſummaq; dignitate retinenda, ſi per quorundam, vel negligentiam, vel imprudentiam, aut non permittendam libidinem decorum ſuum amiſiſſet, & de loco antiquæ venerationis deiecta fuiſſet; timebat, ne quod Deorũ voluntate, & beneficio, vitæque periculo acquiſiſſet, eorundem permiſſu (quando horum omnia arbitrio reguntur) amitteret. Quod ijs euenire qui religionem contemnunt videmus. Cum ſacerdotum munera tanti ſint, nec quanti ipſi faciendi ſint neſcimus, præſertim cum in antiquorum monumentis obſeruauerimus, in Græciæ multis, & nobiliſſimis ciuitatibus ſacerdotum dignitatem Regum maieſtati æquatam fuiſſe. In quorum tamen ordinem, & auguſtiſſimum collegium non ignobiles, & humilis, abiectæq; conditionis homines, ſed nobiles, & ingenui recipiebantur, & à præfecto illius ordinis eligebantur, quod in Plutarcho legimus. Hæc omnia quæ diximus ſummæ admirationis, ſingularisq; venerationis eſſe, & tu à me cum aliquando in

hos

hos ſermones incidiſſemus audiuiſti, & ipſe memoria multa repetebas. Quæ cum tractarem me totum in religione, ideſt in veræ, fœlicisque contemplatione vitæ, continebant. Sed hoc quod ſequitur non ne omnium decreta, & in ſacerdotes reuerentiam, ex antiquorum veneratione ſuperat? Non tu quod nunc audies negabis. Ille ergo qui è Cœlo Theologiam detulit mortali in corpore vim diuinam patefaciens, ad patris vniuerſi mundi rectoris nutum omnia accomodans, qui hac dignitate mire fulgenti colluſtrati ſunt hos ſapientes appellat, cuius oratione nil verius, nil ſanctius, nilúe conſtantius. Nec quo modo ſeptem Græciæ mortales ſapientes ſolos nominarunt, quorũ tamen ſapientia nihil fugacius, nihilúe breuius, omnia enim ad nimis anxiam ambitionem referebant, dicit. Sed quorum animi ſale, quæ eſt perfecta ſapientia ſacerdotes inſperſi fuerint, eos vere ſapientes nuncupat ſacerdos ex antiquiſſimis libris, quos idem maximus, Lucentes Lampadas ſuper altiſſimũ montem collocat qui ne quiſpiam incautus, & imprudens cadat lumen errantibus prębeant, quibus quoq; dat illa talenta, quæ diligenter cuſtodita illum inuitant, hac oratione ad perpetuam fœlicitatem eos cõuocare qui muneris dati fructum auxerint. Hæc talenti multiplicati merces, hanc capite, hac fruimini, hac domos interiores ingredimini, & eas ad animi quietem, & tranquillitatem ſtabili decreto poſſidete. Hęc ſacerdotibus potiſſimũ offeruntur, traduntur, & cõmendantur. Ampliſſima addita veteris maculæ, & antiquæ noxæ, necnõ cuiuſq; delicti abſtergendi, & penitus antiquandi authoritate. Qua muneris abſolutione, & perfectione quid à Deo maius, quid plenius, quid quod ad diuinam gratiam, & maxi-

maximũ auxilium proxime accedat honorificẽtius? Nõ ne hac Dei liberalitate ſacerdotes ex hoĩbus Dij fiunt? Equidem quod à Deo perfectius habere potuerint non video. Hac dignitate cohoneſtati, hoc imperio aucti, hac maieſtate inſigniti quantum ſplendoris oculis noſtris inijciunt? quantam venerationem ſenſibus relinquunt? Ego certe hac recordatione, & crebro mecum hac cogitatione pertractata in maximum gaudium vertor. Hæc ſunt quæ tecum aliquando tractaui, quæ cum mecũ, & tu diligenter euolueres ſummopere tibi hoc diuino beneficio gratulabaris, & te breui totũ Theologiæ fontibus ablutum iri, & quod reliquum vitę tibi ſupereſſet, in ſacrarum literarum tractatione ad tui animi quietem poſiturum pollicebaris. An id feciſ ſes temporis breuitate à te denuo exquirere non potui. Quod ſi feciſti, gratulor, & vt debeo gaudeo, ſin aliqua re tuum ingens vt tunc erat deſyderium impediente adhuc præſtare non potuiſti, te hortor vt hoc amplius non differas, polles ingenio, acri præſtas iudicio. Ne tibi deſis, te etiam, atq; etiam rogo. Tu, fac vt tu agas, vel potius vterq; noſtrũ Deo, à quo ſolo omnia, & ſola, veraq; bona ſunt, gratias & agamus, & habeamus. Qui tua admonitione egeant ſcis, hos paſce, hos optimis præceptis, & exemplis in veterũ curriculo ad maximum Dei triumphũ ſuſtine, illud meminerimus. Spartam quam nacti ſumus ornemus. Sed quo cũ hęc? nempe cum viro docto, & acuto. Non te latet in ſermonibus noſtris, illud quæſitum, in ſacerdote informando, nos illum effingere, nõ qui quo velit montem transferat, & flumen arbitrio ſuo conſiſtat, qui tamen ſi adeſſet, multum lętari poſſemus, ſed illum in quo temperantia vigeret, modeſtia eluceſceret, iuſtitia ſplen-

ſplendeſceret, bellicoſis Ducibus vires animi magnas, & corporis validas relinquentes. Hæc vt tecum diſfuſius, & copioſius agerem, & amor quo te ſemper proſequutus ſum ob ſingulare ingenij acumen, quod in te ſepenumero admiratus fui, impulit, & huius rei vna tractandæ, pieq; & religioſe examinandæ crepta occaſio perſuaſit. Quod reliquum igitur eſt, tibi ſape, alijs conſule, & prudenter proſpice. Epiſtolam habes quam deſyderaſti. Vale, & Franciſcum tuum, quod facis ama, à quo cert. vt cum illo loquar, redamaris

Cremo. pridie Cal. Quint.

CIↃ.IↃ.LXXVIII.

FINIS EPISTOLARVM.

FRANCISCI
ZAVAE CREMONEN.
CARMINVM LIBRI TRES
AD DIVERSOS.



CREMONAE
Apud Vincentium Comitem.
M D LXVIIII.

FRANCISCVS ZAVA

AD NICOLAVM SFONDRATVM

CREMONAE EPISCOPVM FRANCISCI

CARDINALIS FILIVM.

LIBER PRIMVS.

OCCVRRVNT omnes, conſurge, & proſpice longe,
Eſt via, quanta patet, plena, feneſtra, fores.
Accedunt pueri ramis viridantis Oliuæ,
Et Pęana choro terq; quaterq; canunt.
Relligio adcurrit demulcens æthera caſto
Carmine, quo diuos in tua vota rogat.
Obuius eſt Clarus Prætor, quo numina gaudent,
Qui pietate viros, iuſtitiaqúe fouet.
Hic comitatus adeſt Heroum ingente caterua.
In te oculos vertunt fœmina, virq; grauis.
Hi te non hominem, at Diuum mirantur vt vnum,
Te credunt Cœlo numen adeſſe ſuum.
Auſpicium præſaga boni iam noſtra futuri
Mens cernit, ſeruant Dij meliora tibi.
Vt decimo hinc anno Diuos rebantur abeſſe
Votis, ſic demum numen adeſſe vident.
Emittunt pueri voces, caſtæque puellæ
Ad Cœlum, credunt inde venire Deos.

Venit & ecce Deus tandem miſeratus Olympo
Fortunas noſtras, vertit & in melius.
Expectatus ades nimium, nimiumq; vocatus,
O' nos felices quam bene vota cadunt.
Accepit validum Reſpublica noſtra parentem,
Pignus præſidij, ſubſidijque ſui.
Amiſit ſubito, cum iam ſperare ſecunda
Cœpiſſet, vultus mutat & hæc ſubitos.
Vtraque nunc legitur noſtris fortuna libellis,
Res patris edentur ſi tibi nate placet.
Sin tenebras refouere velis, hæc luce carebunt,
Mirantes ſecum maxima facta patris.
Hunc ad viſendum conuenerat vndiq; turba,
Non ſecus, ac Cœlo numina lapſa forent.
Nouimus hinc, quàm ſint fallacia vota virorum,
Proſpera quæ vento præcipitata ruunt.
Senſimus hoc vulnus, cunctis iacet intus adactum.
Clauſa bonis etenim ianua honoris erat.
Tu reſeras, vtrunq; leuas tu nate dolorem,
Tu patris effigies hinc mala cuncta leuas.
Vt te ſuſpiciunt, vt tanto numine gaudent
Ciues, qui pręſis ciuibus ipſe tuis.
Huius & es populi cuſtos ſanctiſſimus, hęres
Virtutis patrię, quæ ſuper aſtra viget.
Ille eſt Diuorum numero ſuper additus almo,
Vt precibus pellat plurima damna ſuis.
Te liquit miſeris mortalibus ipſe ſalutem,
Vt ſciat vnde petat quiſque ſalutis opem.
Cenſor eris morum, ſpecimen virtutis auitæ,
Præcipuusq; ſacræ relligionis honos.
Iuſtitia & pietas reparabit noſtra paternas
Vires, & priſcum te duce læta decus.
Lætantur

Lætantur cuncti, quod fluxis rebus habebunt,
Qui iam ſuccurrat, præſidiumq; ferat.
Quiq; animos turpi haud pœnæ formidine ſanet
Errore imbutos legibus atque nouis.
Sed verbis, monitis, & vultu, & fronte benigna,
Quis praua cunctos mente mouere queat.
Huc adſis igitur facilis, pede curre ſecundo,
Et tibi commiſſos nos rege, paſce, foue.
Incipiunt equidem ſapientes ſceptra ſubire,
Tempus adeſt tandem, quod probat ille Plato.
Neſtoreos viuas annos, prudentior illo,
Quo duce Troia iacet, Græcia regna tenet.
Atque decem ſuperes longęuæ ſecla Sibyllæ
Millia, quæ nobis prodidit iſta fore.
Te ſaluere velint Ciues, te turba Senatus,
Sfondratumqúe decus perpetuare Deos.
Viue. tuam virtute tua fer ad aſtra Cremonam,
Fundimus æternis hæc pia vota Deis.

AD EVNDEM E SYNODO Tridentina profectum.

Civibvs ignaris huc te aduentare putabas?
Quid? virtus latebris delituiſſe poteſt?
Hic reſides, cunctique vident te lumine claro,
Excuſſis tenebris cernitur alma dies.
Vere nouo neſcit tellus abſcondere flores,
Nec frondes latas arbor opaca tegit.
Charus ades, ſic priſca fides, & cura Deorum
Pręclara in melius ſic tua cœpta ferant.
Hęc ſic relligio vigeat, quæ ſplendet vbique
Tum virtute patris, tum pietate tua.

Salue

Salue igitur tandem populi pater optime tanti,
Antiſtes ſalue relligione potens.

Ad Antonium Sapientem Franciſcanorum Sociorum magiſtrum ex Auguſta.

MAIIS Idibus ò beatiores
Nobis, vos cano Martiæ Calendæ,
Vnà quæ geminos mihi tuliſtis
Ignes, relligio quibus renidet
Franciſcana potens in orbe toto,
Antoni Sapientis, & diſerti
Rectoris populi, graue & loquentis
Magno conſilio, pudente & ore,
Catonis ſapientia vetuſti
Probata magis, & magis ſeuera,
Quibus Nicoleos nitet velut Sol
Sfondratus bonus, & viris probatus.
Vita, moribus, integer, ſmaragdo
Omni lucidior, paterna imago.
Quondam quo viguit, vigebit atque
Fides, relligio, Deique cultus.
Fundamenta manent ſalutis almæ
Horum conſilio, & ſimul manebunt.
O ſaluete mihi nimis Calendæ
Iucundæ, ſuperum fruor perenni
AEuo, ſic ſuperi beantur omnes.
Iſtis luminibus vigent bonorum
Mentes, corde pij leuant dolores.
Quæ Antoni Sapiens damus, libenter
Te quæſo, vt capiasque, perlegasque.
Addicti tibi iam diu, tuisque,
Qui

Qui noſtri capiunt laboris vſus,
Oramus ſuperum tibi quietas
Sedes, vt maneas diu ſuperſtes:
Exopto, vt valeas mederi iniquis.
Et ſermone pios tuo iuuare,
Iſtos ne maculet nefanda Erynnis.

Hieronymo Vidæ Cremonenſi,
Albæ Epiſcopo.

OMNIA non poſſunt omnes, potes omnia ſolus,
Vida pater patriæ, præſidiumque tuæ.
Res & verba ſonas, cunctis Deus æthere miſſus,
Non hic multa loquar, tu Deus vnus ades.
Te Franciſcus habet Diuum, te pectore ſentit
Numen, quo grato ſolus adeſſe potes.
Verba dabunt alij, puro tibi iunctus amore
Te colo, te admiror, numen es ipſe mihi.
Si nihil hic poſſum, poſſum tamen omnia tecum,
Hinc eſt quod videor numen habere viris.
Munera non ſpernunt Diui, Deus accipe munus,
Quod mihi conceſſum numine Diue tuo.

Eidem.

SI, quas nunc vulgi nomen miratur inane,
Fabellas linquam, te duce tuta ſequar.
Deditus his ſtudijs Therſitæ infamis habebar
AEmulus, & nullo nomine dignus eram.
Phœbi ſacratos fontes cortina negabat,
Et cum Calliope gloria nulla mihi.
Demens errabam falſa dulcedine captus,
Erranti oſtendis tu mihi ſolus iter.

Neſtora

Neſtora vincebas, ſacro cum pectore vocem
Edebas, dulcis vox tua melle magis.
O quem te memorem CHRISTI diuine ſacerdos,
O quam ego te memori pectore VIDA colam.
Tanti nulla dies tollet veſtigia amoris,
Non ego lethęæ fonte lauabor aquę.
Semper eris mecum, mecum ſemperq; manebis,
Pernocto tecum, peruigiloq; lubens.
Ilion accepit, quo ſtarent pergama Troię
Conſilium tutum, ſpreuit at ipſa ruens.
Romulidæ cernunt euerſam funditus vrbem,
Vatum contemptis vocibus. Iſta palam.
Non ego contemnam monitus, mentisque receſſus
Vida tuę. His Phœbum te ſuperare ſcio.
Fallax interdum hic, mentitur voce diſerta.
Vera ſacro verax omnibus ore canis.
Qui te non nouit, diuinę palladis artes,
Ignorat, Pallas nam tibi docta fauet.
Tu cœlo ingreſſus victuro carmine Regem
Concinis ętheream, qui Deus eſt & homo.
Perpetua Cœli bis ſenos laude Quirites
Concelebras, nouit te ſacra turba poli.
Zonę quinque tuum nomen ſenſere propinquum,
Hoc loca ſenſerunt non adeunda pede.
Immortale ſonas, adytis arcana Deorum
Carminibus nouit quiſque referre tuis.
Hęc ſunt quę penitus noſtris infixa medullis,
Atque animo, ſuadent, vt tua iuſſa ſequar.
Non ego durus ero, mandata capeſſere promptus
Sum tua, conſultum, quem ſequar hinc habeo.
Quicquid erit mecum, tibi, (vera voce fatebor)
Acceptum referam, tu mihi tanta ſalus.

Ne

Ne me ſecludas igitur, quibus aſpera vita eſt
Te ſine, qui ſeruant nomen & vſque tuum.
Illis non cedam, ſi pro te mille ſubirent
VIDA neces. animi carpe tributa mei.
Quos non alliceres? quæ te ſapientia nutrit,
Vt te ſectentur munera tanta Dei?
Labes vt tollas, reſtat, quas forte videbis
Verſibus in noſtris, vt lubet, has reſeca.
Carmina ſi errabunt, animus ſyncerus habetur,
Antiſtes tu animi, præſidiumque mei.
Iamq; vale iubar ò patriæ, ſuper aſtra refulgens,
Cui ſedes Cœlum, Calliopea parens.

Eidem.

ECQVID rure canis, diuino munere vates?
Mens præſaga boni quod tibi monſtrat iter?
Iſtic nempe canis veterum quæ dogmata vincant,
Nam tu ſumma legens, quæ bona ſola tenes.
Iſtic Mauortis non tentas voce furores,
Non quæ Iuno mouet prælia Dardanidis.
Nec canis errores, durus quos paſſus Vlyſſes,
Non, quæ perdebat Iaſona amore, canis.
Nec, quos ardebat cantus male ſana vetuſtas,
Nec veris miſces carmina ficta modis.
Sat vacuas priſci tenuerunt carmine mentes
Phœbigenæ, molli dum pede vana mouent.
Inuia tu rumpis facili cum tramite ſolus,
Peruia quò facias, auia quæ fuerant.
Te muſæ ducunt, vbi ſemita nulla priorum
Tuta fuit, volitans aſpera quæque ſecas.
Socratis inuentum viguit, dum nullus adeſſet,
Qui melius caneret qui meliora daret.

Nunc ſilet, & penitus ſublatum quiſq; fatetur,
  Quod magno hic ſtudio repperit, vnus habes.
Quo tantum effugit diuini dogma Platonis?
  Hunc legum, & iuris nouerit omne decus.
Obticet hic victus, tibi tradere iure fatetur
  Lampada, nam fato tu meliore canis.
Credidit ipſe Solon, terris ſe lumina ſolum
  Clara dediſſe viris, lumina manca tamen.
Hic ſi nam ſuperas iterum remearet ad oras,
  Hic expers legis, pieridumque foret.
Hactenus altiſonum permanſit dogma Lycurgi,
  Illud deletum quiſque fatetur opus.
Bis quinas deles tabulas, quas Palladis olim
  Vrbs antiqua dedit præmia Romulidis.
Et quas firmarant quondam cum fratre Quirinus,
  Emendas leges, quo meliora feras.
Antiqui ſileant, illorum abſtruſa ſeneſcunt,
  Quæ profers nobis viuida ſemper erunt.
Antiquata tui veterum Reſpublica ſenſit
  Ingenij vires, ſola Cremona viget.
Hic etenim ſolum per te, nunc ſacra dabuntur
  Iura, tuas leges ſecla futura legent.
Hoc mens pręſagit, ſpecie nec fallor inani,
  Nam re teſtaris, cerno quod hic animo.
Non minus, illuſtras iſtis tu legibus orbem,
  Quam ſol perſpicuus magna Theatra poli.
Iſto curriculo mentis per grandia ſaxa
  Ducis iter, pandis non patefacta prius.
Amplius in dubia nemo certabit arena,
  Ipſe recludis enim quæ latuere diu.
Non igitur mirum, ſi certant agmina Muſæ
  Illuſtrare tuos, & decorare lares.

Nam

Nam quocunque feras te, te comitantur eodem,
Et vigiles curæ, teque decusque tuum.
En pulchros cernis flores, quibus alta coronant
Tecta tua, & viuo marmore concelebrant?
Mincius hac currit, vitro purgatior vnda,
Sylua virens, vmbras porrigit alta ſuas.
Nympharum chorus hic cantu demulcet amœno
Defeſſas aures, terque quaterq; tuas.
Et te VIDA ferunt arguta voce per orbem.
Et reddunt Dryades mutua verba ſono.
Nil hic te præter celebrari carmine dulci
Sentitur, plaudunt ſydera & ipſa tibi.
Inuidere tibi vatum monumenta priorum,
Qui præſenſerunt dogma perenne tuum.
Aut potius taciti mirantur ſecula noſtra
Hunc aluiſſe virum, qui ſuper aſtra volet.
Viue igitur nobis, non vlla obliteret ætas
Hæc inuenta, tuæ Palladis auxilio.
Oblector tecum tenui luſiſſe Camœna,
Ingenij vires ſuggere, magna canam.

Ad Scipionem Eſtenſem ſummum Caſalis Euaſij Antiſtitem.

QVI nos ferre nequit, non ferre grauabitur iſtud
Carmen, quo viſam teque, tuosq; lares.
Hic tuus ille eſt, quem multis è millibus vnum
Deligis, vt curis ſit comes vſque tuis.
Franciſcus multam tibi dicit Zaua ſalutem,
Cui tu fulgebas nocte mouente diem.
Dum tu Sfondrati Laurenti tecta ſubiſti,
Antiquum hoſpitium, magnanimamq; domum.

Neſtoris hic ęuum cupit, & tibi ſecla Sibyllę
Ingenij vt pandas maxima dona tui.
Vtque tuos ciues poſſis retinere quietos,
Relligione graues, & pietate bonos.
Vtque frui iſtorum pręſenti lumine pręſens
Poſſis, & pręſtes munera grata tuis.
Scipio Scipiadas imitabere robore & alto
Conſilio, huic cędunt arma ſuperba virum.
Hos tu non vinces, nec turpis voce repelli
Permittes; virtus ſtat tibi firma ſatis.
Pugna tibi facilis, victoria porrigit arma,
At ſit difficilis, gloria maior erit.
Atque Paternus erit, referet qui magna Trophea,
Qui canet auſpicijs omnia geſta tuis.
Interea mecum laudes, famamque fouebo
Qua tuus ęternum ſydera tangat apex,
Nec tibi commendo, quem tota mente Paternum
Suſcipis, & lateri qui tibi fidus adeſt.

Ad Bartholomęum Paternum Vicarium
Antiſtitis Caſalenſis.

ERGO diſcedes? nos ergo Paterne relinques?
Sarcina collecta eſt? deſeris ergo tuos?
I pręſtans animi, ſacros & viſe penates
Scipiadę, mihi qui numinis inſtar adeſt.
Lucidus, & lęte fulgens hac luce Caſalis
AEſtu, quo magno hic ęſtuat, atq; viget.
Hoc inſigne domus clare fulgentis vbique,
Hic ponatur onus, hic tibi parta quies,

Paulo Ahalę Cremonenſi Senatori creato,

QVO te Paule pedes? patrię quo firma Cremonę
Spes

Spes tendis? quęſo ſiſte parumper. abis?
Sic grauida emiſit fœtus? ſic vbera quondam?
Prębuit hæc menſes munera grata decem?
Gaudia quæ quondam tacito ſub pectore alebat
Te puero., tollis? virq; ferere procul?
Ah dolor, ingentes gemitus è pectore ducit,
Et lachrymas oculi fluminis inſtar agunt.
Namq; Solon ſuus hinc, ſanctusq; Lycurgus abibit
Et procul à patria commoda cuncta feret.
Legibus hanc ſacris paſcebas, lege manebat
Tuta, dabas ſolus gaudia multa tuis.
Non ſic decepit firmatam legibus vrbem
Dum patriæ cautus traderet oſſa Solon.
Non hoc antiquos Paulos, veteresq; Catones,
Non hoc Scipiadas duxit in aſtra duces.
Hi nam pro patria ſtabant, hi ſępe cohortes
Mille premunt, vigilant, pro patriaq; cadunt.
Hæc monumenta docent, annalibus iſta leguntur
Priſcorum, Graij ſic viguere viri.
Hæc ſunt quæ patria erumpit ſuſpiria Paule,
Haud ducta inuidia, ſed pietate magis.
Nam te labentem patriam virtute ſecunda,
Conſilioq; graui ſiſtere poſſe ſciunt.
Certorum Vatum monumentis ſæpius audit
Promitti, ſtatuas, qui decus omne ſibi.
In te conuerti cunctorum lumina cernit.
Hic vir hic ille eſt, quo gloria auita nitet.
Cæſaris ergo iubi ſanctiſſima iuſſa potentis,
Imperium tanti Paule capeſſe viri.
Sic potes hos patriæ luctus compeſcere acerbos,
Teqúe, domumqúe tuam reddere perpetuam.
Et patriam hoc ſolo poteris ſeruare perennem,

Eſt tua quæ virtus, quæ patriæq́ue ſalus.
Cui tu ſummittas faſces, non alter habetur,
Namq; tibi cedunt arma, ſimulq; Togæ.
Lumine nunc duplici noſtra inſignita Cremona
Et VIDA, & te ipſo ſydera clara petit.
Alter ſacrorum præfectus, vera Tonantis
Vox CHRISTI, iuris lucida lampas ades.
Non te quid facias nunc carmina noſtra docebunt,
Noſti nam virtus præmia quanta ferat.
Ergo Vale, noſtriq́ue memor ſcis Paule; Senatus
Præſidium, patriæ ſplendor vbique tuæ.

Ad Sigiſmundũ Picinardum Cremonen. antequam Senator eſſet, cum ad Regem Philippum nomine Ciuitatis iret.

I Patriæ, i legum cuſtos fidiſſime, perge
Quo tua te virtus, & bona fata vocant.
Læta dies aderit, qua te ad maiora Senatus
Admittet, rapiet nec mea vota notus.
Conſilium interea capias, quo robora firmes
Corporis, vt dicant, hic validus redijt.

Ad eundem creatum Senatorem.

ABSTVLIT hinc virtus, eadem te reddidit ipſum
Ciuibus, & patriæ gaudia magna tuæ.
Audiuit patriæ cauſas Rex maximus ille,
Quas tu tractaſti, fide patrone graues.
Nunc Regis cauſas patriæ tutela futurus
Suſcipis, & ciues protegis ipſe tuos.
Ergo Senator ades patronus maximus idem
Efficis

Efficis, vt patria hæc temperet à lachrymis.
Quas moriens Paulus iamdudum liquit Ahala
In terris, clari dum petit aſtra poli.
Quare iampridem tibi debita tecta capeſſe,
Et fruere inſigni lætus honore diu.
Sis fęlix, faueasque tuis qui numina Diuum
Exorant, clarus quo ſupereſſe queas.

Io. Baptiſtæ Mainoldo I. C. Cremonenſi.

SAEPIVS euoluens tacito ſub pectore mecum
Qui ſint Heroes, quæúe Theatra Deum,
Namq; iuuat veterum monumenta recludere ſacra,
Vnde haurire datur, mente quod ipſe cupis,
Inuenio Diuos terras habitaſſe frequentes,
Ex his, & varijs ſemina ſparſa locis.
Saturnum in terris quis neſcit prole ſuperbum?
Namque Iouem dederat, qui patre maior erat.
Iuppiter innumeros, qui terris monſtra tulerunt
Progenuit, quorum nomina clara micant.
Alcides, Pollux, Caſtorq;, & maxima turba
Hinc nati, vates quos cecinere pij.
Heroas dicunt antiqua ſtirpe creatos,
Quos vel nobilitas, facta vel ampla probant.
Nomine quin etiam celebrant Heroidas ipſo,
Quas mirata olim Roma ſuperba fuit.
Concurrunt ſtudijs diuerſis ſceptra tenentes,
Et capiunt laudis præmia rara ſuæ.
Eſt vel Conſultus Iuris, vel maximus autor
Rerum, nam virtus hic ſua dona capit.
Sanxerunt leges, ſancitas lege probarunt.
Hinc oracla Deum, quæ caperentur, erant.

Condebant

Condebant vrbes, ſed mœnia ſtructa ruebant,
Ni ſeruata pijs legibus vſque forent.
Quid non perpeſſi, quæ non ſubiere pericla,
Vt populo ex adytis iura petita darent?
Firmius vt ſtarent ciues cogente Senatu
Iurabant dictis, rebus adeſſe fidem.
Heroum noſtras igitur peruenit ad aures
Nomen, quo dignus nomine quiſque fuit.
Legum ergo interpres tanto donatur honore,
Vt certe ignores, quem prius ipſe probes.
Tramite difficili mentis quod condidit iſte,
Hic luſtrat ſtudio, ſic ſacra iura micant.
Interpres legum ſanctus, ſyncerus habetur.
Latoris legum numen habetur idem.
Laude vigent ambo, lauro dignantur eadem,
Neſcis cui primus cuiq; ſecundus honos.
Ambos tergiminis decoramus honoribus, ambos
Extollit ſtudium difficiliſque labor.
Sunt etiam terris celebratæ Heroides iſto
Nomine, quæ fulgent ſydera ad alta poli.
Cui non Minois? cui non Cepheia nota?
In Cœlo hæ lumen lampadis inſtar habent.
Caſſiopea quoq; aſſurgit cum fronte remiſſa
Quid tum? lucenti ſydere clara nitet.
Stella facem ducens inter mille Hectoris vxor
Apparet Diuas, illa virago fuit.
Sed quo muſa rapit mea me? iam ſiſtere greſſum
Eſt opus, hic tandem numina veſtra canam.
Hic ergo Heroes, hic ſunt heroides illæ,
Quæ meruere ſuo nomine facta Ducum.
Attamen hic mittam multos, quos nomine dignos
Heroum ſcimus, nam breuis hora fugit.

Ergo

Ergo ne heroas quos nunc habet alma Cremona
  Cantabo ? modis his verſibus ecquis erit ?
Ergo ſatis nobis Mainoldum dicere verſu,
  Cuius fama ingens aſtra ſuperna ferit.
Te tantum verſu canere ò Mainolde peropto,
  Qui mihi de vena pauperiore fluit.
Te maiora decent, nos parui parua daturi,
  Sed quæcunq; damus nomine digna tuo.
Nam tu virtutis præconia porrigis vnus
  Omnibus, & vultu promptior eſſe cupis.
Quis Mainolde tuis vnquam inconſultus abiuit
  E' tectis ? polles conſilio, atq; fide.
Conſultus Iuris legum tu lator haberis,
  Hæc eſt nobilitas maxima, priſcus honos.
Euandri mater, vel Romulus vltima proles,
  Hinc vel tu natus, vel prior iſta domus.
Eſt Mainolda domus priſcis celebrata latinis,
  E' Maia Diuum nuncius ortus erat.
Mainoldi hinc dicti corrupta voce vetuſta,
  Namq; aliter ſtultum credere; ſitq; nefas.
Maiadas hos vocitem grauiori nomine dignos,
  Haud equidem fallor, talis origo fuit.
Heroas ſanctos inter numeraris, haberis
  Ergo virtutis nobilitate potens.
Herois tecum Thalami fidiſſima coniux,
  Quæ ſunt, quæ fuerunt, nomine maior adeſt.
Mitto virtutes queis te iam comperit vnum
  Vna parem, certe vt vos duo ſitis idem.
Non hęc quæ gladio famam purgauit acerbo
  Caſtior eſt. ex hoc nomine nomen habet.
Quid ? pater Auguſtus, quo non auguſtior alter,
  Nec pietate prior, nec bonitate datur.

Hæc damus vna tenet priſcos grauitate Catones,
Iuſtitia Philos, nobilitate Phryges.
Omnes heroes, paritérq; heroides omnes,
Et ſocer, atq; gener, & tibi iuncta Thoro.
O' quam vos canerem, ſi nobis copia tanta
Eſſet dicendi, quanta MARONIS erat.
Mœonides ergo fœcundi laxet habenas
Ingenij, & cantu vos ſuper aſtra ferat.
Linqueret Atridas, Diomedem & magnus Homerus,
Vos nam cantando nomen haberet idem.
Laudibus at veſtris ſunt omnia plena Theatra
Et montes, ſyluæ vallis opaca ſonant.
Viuite felices in terris numina, & olim
Cœlo, acceſſuri gloria, lux, & honor.
Hæc ſunt quæ dantur patriæ rectoribus vnis
Præmia, ſi priſcis creditur, eſtq; fides.
Flumen adire licet clarum, quo fonte lauare
Me poſſim, vt cernam numina magna Deum.
Attrectare nefas quod tanto nomine dignum eſt,
Muſa monet ſileam, iuſſa capeſſo Deæ.
Attamen eſto memor noſtri quocunq; locorum
Perges, hæcq; mei pignus amoris habe.

Io. Franciſco Perſichello I. C. Cremonenſi.

CREDIS me immemorem multos dilecte per annos
Perſichelle tui? ſum memor vſque tui.
Non ego lethææ purgaui flumine amores,
Ardeo amore tuo, nec calor iſte iacet.
Nomen idem eſt, animusq; idem, non cætera nobis
Sunt paria, es doctus, diuitijsq; Midas.
Scæuola, vel Craſſus, facundo perſtrepis ore,
Hinc

Hinc merito nomen perſonat orbe tuum.
Leges mille modis clauſas, latebriſq; latentes
Noſti, nec veterum te monumenta latent.
Sed mihi nil prodeſt fugientes carpere ripas
Muſarum, fruſtra ſuſcipiturq; labor.
Ah quoties conatus iter ſum voce repreſſus,
Quo Franciſce viam? deſine longa via eſt.
Perſichellus adeſt, fontes hos ſolus amœnos,
Vt Draco Heſperidum ſeruat, & vnus habet.
Quid faciam demens? inuitis limen adire
Muſis me Phœbi? ſit procul iſte furor.
Gaza mihi non eſt, qua poſſim huc vertere muſas,
Has ſupplantarem, ſi mihi Gaza foret.
Ergo tibi quocunque ferar coniunctus amore
Theſeo, & nomen pignus amoris erit.
Sic Dij, fata quoq; hoc iubeant, tu iam mihi Niſus,
Eurialus ſemper, nam tibi fidus ero.
Rure datur? quid? rura ſapit ſi debile carmen
Noſtrum, alias dabimus fertiliora tibi.
Quæ nos cunq; damus, iucunda mente capeſſe,
Franciſci ſemper tu memor eſto tui.

Galeacio Melio Cremonenſi.

SAEPE ego tentarem, quid poſſet noſtra Thalia,
Hoc cur non valeam cauſa probanda ſubeſt.
Vndique me aſtringunt curæ, iuueneſq; frequentes,
Qui famæ cupidi noſtra Theatra colunt.
Per ſe nil poſſunt, virtus, animuſq; miniſtrat
Vires, hæq; iacent ſi mea cura iacet.
Hos tuus eſt inter gnatus pars magna ſenectæ,
Effigieſq; animi, corporis atque tui.

Ne ponam ſtudium ſcribendis verſibus ipſe
Efficit, Aonijs inuigilemqúe choris.
Qui tamen vnus erit ſcribendi carminis author,
Qui poterit ſtudium ſolus habere meum.
Reſpondere cupit votis, animoq; paterno,
Hæc ætas ſtudijs non reuocanda meis.
Accelerare opus eſt, fugit irreparabilis ætas,
Præterit hora fugax more fluentis aquæ.
Quod valeo, id totum nato, & debere parenti
Me fateor, pridem fecit vterq; ſuum.
Poſtulat & patria hæc quæ nos coniunxit ab annis,
Quos teneros nobis vita peracta dedit.
Id doleo, Phœbum, Muſasq; Helicone creatas
Haud ſua naſcenti dona tuliſſe mihi.
Quod ni feciſſent vt te ſuper æthera ferrem?
Mortali hac eſſes tu mihi ſede Deus.
Deferrem extremos Galeaci nomen ad Indos
Te ſciret Dacus, teqúe peritus Iber.
Tertia pars orbis ſentiret facta tuorum,
Qui bello clari, qui viguere togis.
Ocia non dantur, queis poſſim talia cantu
Edere, nec vires præſtat Apollo ſuas.
Et Meliam gentem reſonarent vndique ſyluæ,
Maioresqúe tuos pagina noſtra daret.
Eſt ingens animus, verborum copia parca,
Efferor, elatus concido, laſſus, iners.
Exurgo lecto, calamum conquiro, retuſum
Nunc acuo, refugit tunc furor ille nouus.
Id quorſum eueniat mecum dehinc ipſe retracto,
Sunt vires tenues, quæ mihi cuncta negant.
At tu cui Muſæ aſpirant, & flauus Apollo,
Cui deſunt curæ, grata quieſqúe datur.

Inter

Inter qui Dryadas lætus, faunumq; iocoſum
Verſaris, ſcribe huc quid tua Muſa canat.
Scribe quoq; huc veterum quæ nam ſententia ocellos
Detineat multum, quam ſequar ipſe, tuos.
Quæ nunc miraris ruri mihi ſcribito cuncta
Carmine, quod cupido non ſemel ore legam.
Vel ſit Ariſtippus, vel Zeno carmine ficto,
Tertius an qui olim fercula lauta tulit.
Interea natum ſynceri pignus amoris
In te grande tuum, moribus hic poliam.
Traditus eſt nobis fidenti corde docendus,
Hunc ego præſtanti corde docebo libens.
Et ventura tui veniet pars maxima voti
Ad leges ſacras, Pieridumque chorum.
Interea incolumis patriæ loca grata ſaluta,
AEdicolamque meam quam rigat amnis, adi.
Huic dicas quæſo, indecores migrate Coloni,
Verus adeſt herus, hanc qui decorare poteſt.
Iamq; vale Phœbi, & Muſarum gloria magna,
Et patrijs Muſis, dicito Zaua Valet.

Andreæ Beneuento.

QVOD tu cunq; petis diuino carmine Vates
Conſequeris, volitant nam tua vela mari.
Euitant ſcopulos, infractaq; litora poſcunt,
Et vada cuncta vident lata petita ſibi.
Hiq; natant, rurſus pelago ſpaciantur aperto
Arbitrioq; manet vela remiſſa tuo.
Adſunt Pierides ſuccurrit pulcher Apollo
Votis atque tuis, quod petis inde datur.
Cæſaris haud magni caneres vulgata per orbem
Facta, vel Auguſti bella peracta breui.

Nedum Franciſci laudes percurrere poſſes
Quæ tenues tangunt ſydera voce tua.
Accipio, agnoſcoq; libens præconia noſtra
Laudati quando tollimur ore viri.
Ducimus & parui quorundam perdita verba,
Liuida quid nobis turba nocere poteſt?
Vnus profligas ſcriptis maledicta diſertis
Inſanæ turbæ quæ male ſerpit humi.
Sunt teſtata mihi non parui ponderis ora
Eximiorum hominum, qui mea ſcripta probant.
His etiam accedis laudato carmine ſemper,
Qui mihi pro multis millibus vnus eris
Verſus ſępe mihi varijs mittuntur ab oris,
Queis moneor doctis noſtra placere viris.
Vixq; tuis lectis, fertur Epiſtola nobis
Perſcripta, extremis finibus Italiæ.
Appennigenas regiones incolit iſte,
Rolandum Nigrum nomina ſcripta ſonant.
Hic, Dij immortales, laudes quas fundit in horas?
Vt nos melifluo detinet eloquio?
Noſtrates taceo Muſæo nectare dignos,
Eſt noſtrum cordi queis decus, atq; labor.
His ego victor ouans, ſuperabo quosq; labores,
Et voluam aſſidua dogmata priſca manu.
Hoc etenim ſtudio perſtringam perdita corda
Inuidiæ, ſtygia quæ fuit orta domo.
Huius deridens ſtultum, inſanumq; furorem
Abdo me ſtudijs, eſt vbi parta quies.
Contemplor veterum nobis monumenta relicta,
Queis pepere ſibi præmia digna polo.
Alter Democritus fio, Heraclytus & alter
Lętor non longo tempore fletus adeſt.
Non

Non me ſcribarum vulgus terrebit inertum ;
Cum blaterant, ficta crimina voce patent.
Me detractores nunquam deponere cogent
Incœptum, citius cœpta peracta dabo.
Adriacas, horum rumpantur ac Ilia, ad horas
Accedam, edentur carmina preſſa Typis.
Prodita cum fuerint, his (ſpero) nulla quietis
Spes erit in terris, infera regna petent.
Hos Pelopis pater accipiet ſaxumq; reuoluens
Siſyphus, & qui agitur vinctus ab orbe rotæ.
Hos nunc inuidia rumpat feralis Erynnis.
Hos ego, qui nam ſint diſſimulare ſinam.
Poſtmodo ſi pergent, iſtorum nomina pandam.
Et commiſſa breui quiſq; notata leget.
Hiſpani noſcent, Galli, pictiq; Geloni
AEtas, quæ ſequitur, nouerit omne nefas.
Diſtracti interea ſed iuncti, & mente propinqui
Viuamus, memores nos ſimul eſſe duos.
Verſibus Andrea noſtris celebraberis vſque
Noſtris, & fixus ſenſibus vnus eris.
Vtq; meo tribuas ſolatia magna labori
Mitte mihi imparibus condita verba modis.
Non te tardabo expectantem carmina noſtra,
In te quo noſter mutuus extet amor.
Tu Marium noſtrum, noſtro ſaluere iubebis
Nomine, qui noſtro ſemper in ore viget.
Elloquio hic ſacro ditauit docta Theatra
Phœbus vbi facilis, Pieridesq; manent.
Pegaſus hic fontes alter recluſit amœnos,
E' queis tot nobis flumina grata fluuant.
Sydera lætus adit, miratur ſydera lætus
Effulgetque inter ſydera clara Poli.

Altius haud Mario volitauit Pindarus olim;
Iamquè Mari viuas, & beneuente diu.

Andrea Roncatello Cremonenſi.

Qvid genius, quid fata velint, fortuna quid ipſa
Haud ſcio, ſi fatum credimus eſſe tamen.
Hæc nos iunxerunt vna puerillibus annis,
Id diſſoluerunt, fata quid iſta volunt?
Hæc me perturbant, animo hinc compellor, & inde
In varias partes, eſt mihi nulla quies.
Quod ſi vera canunt veterum monumenta peracta,
Fallaci doleo tempore, ſorte capi.
Hoc ſi ſic quem nam Cœleſtia ſigna mouebunt?
Credidit his vulgus, his quoq; captus eram.
Hęc olim mirabar enim, dulcedine tanta
Nos vna iunctos cuncta per aſtra fore.
Saturni, Veneris, Martis, vel ſydus vtrunque
Decepit, ſolus ſiue ego falſus ero.
Annuit interdum noſtris Cillenius ales
Votis, ſed renuunt fata ſuperba tamen.
Nos ijſdem tectis alti dapibusquè ſuperbis,
Ijſdem erat vnus amor patris & id ſtudium.
Id mecum recolo memori non excidet vnquam
Roncadella domus, ſpes mea ſola ſalus.
Luſimus in cunis cura, ſtudioquè parentum
Noſtrorum, & patruis, vnice amatus eram.
Quos celebrant ludos pueri, iuuenesq; per artes
His oblectati, nos quoq; ſæpe ſumus.
Viuimus in vitæ longo diſcrimine adulti,
Eſt tibi parta quies, eſt mihi nulla quies.
Haud equidem inuideo, fruor hoc & munere tecum,
Namq; pares animi corpora iuncta tenent.

Non

Non ablata quidem noſtræ ſunt commoda vitæ,
A ptius his vellem, commodiusq; frui.
His tecum fruerer, tecum ſi viuere poſſem
Horæ dimidium, menſtrua puncta ſatis.
Sentirem ſemper quam ſeruo pectore vocem
Manantem, hac nobis vel grauiora dares.
Nulla forent rebus non reſpondentia verba,
Tu clarus dictis, nobilitate animi.
Es comis, facilisque, benignus, ſplendidus vnus,
Tu charus doctis, omnibus vnus ades.
Quid tu præterea? cunctis affabilis extas,
Hæ dotes animi, nobilitasque tui.
Quas qui non poſcit, demens hic ſolus habetur,
Hic Tanain tendat, & loca ſenta ſitu.
Nos te ſeruamus nobis ſuper omnia charus,
In te ſunt ſolum lumina verſa mea.
Acceptum ferimus certe tibi quicquid habemus,
Si melius quid erit, id tibi ſemper erit.
Nec fatum, genium, caſum contemnimus vllum,
Hæc tria concurrunt ſi tibi gratus ero.
Promeritum fateor iam te prius, hoc ego contra
Quicquid adeſt nobis, id tibi carpe damus.

Ad Luganum confeſſio.

In me conſurgunt, venti me crebra procella
Exagitat, terrent murmura ſæua maris.
Quæ me dilanient non deſunt agmina mille
Curarum, huc, illuc, mens mea diuiditur.
Exanimat rerum cupidum male ſana cupido,
Pauperiem ſolam maxima credo mala.
Illos exoſus, Gazas quos ſpernere legi,
Vel ſit Anaxagoras, vel Plato ſtultus erat.

A' nullis vellem ſuperari, vincere mallem,
Inuidiæ ſtimuli nunc mea corda tenent.
Si temnunt alij, ſpretos inhiamus honores,
Diſplicet ambitio, dulcis at iſta mihi.
Poſſidet ignarus morum virtutis & expers
Diuitias Craſſi, diuitiasque Midæ.
Inuideo, demens incuſo numina diuum,
Quod tribuant alijs, quæ mihi cuncta negant
AEqui ſunt Diui, mortalia non tamen æqua,
Deſipio prudens, ſtultus at ipſe ſapit.
Apparent iam mille modi, iam mille figuræ,
In quas commutor debilitate mea.
Non ſecus hic iactor, quam nauta turbine venti
Cum iacet in medijs naufraga puppis aquis.
Incumbit remis validis, & viribus vſus,
Ad portum ſperat pergere poſſe tamen.
Sic ego confido multis agitatus Erynnis
Nunc ſtimulis nauem per vada ferre meam.
Ad te confugio, ſupplex tua limina poſcens,
Sanari cupio, redde ſalutis opem.
Nam mihi ſunt fracti remi, haud firma carina
Clauis, nec temo robore firmus adeſt.
Mergitur in pelago puppis, nunc mergitur vndis,
Huius iampridem robora cuncta ruunt.
Ipſe nihil poſſum, poſſum tamen omnia fretus
Et pietate Dei, teque rogante Deum.
Comprime (te quæſo) volitantia carbaſa ponto,
Ne me præcipitem per freta vaſta ferant.
Haud vna ſcelerum facie, pia numina læſi;
Inficiunt mentem crimina multa meam.
Editus in lucem tenebras detrudor in imas,
Horreſco referens & miſer ipſe tremo.

Quic

Quicquid deliqui vidit Deus, omnia cernens
Nulli hunc amfractus, nulla cauerna latet.
Ingredior timidus mea nunc commiſſa fateri,
Da dextram, & miſero nam potes, affer opem.
Victima ſacra ſuper cadat hæc altaria, CHRISTVM
Aſſidua ſupplex deuenerare prece.

Ad Franchinum Manfredum Ferrarienſem.

OMNIA mutantur, retro ſublapſa feruntur
Cuncta, quid hoc mirum? nã noua cuncta placent.
Rerum tempus edax, inuitis omnibus vnum
Commoda diripuit, nec reuocare datum.
Ordo nouus ſecli fatis voluentibus orbem
Naſcitur, hic ſecum contrahit omne datum
Huc vetera illa abeunt, fugiuntq; miſerrima cunctis
Tempora, nec quicquam quærere priſca iuuat.
Saturnus perijt, perierunt & ſua iura,
Ordo alius longe nunc meliora capit.
Troia antiqua iacet, doctis celebrata Poetis.
Sparte clara ſolo mœnia magna dolet.
Pallados alta iacet muro fundata tenaci
Vrbs, & cum patria fœmina, virq; perit.
Ingentes vrbes ferro, populoſq; ſuperbos
Contuſos, poſſem nunc memorare tibi.
Sed quid priſca iuuat triſtes deferre ſub auras,
Cum ſua cuiq; dies, & ſua fata cadant.
Quid Tirium tectis ingens erecta ſub auras
Carthago imperij ò æmula Romulidum?
Anſer ſolus erit fatum qui ſpreuerit ipſum,
Fortunam temnens ipſe perennis erit.
Depulit hic olim Gallorum perdita ſola

Agmina Romanis ipſesque, ſalusque vigil
Actorum ſocius clarus ſed Manlius huius
Expers lætitiæ quæ ſua ſtultitia.
Anſeris exoſſent licet omnes candida membra
Non tamen amittet nomina tanta nece.
Namq; ſuum cunctos nomen celebratur in annos,
Voce graui pulſat plectra canora lyræ.
Romulidæ quondam cura hunc, & publica alebant
Optatosq; cibos munera grata dabant.
Si quis vile tamen ſentit ſub pectore nomen
Comprimat hic virus anſeris atque iecur.
Non hic dignus erit diuum depaſcier vllo
Munere, non illi tantus habetur honos.
Appetit has epulas ſano qui pectore viuit,
Huic nepa quis credit, non ſaturandus erit.
Frigida ſi volues ſtomacho ipſa videbitur vlli
Huic non eſt vitio, Manlius vnus erit.
Nam quando fuit hic ſaxo deiectus ab alto
Deficiens gelido corde labauit auis.
Et tu quæſo cape hanc detur quæcunq; libenter
Obſtrepet hoc nomen tempus in omne tibi
Anſer adeſt, melior dices argenteus eſto.
Quicquid erit capies, nos quoq; ſemper ama.

Ioanni Gaſpareo.

TAVRIA te expectant, te Tauria noſtra repoſcunt,
Fœmina virq; ſimul Tauria grata petunt.
Accede. hic fiunt ſeruato more quotannis
Tauria, quid rides? Tauria noſtra pete.
Te genij noſtri accipient, te lumina poſcunt,
Teq; lares cupiunt ſæpe videre mei.

Dij quoq; me impellunt, his verbis ſcribe, reuiſat
Tauria Ioannes, Turrigeroſq; lares.
Hoc ſine nil fiet iucundum, nilque iocoſum,
Hic minuit curas, feſſaq; membra leuat.
Eſt Phœbi verus, muſarum & dulcis alumnus,
Facundo huic dulcis manat ab ore lepos.
Quare, ne tollas tanta hæc ſolacia nobis,
Diuitijs ſpretis Tauria noſtra pete.

Hieronymo Syluæ.

Accipe quæ poſſum vix cudere carmina amice,
Hinc vrget Phœbus, hinc latus omne ferit.
Ocia tuta tibi, nobis ſed cuncta negantur,
Eſt tranquilla domus, menſa parata tibi.
Inuigilare licet nobis, ſudore paranda
Cuncta domi, ſomnus non ſatis aptus adeſt.
Aymus te tutum reddit ſub diuite tecto,
Hic remouet curas colloquioque ſuo.
Hoc tu ſub domino ſegnem exerceto ſenectam,
Nil ducas morbos, quos ea ferre ſolet.
Inuideam hanc vitam tibi ni mage charus ocellis
Sis noſtris. vitam hanc tranſige Sylua diu.

Cæſari Brumano I. C. Cremonenſi.

Romanos diues cumulauit munere quondam
Attalus, hoc careo, quod damus, ipſe cape.
Hoc vinco Regem, nulli concedo tuorum,
Qui te mirantur, quique per aſtra ferunt.
Eſt animus magnus, quo te complector habendum,
Hic, & cum fato corpore verſa cadunt.

Eidem.

Eidem.

Cæsar quæ dantur nunc Vidæ carmine miſſa
Perlege; te & natum lucida Pallas alit.
Hunc ſectare puer, cernet duo lumina noſtra
Vrbs, hic primus adeſt, tuq; ſecundus eris.

Laus cuiuſdam Matronæ.

Heros Dardanius noſtro ſi viueret æuo
Iſto, clara Venus, iudice nulla foret.
Pallada tu vincis, victam ſe Iuno fatetur,
Moribus, & forma, nulla ſuperſtes erit.

In aduentu Rodulphi, & Herneſti Auſtriadum filiorum Maximiliani Imperatoris.

Maxima progenies Diuûm, veneranda propago
Cæſariæ gentis, nobilitate grauis.
Quàm lęto capiat te vultu, & fronte ſerena
Aſpice, quàm plaudat læta Cremona tibi.
Agros Herculeæ tu vix ingreſſa beatos
Vrbis, cum ſpectas agmina magna virum.
Militis armati ſequitur longiſſimus ordo,
Quem via nequaquam, ſit licet ampla, capit.
Hinc æquitum turmæ, magnæ peditumq; cohortes
Incedunt, omnes veſtibus egregij.
Accipis hos. Hilares veniunt non ordine fuſo,
Teq; humeris denſi mœnia adusque ferunt.
Cõſpicis incedens numeroſam haud agmine gentem,
Millia quod nunquam magna Cremona dedit.
Occurrunt pueri, iuueneſq;, viriq;, ſeneſq;,
Occurrit plaudens ſexus vterque tibi.

Suſpicis

Suſpicis hinc vrbis tu priſcæ mœnia noſtræ,
Agmine preſſa virum, plenaq; cuncta vides.
Huc illuc oculos fers, circum & lumina flectis,
Et noua ſemper adeſt gens tibi nixa genu.
Mœnibus hinc miſſis penetralia tendis ad ipſa
Tectorum, lucet quæque feneſtra tibi.
Clarius hinc etenim lumen diffunditur altis
E' tectis, Phœbi luce micante die.
Cernitur in ſummo tectorum culmine denſa
Turba virûm, mixti fœmineiq; gregis.
Nec ſaturare queunt oculos, dum veſtra tuentur
Lumina, dumq; animo numina tanta fouent.
Hincq, triumphales portæ cernuntur in vrbe
Marmore de patrio, quod graue fulget opus.
Heroum, hicque ducum tituli, ſtatuæque leguntur,
Auſtriadum in lucem quos dedit alma domus.
Accendunt cunctos tantorum clara virorum
Nomina. Tum vobis proſpera quiſque cupit.
Regia vos tandem Trecchorum tecta ſubitis,
Regibus hæc, ducibus; Cæſaribusq; patet.
Huc attaui, huc abaui, huc ſpolijs decoratus opimis
Cæſar auus veſter, cunctaque turba ducum.
Albertique duo Federici & fulmina belli,
Omnes Europæ robora militiæ.
Huc vbi veniſtis fulgentes numinis inſtar
(Nam facie, atq; oculis mittitis hic radios)
Vos Sinueſſanus comi Dux inclytus ille
Amplexu cœpit, talia voce loquens.
Cernitis Herculeam hic ſobolem clariſſima proles
E' cœlo ducens Cæſariana genus.
Hęc magnis vrbs clara viris, ducibusque decora
Romuleo repetit ſtemmata clara ſatu.

Nulla

Nulla pericla ſubit Cæſar fortiſſimus Heros,
Ad quæ non dederit fida Cremona duces.
Reſpicite hanc ſedem imperij, veſtriq; decoris,
Quæ rerum dominos vos fore mente capit.
Caſtoris imperium, Pollucis & arma ſequetur,
Sis bona, ſis felix ciuibus ipſa tuis.
Dixit. At Emanuel cuſtos fidiſſimus arcis,
Talia ſedato pectore verba dedit.
Semidij proceres vos Dijs accepta Cremona,
Tutelæ & veſtræ credita, auere iubet.
Cæſaris optat aui vobis felicia rerum
Euenta, & longos, Neſtoreosqúe dies.
Mox cuncti, ò nos felices, ò ſecla beata,
O' quæ vos peperit mater amata Deis.
Felices nimium, qui vos genuere, parentes
Ter, quater exclamant, aurea ſecla dari.
Vrbem mox repetunt, vultum, faciemqúe decoram
Omnes mirantur, pertacitique fouent.
Non veſter noſtro labetur pectore vultus,
Quamuis lethæus tingeret ora liquor.
Vos quoq; nunc memores auibus diſcedite lætis,
Atque Cremonenſes mente tenere diu.
Audiat iſta breui, quæ fecimus, ipſe Philippus,
Sentiat atque pater, quanta Cremona dedit.
Quo vos cunque ferent felicia fata, referte
Eſſe hic magnanimos, belligerosque Duces.
Vſque Cremonenſes Regum parere paratos
Iuſſis, quos dominos contigit eſſe ſuos.
Sic Herneſtús eris nobis, fortisque Rodulphus,
Cæſaris imperium ſic referetis aui.

FINIS. LIB. I.

LIBER SECVNDVS Carminum ad diuerſos FRANCISCI ZAVAE.

HIERONYMO MONTIO PRAETORI CREMONAE.

MOntibus Aonijs huc te duxere camœnæ,
Qui nobis Prætor iura verenda dares.
Montia quem genuit domus almo fonte rigata,
Fonte Meduſæi quo fluit humor equi.
Edidit hæc legum gnaros; iuriſque peritos,
Et Phœbi ſacros, Pieridumque duces.
Et quos æthereas aperire, & claudere portas
Vidimus, & quos nunc purpura ſacra tegit.
Et montes quondam noſtri petiere parentes,
Montia quos tutos iuſſit adire locos.
Montibus in ſacris muſæ duxere choreas,
Dum ſonat arguta pulcher Apollo lyra.
Huc tu veniſti duodenis menſibus actis,
Ex quo promeritus iura Senator habes.
Vrbis ſedaſti varios, crebroſq; tumultus,
Omnes ad nutum conticuere tuum.
Attrahis eloquio legum diuine Sacerdos,

Ipſe tuo cunctos in tua vota viros.
Per te coniugium tutum, tedæq; pudicæ,
Per te caſta viro fœmina quæque ſuo.
Seruitio qui aſtrictus erat, non captus inani
Spe legum cœpit præmia quiſque ſua,
Horrida ſenſerunt ſontes hic robora legum,
Et data ſunt iuſtis munera digna viris.
Hæc ſunt, quæ linquis veſtigia preſſa tuarum
Virtutum, tua queis fama perennis erit.
Haud vnquam meritum venientia ſecula tantum
Delebunt, viues cuncta per ora virum.
Ergò iam Monti, Montes conſcende priores,
Eſt vbi virtuti ſemita facta tuæ.
Ille patrum expectat tandem te maximus ordo,
Sed vellent ciues te remanere mei.
Sis bonus, ò felixq; tuis, ſic Montia ſacros
Exuperet montes tempus in omne domus.
Hæc ſemper vigeat, longæui hæc Neſtoris annos
Vincat, lætetur fœtibus vſque tuis.
Alciatum verbis commendas. res probat ipſum.
Ingenij pollet fertilitate puer.
Alciatum famam fatis felicibus olim
Tollet hic, Alciatæ gloria magna domus.
Alciato nobis extat nil charius. Ipſum
Ingenuo erudiam dogmate, vt ipſe iubes.
Tu quoq; Baſilij noſtro de ſanguine creti,
Quo te cunque feres, ſis memor, atq; mei.

Ad Caſalenſes Euaſianos ſuos.

Hvc quorſum iuuenes quondam veniſtis ab oris
Hinc procul expoſitis, eſt mihi noſſe datum.

Id

Id vos & ſcitis, non vos id præterit ipſos,
Amplius haud vobis diſſimulare licet.
Ergo agite hinc miſſis ludis incumbite chartis,
Quæ vos, & Patriam ſydera ad alta ferant.
Id veſtri expectant dulces, cupiuntq; parentes,
In votis patriæ ſpes quoq; tanta manet.
Vis animos veſtros cœleſtis luſtrat, & vrget,
Igneus atque vigor vos regit, atque fouet.
Vos ſtudium nunquam noſtrum cognoſtis inane,
Nec labor eſt tantus qui mea cœpta premat.
Ipſe breui in patriam, vos tunc comitabor ouantes,
Si monitis prompti vultis adeſſe meis.
Accipient lætæ matres, chariq; parentes
Vos natos, illis ſarcina grata dabor.
Sic qui veſter eram ductor, comes ipſe ſequutus
Vos, animo capiam gaudia magna meo.
Eſt hoc velle parum, rebus ſuccurrere lapſis
Eſt opus, accedat priſtinus ille labor.
Eſt facile id reuocare quidem, vos cogat in vnum,
Iam tandem ratio, plurima quæ poterit.
Dicite vos taciti. Quos fructus ſenſimus iſtis
Menſibus exactis, dum via lata fuit?
Nullos dicetis. Senſus perſtringere oportet,
Edent compreſſi præmia digna viris.
Eſtis magnanimis prognati patribus omnes,
Vt referatis eos, vos genuere patres.
Sed iam conſilia in melius conuertite, ducam
Vos recto ad colles tramite Pieridum.

Ad quendam amicum.

Si quid ineſt animo, profers, medicina parata eſt,
Turgida qua ſedem corda repente tibi.

Adſit charta rogo, hac, tu pandas vulnera, ſi qua
Excruciant animum, ſollicitantq; tuum.

Petro Antonio Tollentino.

FELICES animæ, queis felix nuntius iuit
Spiritus illius, qui ſine labe volat.
Exultant, gaudentq; ſimul queis nuntiat iſte
Hæredes quales liquerit hinc abiens.
Heroas videt ipſe ſuos, qui ſecula mille
Colluſtrant, quondam qui viguere ſuis.
Purus Ioannes, purus Baptiſta luebat
Quæ obſcurant animum, ne quid obeſſet ei,
Tollentinus erat, tollebat quos ope poſſet,
Adfuit hic miſeris portus & aura libens.
Integer hic vitæ, ſceleris purus capit illam
Qua gaudent diui proſperitate frui.
Huc mors concurrit, mortem ſua fata ſequuta,
Non perit ante diem, non abit vmbra ſilens.
Nam virtutis honos remanet, ſemperq; manebit
Fama, viri teſtis cum probitate graui.
Sarcina ſi qua fuit commiſſi, hic tota relicta,
Candidus hinc Cygnus tecta ſuperna volat.
Feſta dies venit, gaudent qui luce fruuntur
Etherea, tanto hic additus eſt numero.
Poſtera lux celebrat cunctis ſine fine quietem,
Inter Cœlicolas huic ſine fine quies.
Miratur ſuperos, miratur numina cuncta,
Quos vidiſſe iuuat, cernit adeſſe ſibi.
Naribus admoti flores, perfuſus Amomo,
Non ſentit tenebras, luce perenne nitet.
Nos igitur manes linquamus Petre ſedere
Antoni feſſos, eſt vbi certa quies.

Huius nos mores veſtigia preſſa ſequamur,
Te patrui mores edocuere ſenis.
Te te care nepos ſoletur vita peracta,
Cuius ſunt patriæ funera ſacra ſuæ.
Sed quid te ſoler, cuius prudentia tanta,
Quanta tu poſſes omnibus eſſe ſatis.
Ergo viue tibi, vires acquire valentes,
Queîs patrui poſſis munus obire tui.
Franciſcum ſcito tecum fleuiſſe dolendo,
Gaudeat vt tecum, tu potes efficere.

Ad quendam amicum.

Ite ſalutatum mea carmina, qui ſibi muſas
Conciliat ſcriptis, qualiacunq; cadunt.
Dicite me totum ſediſſe in pectore amici,
Huius ne ex animo diffluat omnis amor.
Sic mihi coniunctus quo non coniunctior alter,
Pro quo ſum promptus mille ſubire vias.
Hac ſi non potero ſuccurret tutior vna
Qua ſociem ſenſus diſſociati animi.
Dicite quam ſcripſi mihi carmina, grata ſalutem,
Hunc voueo totum viribus ingenij.

Ad Ioſephum Oliuam Diui Michaelis ſummum
Antiſtitem in eius ſororis nuptijs
cum Ioſepho Gloſſano.

Fervet amor, cœpitq; duos furor intus amantes,
Aurea, pulchra comas, caſtorum mater amorum
Inſedit, laſciua vocans in limina tecti,
Hymen ô Hymenææ veni, tu clauſtra reclude.
Durus

Durus vterq; parens, audit nec verba ſororis
   Frater, cernuntur nuptæ, cupidiq; mariti
   Lumina in alterius clamantia; quid mora tanta?
   Hymen, ò *Hy*menææ faue, tua iura potimur.
Tempus adeſt, cingant quo candida colla lacertis
   Mutua, quo tandem cupidus potiatur amata,
   Quæ iacet abſenti triſtis dilecta marito:
   Hymen, ò *Hy*menææ foue tua pectora tandem.
Vlmis cur vites iunctæ circundare poſſunt,
   Amplecti & ramos, nec non dare brachia circum?
   Iunguntur vites, capiat non lectus vtrunque?
   Hymen, ò *Hy*menææ pari conſtringe cathena.
Nona dies venit nec cingula rupimus, aurea
   Eſt ingreſſa Venus, languet, perditq; colorem,
   Hæc vtrunque femur triſtis fouet igne rubente.
   Hymen, ò *Hy*menææ Hymen ades ò Hymenææ.
*H*æc linquenda domus, vidui, duriq; penates,
   Altera vos iunxit ramos quæ ſparget Oliuæ,
   Hic humor dulcis, reddentur & vbera plena,
   Effice quod cupiunt nunc *Hy*men, ò Hymenææ.
Caſtus amor Diana fouet, Lucinaq; caſtos,
   Spargite iam flores, noua ſemina ſpargite amantes,
   Queis proles ſurgat coniuncto vtroq; parente,
   Quæ patrem referat morum, & dulcedine matrem.
   Huc ades ò *Hy*menææ Hymen ades ò *Hy*menææ.
Eſt par connubium, maturum tempus vtrique,
   Conueniunt anni, mores, eademq; voluptas,
   Pectora iungantur non frigida pectora amoris.
   Huc ades ò *Hy*menææ *Hy*men, ades ò *Hy*menææ.
Quam felix virtute tua lætiſſima virgo,
   Educta ingenuè, ſanctoq; aſſueta pudori,
   Hæ dotes animi, eſt hæc anxia cura pudoris

Ipſa

Ipſa voca *Hymen*, ò *Hymenæe* ades huc *Hymenæe*.
Quam noua coniugij pertentant gaudia pectus?
Quam mens læta cupit dulces haurire liquores?
Tu Thalami virgo reſerato limina duri
Huc ades, *Hymen* ò *Hymenæe* hoc poſce frequẽter.
Tali digna viro, tanto contenta marito,
Quem Gloſſana domus genuit de ſtipite priſco,
Iuncta viro, pacis tu tandem deſere limen,
Pacem hanc tuq; ferens, aliena hinc limina poſce,
Hymen, ò *Hymenæe* ades *Hymenæe* ò *Hymenæe*.
Tu quoq; vir ſalue tantis digniſſime tædis.
Cernis quos cantus ſuprema ad ſydera iactet,
Optima pars vrbis, iampridem Agathenſibus oris
Nomine dicta tuo, vicisq; effuſa iuuentus,
Aſpicis vt nequeunt oculos explere tuendo,
Hymen, ò *Hymenæe* veni *Hymen*, ò *Hymenæe*.
Ex alto reſonant turres, incendia latè
Collucent, medijs Venus ipſa in millibus ardet,
Quam comes inſequitur iam mitis pronuba Iuno,
Quæ collecta ſinus, hoc mandat dicite carmen.
Exultans nimium, pſallens & pectore toto,
Hymen, ò *Hymenæe* voco *Hymen* ò *Hymenæe*.
Hinc redit æqualis matrum chorus, inde puellæ,
Anteq; ſignani pueri ſuper æthera tollunt
Vexilla, & molli dicunt noua carmina cantu.
Coniugium felix creſcat felicibus annis,
Lilia Gloſſanæ pręclara inſignia gentis,
Quàm bene, quam fauſte viridi iunguntur Oliuæ.
Hymen, ò *Hymenæe* faue *Hymen* ò *Hymenæe*.
Lucifer en pellit tenebras, lucem ipſe reducens,
Eſt tua iam coniux, lectum depoſcit eundem
Franciſca, hac, lubet, vt cupiunt potiare parentes,
Sint

Sint veri amplexus, dulcis ſopor irriget artus,
Atq; femur vinctum femori componat vtrunq;,
Et canite hymen, ò hymenææ en caſtra potimur.

Ad Ioſephum Gloſſanum in nuptijs Franciſcæ Oliuæ cum ipſo VII. Idus Decemb.

EDITVS Iapeto quondam ſub imagine falſa
In terras ignem quare exportauerit arce
E ſumma, quærunt minima nec plebe creati,
Sed nunc Phœbus adeſt, muſarum limina aperta,
Quod nos in ſomnis exhauſimus, accipe paucis.
Mortales longas ſegnes ſine viribus ignis
Noctes atq; dies traxerunt ſecula multa.
Frigida cuncta gelu, ſanguis concretus & ipſe
Eneruem (mirum) ſexum reddebat vtrunque.
Hinc genitum quod erat, nullo feruore vigebat.
Fœmina vix anno cernebat meſtrua toto
Bis, cuncti ductus riui tum frigore clauſi,
Quæ res admonuit anguſta Promethea magnum,
Quo cœlum peteret pennis armatus vtrinque.
Quid faceret? nam ſegnis erat, nec dulcia furta
Communi amplexu capiebat, cuncta ruebant
Ad nihilum (non vana loquor) nam fœmina, virq;
Plorabat, gemitusq; graues mittebat ab imo
Corde, pius quos iſte diu miſeratus adiuit
Effulgens Cœlum, candentia ſydera nouit.
Suſtulit hic latitans ignem, quo ferbuit omnis
Tunc ſubito, feruet quo fœmina, virq; ſubinde.
Senſit poſteritas communia munera cuncta,
Hinc prolem, ſobolemq; ſuo cum ſemine firmant
Fœmina, virq; pari certamine iunctus amice.

Decurrunt

Decurrunt fluuij, mittuntur flumina in arua,
Ignis clauſa diu reſerauit clauſtra ſalubris.
Pro quo magna ferunt cepiſſe Promethea dona,
Nec pro tot donis pœnas timuiſſe Deorum.
Immortalis adeſt firmando cuncta caduca,
Et mortale genus non ſe mortale futurum
Senſit, & Iapeti nomen celebratur vbique,
Ad prolem facundus adeſt, non ſegnis habendam.
Quo factum, vt limen poſcat matrona pudicum
Iapeti facilis, molles qui iungit amantes.
Hi ſunt, Vulcani quos ſtringit dira cathena,
Et præbet cunctis cernendos lumine claro.
Es voti compos, voti iam munera ſolue.
Cernantur fructus, appareat intus amoris
Ignea vis, proles referat quæ pulchra parentes
Vtroſq;, haud ſterilis Ianus vos terreat ipſe.
Felices idus, coluit quas Iuppiter vnus,
Quas ſibi thure dato ſacras delegit habendas,
Inſedit ſacris & Iuno ſuperba Calendis.
Numina reſpiciunt tantum duo maxima Cœlo
Votum, quod ſupereſt feliciter omnia firment.
Iuglandem Gloſſana domus ſonat omnis in ore,
Hoc qui naſcentur veneri ſub ſydere grati.
Eſt tamen euentus multo felicior iſtis.
Belligeræ Diuæ pacis & ſigna ferentis
Si radios recipit, ſedes ſi ſcandit eaſdem.
Ergo quam chari tibi ſeruauere parentes
Hac potiare lubens, hæc tecum Neſtoris æuum
Degat, ſit proles, te quæ ſuper æthera tollat,
Menſibus exactis bis quinq;, & ſponſa dolore
Exclamet, det opem Lucina, Hem parturit illa
Hymen quæ cecinit, tu nunc ades ò Hymenæe.

Ad Prandum.

Eſto ſalutatus, ſi quid mea carmina poſſunt,
Et ſi quid valeo, muneris omne tui eſt.
Non mihi Pierides, nec quicquam aſpirat Apollo,
Sat mihi, ſi Prand us ſemper amicus erit.

Ad Andream Burgium, pro Andrea eius filio.

NOMEN aui referens animo, generoſaq; facta
Andreas rapitur, ſed ſuper aſtra volat.

Pro eodem.

Andreas properat dum Andreæ maxima Burgi
Indole pręclarus facta referre puer.
Occidit in medio curſu, ah dolor vſq; parentum,
Ingens ſpes cecidit, mœret vterq; parens.

Pro eodem.

Vix duo luſtra dabat, cum protinus omnia rumpit,
Spem, claramq; fidem filius alta petens.
Hic potuit tantum maioris nomina ferre
Andreæ, quondam facta daturus erat.

Ad Rolandum Piſonem.

PISONI noſtro, blandam dic muſa ſalutem,
Quem mihi tu noſti mille placere modis.
Eſt doctus, prudensq; ſenex, iucundus, amicus
Omnibus, huius adeſt Cygnus in ore canens.
Nec tu ſis audax, temeraria, neúe loquare
Vana, pudor deceat, teque, tuosq; ſinus.

Limen

Limen adis ſacrum Phœbi, grauiumq; ſororum,
Hic reſidet grauitas, virgineusq; pudor.
Hic choreas agitant Clio, Cliusq; ſorores,
Aoniæ Phœbo plectra ciente chelys.
Pauca dato ſed multa feras ex ore diſerto,
Vt nobis merito digna referre queas.
Contemplare viri tacito ſub pectore ſenſus,
Incaſſum, caueas, ne tibi veiba cadant.
Auribus arrectis maneas narrantis ab ore,
Vſque ſequare virum, quo ferat ille pedem.
Te ſi dimittet, dicas, tibi reddo ſalutem
Syderei Piſo cognite ad aſtra poli.
Nomine deinde meo referas placido ore, valete
Qui teritis Clarij limina ſacra Dei.
Fontanella vale, fonteſq; valete recentes,
Qui patrium iugi ſpargitis imbre ſolum.
Fontanella vetus, veteri ſata gente Cremonæ,
Coruinis, Paulis amplificata Vale.
Hæc ſunt quæ cupio, muſam mandata referre,
Tempore quæ nobis ſcripta fuere breui.

Ad Ludouicum Trecchum, pro Ferando eius filio.

Hvc pater, huc adſis, huc mentem flecte ſeueram,
Hic graue chare pater pone ſupercilium.
Res tua nunc agitur, nec noſtri nominis ardor
Paruus ineſt, nimium me tua fama rapit.
Deponas faſces Martis, duroſq; labores,
Militiæ emeritus præmia pone tuæ.
Eſt hoc tempus equis ſpumantia ſoluere colla,
Frenandos alijs tradere tempus adeſt.

Deſeſſus longo, multoq; labore quieſcas
Omnes nos cupimus, noſtraq; tecta petunt.
Gloria clara manet, factorum magna tuorum,
Quæ viget in terris, plena per ora virum.
Hæc, hæc certa manet, cunctis manifeſta futura,
Dum regat imperium, qui tenet orbis opes.
En adſunt nati qui poſſunt frena tenere,
Et patris imperium lege ſubire graue.
Ergo cede tuis tandem poſcentibus vltro
Natis iſtud onus, iam tibi parta quies.
Horum ego præcipue celebrari nomen auorum,
Et patris cupio nomen in aſtra dari.
Ipſe Ferandus ero laudi referendus auitæ,
Si qua fata dabunt poſſe referre meos.
Interea fatis melioribus vtere, vitæ
Conſule, conſilio nos pater ipſe iuua.

Ad amicum non ſtantem promiſſis.

EST vbi priſca fides cunctis ſeruata procellis?
Eſt vbi polliciti dextera larga tui?
Hæc ne vaneſcant, properes & fronte ſerena,
Dicas, huc adſunt dextera, priſcæ fides.

Ad Venetorum Religioſiſſimum Legatum
Mediolan. pro Io. Franciſco Ahala.

GRATVS ades, gratusq; venis, gratusq; receptus
Hæc crebro repetunt, quæ tibi tecta patent.
Nos fortunatos, & tanto nomine lætos,
Vt quem res Venetum vix capit, hic habitet.
Huc cum veniſti, primum ſenſiſſe videbar,
Eſt vbi Franciſcus. Eſt vbi nunc Fabius?
Adſumus, & læto tibi dicimus ore ſalutem,

Dij tibi dent Pylios, Euboicosqúe dies.
Non procul hinc colimus Phœbum, doctasq; ſorores,
Hic noſtrum ſtudium, continuusqúe labor.
Et caſti mores hic fonte bibuntur eodem,
Gloriam ad antiquam, perpetuumqúe decus.
Vt poſſis, ſimilesqúe tui ſuccedere tectis
His merito & dicas gloria priſca manet.
Ergo tu læto nos lætos accipe vultu,
Et viuas noſtri tempus ad omne memor.

Ad eundem Pro Fabio Ahala.

Sic tibi dent ſuperi multos ſupereſſe per annos.
Sic votis faueant numina grata tuis,
Lætor vt incolumem noſtros viſiſſe penates,
Quos tibi dant patrui, dat pater atque meus.
Si Fabij nomen Venetas peruenit in oras,
Hic (grauis vt ſiſtas publica dona) cupit.

Ad eundem pro Franciſco Ahala.

Plvrima dicta ſalus, & vos ſaluete parentes,
Quos Dij perpetuent in mea vota precor.
Eſt ius legati non parui muneris. Aſt hoc
Legatus Venetum, quid Ioue maius habet?
Huius amicitiam nobis non eſſe negatam
A' Ioue quid maius poſcere quis poterit?
Tu nos amplexus, amplexibus vſque foueto,
Hæc amplexa domus te fouet, hæcq; colit.

Ad Muſam quam mittit ad Legatum Venetorum pro Franciſco Ahala.

I mea muſa lares patrios, veteresq; penates
Accede, & paucis mollia iuſſa cape.

Ingens

Ingens ſplendor adeſt (fateor) perſtringit ocellos
Ille meos, titubat mens mea, & ægra labat.
Imperfecta dabo, mandas quæ verba ferenda,
Tutius his tectis me latuiſſe probes.
Vnde pudor tantus? timor vnde hic nempe pudendus?
Tu caue ne titubes, fractaqúe iuſſa feras.
Hic Legatus erit Venetum, patruiq; ſedentes
Hunc iuxta. Hic habitat caſtus vterq; parens.
Noſtris te verbis iubeo ſaluere parentes,
Legatum, & patruos, numina cara mihi.
Hiſq; velim dicas tectis nos affore in ijſdem,
Certe erit his dictis plurima dicta ſalus.
Te ſimul vt Venetas abiturum ſenſimus oras.
Heroum ſedes aurea tecta Deum.
Franciſcus, Fabiusqúe tibi nunc flamina læta
Orant, nec timeat naufraga puppis aquas.
Redditus inde tui ſoſpes, validuſqúe ſalutem,
Quam tibi præſenti dicimus, ore dabis.
Te Franciſce colit Franciſcus, diligit, atq;
Suſpicit, atque tuis te ſupereſſe cupit.
Iamqúe vale, memori ſeruato pectore amicos,
Quos tibi dat patria hæc, quos tibi noſtra domus.
Muſis me interea dedam cum fratre ſecundis
Hic, vbi muſarum plena Theatra vigent.

Franciſco Legato Venetorum, pro
Ioanni Franciſco Ahala.

QVI ſceleris purus, vitæ integer, eſtq; pudicis
Moribus inſignis, conſilioqúe grauis
Relligioſus erit, Legati & nomine dignus,
His tu cum præſtes, relligioſus eris.
Ergo

Ergo illuſtratum ſublimi nomine nomen,
Ne moueat ſenſus relligioſe tuos.

Pro Io. Franciſco Ahala in cœna natalis Chriſti.

ORBIS erat cœca quondam caligine preſſus.
Errabant campis homines, & ſenſibus ipſis.
Non lex vlla ſatis præcordia firma ligarat.
Sit quanquam ratio cunctis pro legibus vna.
Non diuinus erat cultus celebratus in orbe,
Quem diuina cupit rerum prudentia patris.
Quare fatorum currentem hic ordine certo
Accepit virgo lucem, quam reddidit orbi
Nocte hac, quæ fulſit mortalibus omnibus alma,
Quæ tenebras terris dimouit lumine claro.
Eſt hæc, quæ noſtris perfulget ſenſibus imis,
Lux Cœlo nobis claro dilapſa per auras.
CHRISTVS adeſt ſolus patris ſententia ſummi.
Hic tabulas veras, hic liquit iuſſa parentis.
Hanc quare lucem capiamus dum licet ipſam.
Huc pater accede, huc patrue, huc chariſſima mater.
Hæc eſt ſola quies animis, hæc ſola voluptas.
Quam (rogo) ſumme parens ſupera da luce beari,
Si te mente pia colimus, precibusque vocamus.
Da quoq; quo Daniel, chari mihi quoúe parentes,
Quo domus hæc omnis poſſit celebrare quotannis
Natalem, feſtumq; diem hunc memorare ſalubrem.
Vos tandem læti diſcumbite. Gratia cunctis
Hæc nunc effulſit mentes difuſa per omnes.

Pro Fabio Ahala ad eandem cœnam.

ACCIPE ſumme pater ſummi moderator olimpi,
Quas tibi noſtra domus fundit ab ore preces.
Nos

Nos omnes ſerua incolumes, ſeruaq; parentes,
  Quo poſſint natum mente videre tuum.
Hæc eſt illa dies, qua natum maxima mater
  Edidit, illeſa virginitate tuum.
Tu nato frueris nati naſcentis & ipſi,
  Effice, poſſimus, nos celebrare diem.

Laurentij Cælij carmen ad Zauam.

Magnvs equo, pedibusq; valens, certare priorum
  Cuius Zaua potens, quos Iouis aula fouet.
Tantus es arte lyræ quantum miratur Homerum
  Græcia, vel quantum Mantua Virgilium.

Zauæ carmen ad Cælium.

Parvvs equo, pedibusq; minor certare priorum
  Cum minimo, terrent nomina tanta virum.
Præcluſere ſibi quæ reddant auia cunctis,
  Altus Mæonides, grandiloquusq; Maro.
Ergo ſeruato legem, quam ſanximus ipſi,
  AEquum nil præter, iudiciumque graue.

Cælij carmen ad Zauam.

Carmen, cum legerem tuum, Poeta
  Dixit neſcio quis, Catullianos
  Hoc mihi redolet poema ſenſus,
  Et phraſim redolet Tibullianam.
  Hinc, quantum ſalis, & facetiarum
  Inſit carminibus tuis videto.
  Quæ dempto titulo merent Poetæ
  Priſci nomen adhuc recentiora.

Zauæ

Zauæ carmen ad Cælium.

LAVRENTI decus elegantiarum,
Atque idem pater omnium leporum,
Quem nos plus oculis amamus ipſis,
Quod mihi Hendecaſyllabum dediſti
Carmen detinuit meos ocellos,
Catulli magis, atque Martialis
Excultum numeris, venuſtiusque.
Fac vero illius vt ſciam Poetæ
Nomen, quo referam pares vtrique
Grates, & foueam ſinu hunc Poetam.

Eidem Dialogus, & Orat.

CAELI cur tanti nos pendis? num quia patrem
Velles poſt obitum luce perenne frui?
Hac fruitur, clara contentus luce tuorum
Quæ das, & laudat ſcripta diſerta pater.
Nos hæc tecta fouent, poliuntq; dolantq; paterna
Arte, magis tuto vt detur adeſſe palam.
Ne credas patrem multos ſudaſſe per annos
Fruſtra, cui es tali iunctus amicitia.
Perge, tuis doctis & defer nomen in aſtra
Verſibus, hic ſedes, gloria & alma viget.
Nos tenebris latuiſſe iuuat, latitare iuuabit,
Dummodo tecta velit nos habitare pater.

Laurentij Cælij carmen ad Zauam.

NOBISCVM fuit hic diebus octo
Stangarum decus, ille, qui ſuperbas

AEdes incolit, haud procul beati
Lucæ ſedibus. hic auum Puelli
Adduxit comitem mei, duobus
His Franciſce libens dedi legenda,
Quæ magni canis ad lyram Maronis,
Et quæ fontibus hauris è diſertis
Diuini Ciceronis, aut Tibulli.
Perlectis quibus, inuicem tuentes
Se, dixere, nimis Cremona debet
Huic, qui perfacili via ad Thaliam
Perducit iuuenes, ſeuerioris
Cui ſecreta etiam patent Sophiæ,
Iuncto ſeu pede, ſeu magis ſoluto
Optat Caſtalios lacus vagari.
Iam ſcis, quod faciant viri probati
De te iudicium, fideſque quanta
Sit ſermonibus ijs habenda; Cæli
Sed Franciſce tui memor valeto,
Qui te plus oculis amat, fouetque.

Ad eundem.

Prome tui nobis quicquid peperere labores
Zaua per hæc ſeptem luſtra peracta tibi.
Vatibus ede nouis, pariter placitura vetuſtis,
Cœcropio quæ ſunt cuncta referta ſale.
Pande viam, qua quiſq; Deum conſcendat ad aſtra
Ex humili & ſe ſe deniq; tollat humo.
Hoſtibus ede tuis, quæ ſunt ventura dolori,
Egregiæ laudi quæque futura tibi.

Bartholomæi Zauæ, & Margaritæ Lanciæ
parentum manibus.

MORTALES fortuna potens, nimiumq; ſuperba
Arbitrio ludit, ſollicitatque ſuo.
Quos etenim curſu Diuum, lætisq; quadrigis
Vexerat in Cœlum, deijcit, hæcque premit.
Nec ſatis, inſequitur, vexat, turbatque iacentes,
Nec patitur caſus flere viceſque ſuas.
Ij vix defeſſum caput erexere, flagello
Cum ſæuo inſequitur; hos pedibusque terit.
AEquarat ſuperis, cunctis dederatque videndos,
Sublimes fama, nomine percelebres.
Hos imos manes, Barathrumq; immane videre
Inuitos cogit, præcipitans temere.
Armentum, charique gregis corrumpit ouile,
Et macie extrema perdit vtrumque genus.
In ſegetes truculenta ruit, populatur ariſtas.
Nec prius inde fugit, quam decus omne ruit.
Suſtulit hinc alis celeriſque ad tecta volauit.
Hic tanquam bubo flebile carmen habet.
Funerea hæc non ante ſilet, quam murmure rauco
Impleuit ſaltus triſtia fata canens.
Hic euerſa domus ſubito cum principe tecti,
Extincta eſt ſoboles. Ridet, abitque cito.
Hæc alios bello illudens ſectatur iniquo,
Inuidia hæc alios rodit acerba viros.
Exilio hæc mulctat, torquet, cruciatq; miſellos,
Indos extremos cogit adire (nefas)
Excutit hæc alios, nummis, vacuosq; remittit
Plangentes pectus, quid miſeri facimus?
Iudex iratus, durus, furibundus, iniquus
Iuſſit abire focis, fontibus & patrijs,

Hinc migrate, noui ſuccedunt nāmq; coloni,
Qui ſedem hic ponant, veſtraq; tecta colant.
Vos hoc experti dulces charique parentes,
Ingens eſt cordi vos meminiſſe dolor.
Hoc hæret venis penitus hoc vulnus adactum,
Vſquam nec vobis eſt medicina data.
Maiores veſtri clari, diteſque fuere;
Errabant pratis millia multa boum.
Albas paſcebant latis in vallibus agnas,
Quas color & varius, tinxerat ora decens.
Mulcebant calamo ſuſpiria, ſi qua trahebant
Corde infelici, quis ſine nullus adeſt.
Hymnos; aut Diuum cantabant carmine amœno,
Haud hominum triſtes, inſidiasque graues.
Illis pagus erat non longe à mœnibus vrbis
Noſtræ, fœcundos hic coluere lares.
Ah nunc diuiſus totus, penitusq; paternis
Sedibus auulſus. Aſpera fata nimis.
Martialengus erat pagus ditiſſimus agri
Noſtri, qui priſcum nunc quoq; nomen habet.
Et rerum, cenſusq; manent veſtigia auiti,
Poſſidet hic Petrus iugera parua ſoli.
Hic & nomen habet, fundos, paruosq; paternos,
Ne peruerſa ætas deleat omne decus.
At vos erraſtis vitæ, dubiæque ſalutis
Incerti, & timidi, nam via clauſa fuit.
Linquitis antiquos, patrios, miſerosq; penates,
Maurorumq; inopes tenditis inde caſam.
Parui tunc nati veſtigia veſtra ſequuntur
Ah gemini, hic lachrymas quis retinere queat?
Nondum natus eram forſan melioribus annis
Ortus qui erigerem tecta reuulſa patrum.

Huc cum veniſtis noua lux fulgere repente
  Viſa eſt, hic vobis connubium ſtabile.
Hic tibi iuncta parens, communi fœdere lecti,
  Dos hic matris, erant hic bona cuncta tibi.
Sed quid? adhuc veſtros ſors non miſerata labores,
  Exagitat miſeros pallida namque fames.
Hic ſoceri venduntur, aui venduntur agelli,
  Hic precio haud magno venditur inde domus.
Ijs vos cum telis fortuna vrſiſſet, acerbo
  Sex natos merſit funere parca ferox.
Et Lupus in natam ſæuit, cum parua Mineruæ
  Artes acciperet, proxima in æde bonas.
Quos gemitus, lachrymas, quas nuncius excitat ille
  Dicens, heu natæ viſcera rapta lupo?
Vos tamen hic animo forti manſiſtis, in aulis
  Tanquam Socraticis altus vterque foret.
Solus eram vobis ſolamen, ſola voluptas,
  Ad quem confugeret veſtra ſenecta grauis.
Artibus ingenuis ideo me miſtis ad vrbem
  Ornandum, & claris dotibus ingenij.
Vt mihi ſi qua forent quondam fœlicia fata,
  Hacce via poſſem tunc meliore frui.
Huc veni, cœpiq; lubens tentare quid eſſet
  Ingenij. Auerſus totus Apollo fuit.
Quid miſer hic faciam? dixi tentanda labore
  Eſt via nunc multo: Quid mihi iam ſupereſt?
Paulatim incipio Phœbi reſerare Theatrum,
  Et penitus muſis inuigilare nouem.
Occurrunt paſſim ſulcis hic gramina odora,
  Accedo propius, florida ſerta lego.
Hic fortuna mihi ventos inflare ſecundos
  Cœpit, quis legerem littora tuta breui.

Vix

Vix portus manibus tetigi, vix carbaſa legi,
  Vix nauem ingreſſus, quæ mihi parua fuit.
Vix inquam tenui tandem firmata carina
  Nauis. Erat paruo parua lucerna foco.
Cum vos (hoc meminiſtis enim, & memorare neceſſe)
  In tenuis iuſſi nos propenare lares.
Veniſtis, datur amplexus, danturq; viciſſim
  Oſcula, ſunt nobis gaudia iuncta ſimul.
Nati fortunas tenues, charosq; parentes
  Hora breuis iungit, horaq; grata capit.
Illo felici me tempore dulcis alebat,
  Armis clara virum, docta Cremona potens.
AEdes conduco anguſtas, anguſta ferebat
  Id res, has colimus, huc ferimusq; lares.
Integer hic annus, menſes mihi ſexq; fuere,
  Hac iuuenum ob turbam cogor abire domo.
Vndique conueniunt iuuenes, ædesq; frequentant,
  Quas habitat Phœbus, Pieridumq; chorus.
Illas auſpicijs melioribus emimus acti,
  Quas norunt ciues, quas bonus hoſpes habet.
Barbara tum primum natorum maxima Rocchi
  Brumani Thalami fœdera iuncta ſubit.
Hinc vt ducatur proles ſuſcepta per annos,
  Quæ reddat priſcam, reſtituatq; domum.
Læta fronte parens, palmas ad ſydera vtraſq;
  Attollens, inquis, hæc domus, hæc patria eſt.
Siſte pater ſuperum, nobis quæ fata dedere.
  Sat fortuna mihi, ſat mala, ſatq; potens.
Vos precor ò ſuperi nobis eſtote benigni,
  Seruate incolumes noſque, domumq; boni.
Soluimus hic grates diuis, cumulamus honore
  Hic Diuos, nobis vnde repente ſalus.

Qui noſtros caſus miſerati, totq; labores,
  In tectis iiſdem nos habitare vident.
Meq; pares grates diſſoluere poſſe parenti
  Vtrique efficiant, mox ſimul ore precor.
Vos ego veſter alo hic natus, dulciq; labore
  Suſtento, noctes non vigilare piget.
Nec vos pro nato duros ſubiiſſe labores,
  Nec piguit quondam mille pericla pati.
Has ſubito ingreſſi ſedes, repetiſſe penates
  Viſi eſtis veteres, priſcaq; tecta patrum.
Hæc duo luſtra colis mecum pater optime, mecum
  Hæc habitas. Supero redderis inde polo.
Mater ſola mihi miſero, mihi ſola voluptas
  Permanſit, ſenio deteriore grauis.
Bis ſeptem fuerant vobis iam luſtra peracta,
  Cum fatis meritam ſoluit vterque diem.
Quod viuis potuit natus perſoluere, ſoluit,
  Vos iam defuncti carmen habete meum.
Bartholomæe vale, vale Margarita, parentum
  Saluete ò cineres, oſſa valete pia.
Sit vobis ſine fine quies, ſine fine ſepultis
  Fulgeat & veſtris manibus vſque dies.

Ad Io. Baptiſtam Turrianum Cremonenſem Hieronymi Cauſidici filium.

NON magis ex adytis referuntur dicta ſeuer
  Muſarum iuuenis, quam tu præſcribis amico,
  Iampridem ingreſſus ſeptem qui luſtra Quiritum.
  His monitis melius nil, & præſtantius ore,
  Qui Pylij longos ſuperaret Neſtoris annos,
  Exiret, greſſu facili quo ſiſtere poſſit

Montibus

Montibus Aonijs, cui ſunt reſeranda Theatra
Phœbi, qui puros cupit exhaurire liquores.
Ne fundata parum caute domus excidat omnis,
Neúe ruat nauis ſomno rectore grauato.
Senſus cognoſcens, meditans & quodq; latinum,
Res narras pulchre, veterem nec ſpernis amicum.
Adde quod & ſequitur, repetant qui tecta Deorum,
Sint vbi mente pia, myſteria mente colentes,
Qui ſeruare volunt mores, & diſcere ſacros.
Argumentum ingens Chriſti qui ſigna ſequuntur.
Talia cum cerno fidei veſtigia ſacra
In iuuene, & Phœbi nutrito carmine dulci,
Dico, quæ partes iuuenum rectoris habentur?
Ad cuius mores currit male firma iuuentus?
Laurus erat quondam qua cincti tempora ſacra
Ductores Teucrum claſſis, maria alta ſecantes,
Vrbem cum peterent, armato milite ſepti.
At Laurus cecidit. Laurentum & corruit omne.
Quod ſuper exiſtens Turris patefecit inane
Quicquid erat, tumidum, quo ſi quid forte lateret
Hic vitij, medica, ne ſerperet, arte probatus
Sanaret, meliora ſequens, virtute Magiſtra.
Hæc eſt, ni fallor, Turris, quæ lampada nautis
Præbebat longe, ne quiſquam naufragus eſſet,
Aut errore viæ, penetrabat in vltima terræ.
Dij ſeruate viris Turrim, ſeruate perennem
Hanc Turrim, noſtræ pellentem mœnibus vrbis
Inſidias, perdunt furtim quæ ſuaue papauer.
Reſpicite hanc Turrim ſublimi è vertice diui,
Turriculoſqúe omnes, & ſceptra, & lilia, & arces,
Ianellumqúe ipſum, quem nunc Hiſpania diues
Præſtantem ingenium nutrit, quem ſæpe Philippus,
Poſt

Poſt curas regni gratas obſeruat in horas.
Huic ipſe exoluo, quas poſſum Carmine grates
Et dico, Turris, Turritæ grata Cremonæ,
Ede grauis fœtus, monſtrent qui lumina ductis
Huc illuc errore viæ, qui limina tecti
Noſcant, & Turri perſoluant debita vota.
Quæ Inſubrum quondam ſeruaſti legibus vrbem.

Ad Carolum Schinchinellum in nuptijs
Europæ Anguiſſolæ.

MAXIMVS in terris quondam quia Carolus vnam
Europæ partem, Carole ſolus habes.
Hac potiare omni, diuiſqúe fruare ſecundis,
Vt magno maior Carolus eſſe queas.

Ad Rolandum Piſonem ſuum.

OBSCVRE cur Piſo canis? cur carmina læſa
Integer, & prudens mittis amice mihi?
Oedipus haud dicor, Zopirus nec nominor vlli,
Qui magni faciam candida ſcripta dari.
Eſt mihi pura Venus cordi, quam gloria quærat,
Hanc animo tracto nocte, dieq; meo.
Id quare faciam ſcis. Non tu inglorius ipſe,
Sed tamen hoc dubito ne mea vota ruant.
Mortem contemno, tenebras exoſus inertes,
Optaui ſemper luce perenne frui.
Purus amor tuus, at noſtro non purior vllus,
Quo te complector candide Piſo meum.
Quod tibi noſtra placent quæ furtim Muntius olim
Abſtulit, hoc te illi munus habere velim.
Iſtuc cum venient multo limata labore
Gratius hoc fuerit, quod mea muſa probat.

Eſt tamen vt grates quã poſſum voce Camillo
Nunc referam, tanti qui mea verba facit.
Andinus, Ciceroq; tibi minitantur, & æque,
Quorum, me laudans, deprimis ingenium.
Annos vt multos videam, vel Neſtora vincam,
Gratum eſt, ſed quorſum? ſtat ſua cuiq; dies.
Hæc veniunt propere, deſcripta hæc carmina nobis,
Quæ ſaluere velint dulce poema tuum.

Eidem.

Legi Piſo tuos verſus, ſub tegmine fagi
Compoſtos, redolent dulcia verba ſenum.

Scaluo.

Scalue tuos nidos conſcende, en Scalue recentes,
Quos tibi Zaua tuus ſeruat, amice veni.

Pompeio Donineno.

Pompei quid agis Phœbi dulciſſime alumne?
Scis tibi quid poſcam? ſecula, regna Midæ.

Cuidam amico.

Pallados ingredior ſublimia templa ſacerdos
Ingreſſus, luſtro clara Theatra Deæ.
Quod ſum pollicitus tentabo arcana recludens,
Sed tu mitte cito quod mihi pollicitus.
Et te quo memori ſignatum pectore ſeruem
Ede pari ſtudio, quo properemus iter.

Ad Torniolum I. C. Cremenſem.

Palladis egreſſus Diuæ, Phœbiq; Theatro
Filius hinc viſit te, patriumq; ſolum.
Inter-

Intermiſſa iacent muſarum ſtamina feſſa,
  A' ſtudijs animos exhilarare iuuat.
Hic nimio feſſus ſtudio, longoq; labore,
  Cum ſocio vires quærit ab arte domi.
Aeris eſt dulcis mutatio, ſuntq; parentes
  Dulces, materno lacte quid vberius?
Scire potes quantum ſtudijs profecerit ipſe,
  Viribus eſt tardi præditus ingenij.
Moribus ingenuis præſtat, niueoq; decore,
  Dignus amore tuo, dignus amore meo.
Te ſaluere velim interea, patriosq; penates,
  Tu vero noſtri ſis memor, atq; vale.

Pro quodam amico.

ADRIA nil quondam ſummo vidit Ioue maius,
  Pallade tu natus, laurigeroq; Deo.
Alcides miſero iacuit ſuperatus amore,
  Reſtiterat telis frater, & alma ſoror.
His pater eſt verus. Semen de vertice traxit,
  Quo mater ſapiens, quo ſapit atq; pater.
Ille at mortalis formatus matre caduca
  Cum Semele perijt. Nec Deus ille fuit.

Epith. Laurentij Cælij Vallis Tarrienſis.

QVAE tibi dona feram Cæli, dudum addite Cœlo
  Laurenti? Cœlum Cælius hinc abeat.
Iſtic heroum laudes, quorum vltimus orbis
  Auditurus erat, nomen, & arma cane.
Dent ſuperi vincas, quæ mors prærupit iniqua,
  Quæ norint diui, non potuere viri.
Ingens morte tua Cæli tibi gloria parta,
  Attamen hæc doctis maxima damna tulit.

Fata dedere tuis miſere ſolamen amice
E tectis patrijs ſcandere tecta poli.
Caſta vbi cum natis potuit tibi claudere coniux
Lumina, & hæc ſolito dicere more, vale.
At nos quod munus, lachrymas quas fundimus ipſi,
Hac qui luce mihi carior vnus eras?
Vxor te viſo incolumi moribunda reuixit.
AEgra tulit mortem ſed tibi tum valido.
Hæc tibi nunc ferimus, vix permittente dolore
Hæc fari, Cæli ſpiritus alme vale.

Ad Eundem.

Sic Cœlum cumulas? Cæli ſic linquis amicos?
Ah te felicem, ah nos nimium miſeros.
Tu nunc quid mores, virtus quid lucida poſſit
Cernis, cum reliquis candide cœlicolis.
At nos implicitos varijs erroribus vſque,
Quid nunc ſit virtus præterit, atq; latet.
Viue, vale gelidæ morti haud obnoxius vlli,
Et quanti faciam te, memor eſto. Vale.

Pro Eodem.

Quicquid erat mortale ruit, nunc viuis in aſtra
Raptus, Parcarum iura ſubacta tibi.
Nos ergo lachrymas Cæli ponemus in aula
Te contemplantes, eſt vbi certa quies.

Pro Eodem.

Lauro dignus eras Laurenti in littore nata,
Cœleſti Lauro tempora cincta geris.
Aula in cæleſti turba comitante Quiritum
Conſiſtis victor, clara Trophæa canens.

Pro

Pro Iulio Gozadino.

IVLIVS hoſpitio iuuit quemcunque benignus,
Nec quicquam hoſpitio gratius hic habuit.
Dum fuit in terris, errantibus hoſpes, & aura
Portus erat cunctis, hoſpitiumq; bonis.
Nunc immaturo Gozadinum funere ademptum
Flent merito, quis enim temperat à lachrymis?
Incuſant Diuos, quorum inclementia tantum
Præſidium terris ſubſtuleritque viris.
At tu nunc gratus Regi omnipotentis olympi
Aſpicias ſuperis ſedibus vſque tuos.
Effice nunc precibusq; tuis, effulgeat alter,
Qui voueat miſeris omnia, ſeq; ſuis.
Vt ſit qui foueat tectis & ſede receptos,
Quos fortuna premit, inſequiturq; grauis.
Scis noſtriq; memor Iuli, ſuperosque precare
Dent tecum nobis poſſe habitare diu.

Pro Eodem.

Qui ſacras Muſas, leges qui noſceret almas,
Qui morbi cauſas diſceret atque Sophos,
Iulius hunc hilari vultu excipiebat amico
Hoſpitio & propria largus alebat ope.
Nunc hoſpes Cœli frueris, Gozadine Deorum
Hoſpitijs, hominum qui prius hoſpes eras.

Pro Eodem.

Nunc Gozadine tuo diſceſſu languida pallent
Priſca fides, pietas, relligionis honos.
Omnibus auxilium, miſeratus opemq; ferebas
In terris, Cœlo nunc pius affer opem.

In

RETHORA magnanimum deflent hoc marmore muſæ
  Diſciſſæ crines, purpureaſque genas.
Deturpat faciem lachrymis nunc æthera complens
  Mœſtus Apollo deijcit atque lyram.
Namq; qui nunc reſonet Tragico atria mœſta tumultu
  Nullus adeſt. Phœbi nunc decus omne perit.
Quem nunc horrebunt? cuius nam magna timebunt
  Spicula? qui metuent aſpera verba truces?
Nec iam magnanimi heroes heroica chartis
  Facta legent, Phœbi deperit omne decus.
Nec qui ſcrutetur motus, arcanaque Cœli
  Eſt hic, aſtra manent nunc ſine mœſta duce.
Orbatæ muſæ fulgenti lumine, plangunt,
  Orbatus tanto lumine Phœbus abit.
Non Orator erit, feſſas qui mulceat aures,
  Nec qui ſuſtineat munus vtrumque rei.
Qui nunc extollet diuini carmen Homeri?
  Qui Maro nunc laudes ſentiet ipſe ſuas?
Purgabat vitium libris, errataqúe, lumen
  Vtraque lingua ſuum perdidit atque decus.
Qui ducturus erat Latios, Graiosq; tonantes,
  In ſcenam, hunc nobis parca repente rapit.
Lugebat nimium conuerſis Græcia fatis.
  Flet magis hæc tanto nunc obeunte viro.
Hoc Epidaurus erit magno perculſa dolore,
  Hos Aſia & luctus ſenſerit ipſa graues.
Quare quid mirum ſi rumpunt pectora Muſæ
  Et Graiæ, & Latiæ, dilacerantque comas?
Siq; Cremonenſes cani, viridisqúe iuuenta,
  Et pueri laceri pectus, & ora dolent.

Non

Non alium nobis longo poſt tempore talem
Qui decoret patriam ſecla futura dabunt.
Flete Duces, perijt qui vos, & veſtra ferebat
Acta polo; veſtros quiqúe canebat Auos.
Hic Aquilas veſtras comitatus carmine docto eſt,
Ante oculos pugnam Martis, & arma ciens.
Cædes, ſingultus, ſuſpiria Martis anheli
Edebat, tanquam fortis in arma ruens.
Defleat & natus, pater & nunc defleat omnis,
Tanta eſt iactura hac morte ſequta viri.
Italides Muſæ, Graiæ ah diffundite crines,
Veſter honos perijt, atria veſtra iacent.
Eluſi fuimus, qua ſpe falluntur inani
Mortales, patimur, vulnus id aere ſatis.
Huic parce immites ruperunt ſtamina duræ
Mortis, quid? Diuis eſt iubar iſte nouum.
Hic curas noſtras miſeratus numen adorat
Regis ſupremi, quo pia vota cadunt.
Ergo Muſoni ſalue ſuper æthera lumen,
Qui in terris ſolus lucida lampas eras.

Muſonius ad ſuos.

Sic viſum Regi ſuperum, qui flectit in horas
Lancem, iam vixi ſtat ſua cuique dies.
Viximus in terris, iam bis ſex luſtra peracta,
Innumeros annos Dij ſuper aſtra dabunt.
Per mare, per terras Epidauro ex vrbe profecti
Venimus in patriam, nunc vbi grata quies.

Idem.

Iam ſenſit noſtros Epidaurus & alma Cremona
Fructus, nunc Diuis, colloquioq; fruor.

Idcirco

Idcirco lachrymas Ciues deponite. Vixi
Quod ſupereſt vitæ, viuo per ora virum.

Pro Eodem.

Romulidis morbos Epidaurius anguis abegit,
Attulit huic mortem, (pro dolor) anguis atrox.

Pro Eodem.

Defunctis pelagi magnis, terræqúe periclis,
Defunctus vita, iam vitæ luminis expers.
Nunc Iouis eſt magni Muſonius incrementum.
Aſpicit hincqúe ſuos hinc charam deſpicit vrbem,
Atq; hic cum ſuperis agit immortalibus æuum,
Frigida marmoreo tumulo nunc oſſa quieſcunt.

Pro M. Hieronymo Vida.

QVID nouus hic ardor præfulgens æthere in alto
Ciues? quid Cœli motus vbique nouus?
Quæ noua Cœleſtum pertentant gaudia mentes?
Ciuibus è veſtris num noua lampas ineſt?
Hoc certe. Diuos cecinit qui maximus olim
E' terris, diuum tendit in aſtra Deus.
Ergo nouas aras Diuo nunc ponere oportet,
Quo nobis reddat numina grata Deum,

Pro Eodem.

Nuncius è Cœlo quid nobis nunciat iſte?
Qui cecinit Diuos nunc ſuper aſtra Deum.
Hinc illi motus, hinc illę lampades aſtris
Pendentes, media cum face luce dies.

Pro Eodem.

Hic natus, Romæ inſignitus honoribus, Albæ
Defunctus, Cœlo nunc pia vota capit.

FINIS LIB. II.

LIBER TERTIVS
Carminum Ad Diuerſos.

FRANCISCI ZAVAE.

AD LVDOVICVM MARCHVM
ROMAM PROFECTVRVM.

HEROVM princeps Latij; quos Græcia quondam
Mirata eſt,quæ nã te inuaſit tãta cupido,
Vt Romã poſcas ſublimia tecta Deorum?
Nõ hic more patrũ,muſarũ carmine nitar,
Non reſponſa petam Phœbi , voceſúe ſororum .
Ad te confugio mihi ſancti numinis inſtar.
Num te ſceptra manent igitur miranda per orbem
Marche patrum,quæ tantum alios ambita fatigant,
Sed ſolus capit, & cunctis pręfertur, & auro
Tempora tergemino redimitus præſidet orbi
Sacrorum rex , imperij qui tractat habenas ?
Hic rumor noſtras nuper delapſus ad aures
Arces Dardanidum te velle inuiſere diuas,
Crebrior inq; dies percurrit quodq; Theatrum,
Vel Cœlo miſſus (quod credo) numine Diuum,
Vel ſit vox hominũ,hic rumor nunc ſenſibus hæret.
Ingens heroum (ni fallor) maxime pungit
Ardor , teq; dies longas , noctesq; ſupremas

Sollicitat, ne tantus honos capiatur ab illo,
Qui virtute pari tecum non currere poſſit.
Non labor vllus erit tantis admittier vltro
Donis virtutis, queis præſtas inclytus vnus.
Hæc via ſtricta quidem, doctis patet attamen iſta,
Herculis hacq; via vincuntur ſæpe labores,
Hac ſeruatur honos, multo ſudore paratus,
Confugiunt hos ad portus, hæc limina poſcunt,
Qui te nobilitate pari, qui moribus vnum
Suſpiciunt, ij te, ſed non virtute ſequuntur.
Doctus es, & prudens merito ſuper æthera notus,
Heroas priſcos ſuperas virtutis honore,
Qui decorat vitam, qui ſeruat, teq; beatum
Efficit, in terris mirandum reddit eundem
Omnibus, & tacitus tanta virtute renides.
Ergo Roma potens, fœcundaq; mater habebit
Te ſine me clarum, diuis gratumq; futurum?
Id doleo, nec mente fero (fortaſſe ferendum)
AEqua, dimidio pars qui mihi ſolus adeſſe
Hic poteras, nobis valide & conſiſtere vitam.
Me tu nunc linques, olim quo charior alter
Non lateri hærebat, veſtigia docta ſequendo
Immenſa vt noſtrum pertentant gaudia pectus,
Te quando inſpicio luſtrantem mœnia noſtra,
Lucidus es Caſtor, Pollux tu candidus idem,
Flammis ſydereis, luſtratus lumine Phœbi.
Te ſi quando vident homines in limine ſtantem
Lampas adeſt, dicunt, hic noſter lucifer almus.
Vt te mirantur ciues ex ordine quoque?
Vt te ſuſpirat referentem verba Catonis
Sexus vterq; ſimul referantem & dogma Platonis.
Nam bonus es cunctis, largus, totusq; benignus.

In genui

Ingenui mores, clara, & doctrina parentum
Auguſta illuſtrant te maieſtate nitentem.
Theſea Pirithous non tanti fecit amicum,
Te quanti facio nulli virtute ſecundum.
Hoc mecum repeto, patriam, illuſtresq; penates
Linquet hic, & poterit flentes hic linquere amicos,
Pro quibus vnus erat qui mille ſubire pericla,
Mille ſubire neces, tanquam fortiſſimus Hector
Hic eſſet, fortis vel Lariſſæus Achilles?
Ortus hic eſt rumor cum primum pallida quæq;
Fœmina, virq; ſimul lachrymis conſumptus inhæret.
Omnes, vt maneas, faciunt nunc vota viciſſim.
Tantus ineſt cunctis exurens pectora mœror;
Ne tu diſcedas, peregrinaq; tecta reuiſas,
Es qui præſidio cunctis, qui mite leuamen.
Non ſunt hic dices, meriti virtutis honores,
Non ſunt hic referes, illi quæ præmia dentur,
Qui nulli cedit maiorum, quiq; minorum
Haud cedet cuiquam, magnum qui Neſtora vincat.
Id verum: Virtus mitra eſt tua digna, Fatemur
Ad quam te inuitat, rerum cui ſumma poteſtas.
Sed quid nam maius patriæ quam luce beari,
Atq; ſalutari hic cunctis, vt maximus ille,
Quem tu miraris, quem tollunt laudibus omnes,
In Cœlumq; ferunt omnes ſermone frequenti?
Vt video, properas, ſuſpirans pectore mitram,
Hinc migrare procul, patriæ ſtudioſus honoris.
I tu carpe viam, quo te felicia Diuum
Fata vocant, vatum quo te reſponſa potentum
Fida trahunt, ſedem dederit nam flauus Apollo,
Quem ſeruas, cui ſacra facis, quo numine plenus
Ante oculos cernis, quæ mox ventura perennem

Teque, tuosq; dabunt cunctos ſine fine beatos.
Hic videor ſenſiſſe Deum te voce vocari
E' laribus priſcis ad grandia munera patrum.
Quare ne videar parui pendiſſe receſſus
Ipſe tuos, imo has effundam pectore voces.
Mi Ludouice Vale, Marchorum gloria & vrbis
Noſtræ, tolle domum, menſis diſcumbe Deorum,
Finibus extremis noſtram conclude Cremonam,
Audiat oceanus, noſcant tua facta Britanni.
Poſteritas cantet longo poſt tempore raras
Marchi virtutes, celebratum & nomen auorum.
Vnum te ex Diuis celebret, donecq; perenni
AEuo, quiq; leuis volites vt Dædalus alter.
Lilia ſpargantur, flores ſpargantur amomi,
Qui nunc ſuauis odor terram, qui ſydera ſpargat.
Hymni cantentur, paſſim vicisq; legantur
Omnibus, ijs plectris reſonent ſtellantia tecta.
Eſt hic qui totum illuſtrauit moribus orbem,
Eſt hic qui mulcens immitia corda ferarum,
Comprimit iratos, ſedat ſermone feroces,
Antiqua probitate viros qui robore vincit,
Non animo tantum, ſed (mirum) corpore firmo,
Soli cui cedunt fulgentia ſerta Pyropi.
Hic legum doctor, diuini iuris & vnus
Interpres fidus, iudex ſyncerus, amicus
Pacis relligione Numam qui vicerit olim.
Candida ſcripta domi latitant, quæ plurima capſis
Seruata ad tempus, & cuſtodita cathenis
Mille ſeris, veterum quæ accedunt proxima laudi,
Verſu quod canimus teſtantur voce ſonora.
Hoc hoc quiſq; ſciet. nam clara luce carebunt
Haud multum, exire hæc cupiunt, ſed tendere in altum

AEthera

AEthera non audent timida, iniuſſuq; recuſant
Tam iuſti domini, quæ tuta pudore morantur.
Si fortem quæras, hoc non præſtantior vſquam,
Vel virtute animi, vel robore corporis extat.
Hic armis, diſcoq; valet, lcuibusúe ſagittis,
Conſilio tamen eſt, hic fortunatior, eſtq;
In terris, poſſet qui dicere, claudite riuos
Paſtores Corydon, ſatis ò iam prata biberunt.
Omnes cócurrant Nymphæ huc, chorus omnis adeſto,
Ingenti clamore viæ, reboentqúe Theatra,
Cœleſti dignus qui ſede probatus ab omni
Cęlicola, paruo contentus munere victus.
Hos *Hymnos* ſpera cantandos æthere in alto,
Hæc mihi nunc liceat paſſim vulgare per orbem.
Roma cape hunc, olim Fabios quæ miſeris omnes
Extra vrbem, quo vnus reſtaret ſemina tantæ
Gentis, ne excideret quondam quæ terruit hoſtem.
Olim Marcellos peperiſti, tuqúe Metellos,
Scipiadas ſæui peperiſti fulmina Martis.
Pompeios, Craſſos, Philos, alioſq; potentes
Duxiſti ad ſuperi ſublimia compita Cœli.
Is non inferior fama, & virtute decora,
Si qua fata ſinent, ſi numinis aura reflabit.
Tybri pater Marchum florentem ætate ſuprema
Accipe, teq; bonum celebret, te cantet, & Hymnis
Quos dabit aſſidue Muſis, Diuiſq; ſecundis.
Non minus iſte tuas ripas, vndaſq; virentes
Sentiat, ingrediens quæ mœnia condidit olim
Quem Mars progenuit domitorem gentis iniquæ,
Clælia quàm ſentit quondam, Coclesq; ſubiuit,
Vt ſtatuas pulchro ſurgentes marmore cernas.
Namq; tuis ſtabunt patrio de marmore templa

In ripis Marchi geſtantis ſceptra potentum
Regum, cingentis caput, & Diademate Regum.
Hos cum ſublimes poſſederis altus honores;
Si te conſpicient fulgentem luce Smaragdi
Eſto memor noſtri, & dicas ego numinis inſtar;
Hæc patria, hæc capiat quem diligo, munera Zaua.
Mœcenas dicam; tu Mœcenatibus vnus
Omnibus in terris, mihi tu antefetende venito.
Qui mihi præſidium fueris, proliq; futuræ,
Quæ referat grates, ſpargat quæ thura Sabæa.
O' me fęlicem me terq; quaterq; beatum,
Quando mihi facilis, ſolus mihi quando benignus.
Ne qui ſuſpicient tibi carmina noſtra dicata
Nos dicant fruſtra calamo triuiſſe labellum.
Annum tu ſuperes, annum, quem ſecula mille
Non videre virum, nec ſat ſcripſere priores,
Tuq; memor noſtri, ſi viues viuito ſemper.

Ad Eundem.

Nauis quo tendis curſum, quæ littora poſcis?
Romulidum nec ſacros Dardanidumq; lares?
Huc tendo, properoq; lubens onerata patrono
Muſarum, lycij delicijsque Dei.
Quod nomen tantum, quo tu decoraris amica?
Dic quæſo, ſocius forſan eroue comes.
Eſt Marchus vaſtum niueus ſuper æthera vectus,
Eſt Marchus prudens, conſilioq; valens.
Hic Ludouicus erit noſter fortaſſe dicatus
Muſis, quem tanquam Daphnida Phœbus amat.
Ille eſt, ille virum præ centum millibus vnus,
Cuius præfulgens ſplendor vbique micat.
Hunc tu vel linquas, vel me, quocunq; patronum
Hunc

Hunc duces, vebito ſtips tibi, porge, datur.
Non poſſum, vel ſi nummum ſeſtertia mille
Huc tu deferres, hic mihi tantus adeſt.
Quid ſi concedet me vnum huc admittier vltro,
Tu ne mihi dicas ſola ſuperba ratis?
Haud equidem tali mereor me nomine dici,
Sed quouis dicas nomine, nil moueor.
Ne tu iraſcaris ſi indigno nomine dicta,
Tu potius capias, me ſimul oro cape.
Expecto hic Marchum quem tres comitantur in vrbem
Semideum heroes, magnaq; turba virum.
Vt video, excludor numero tam nobile ſolus,
Nec ſine me Marchus lætus abibit eo.
Hac igitur cauſa ſolito nunc triſtior extat,
At locus hic nullus, qui tibi detur, adeſt.
Dij te cum fortis Regum penetraueris agros
Euertant, Marchus ſit meus incolumis.
Marche vale ſacroſq; lares ſaluere iubeto
Nomine tu noſtro, cura ſit iſta tibi.

Paradoxon in podagram ad Marchum.

HACTENVS antiquis nos ſubſcripſiſſe Poetis
Nunc fortaſſe piget, vel nos fortaſſe pigebit.
Nam ne cōmemorem, quæ plurima mōſtra dedere,
Tot tantiſq; male ij dictis ſcripſere podagram,
Vt nullum nomen ſcribatur tetrius iſto.
Dira podagra ſonat, nodoſa podagra notatur.
Turpem, tardigradam, duram, ſæuamq; vocarunt.
Hanc alij crudam, lapidoſam dixerit alter.
Nos dominā blandā, veneris comitemq; vocamus.
Deliciasq; thori, mollesq; cupidinis arcus,
Dulcia furta virum, teneris latitantia plumis.

Teq;

Teq; Deam facilem venientem è montibus altis
Sunt vbi cum Baccho certamina læta falerno,
Dicimus, & regum ſolamen mite malorum,
Quos curæ interdum vario certamine ludunt.
Tu fortes, pulchros, verſutos reddis & omnes,
Magniloquos, docto verſantes pectore multa.
Quos tu progenies Regum lętiſſima nutris.
Non thalamis inopum, non tecto paupere rides.
Aſt vbi molle femur, molli cum coniuge iungit,
Rex habitas, cæcæ componens fœdera noctis.
Hic ſedes riſusq; tui, hic ſunt aurea tecta.
Excludis medicos, horum non indiga ſola
Qui triſtes dicunt non eſt medicabilis herbis,
Regius iſte comes, fidus penetrabilis atq;,
Qui velut ingreſſus dominus tectum omne pererrat
Corporis expurgans vitium virtute manente,
Qua diuos cernunt hilares, quos viſeris ipſa,
Qua velut extinctos phœnix mutaueris artus,
Vnde nihil mirum ſi vitro es clarior ipſo,
Si quoq; tu ſanctus, pinguis, neruoſus haberis.
Quare fac grates referas tu Marche podagræ
Quæ te prudentem, iucundum oſtendit amicis,
Quæ te Mercurij impellit geſtamen adire,
Quo poſſis lati cunctis tu gentibus orbis
Mores declarare tuos, & nomen auitum,
Atq; Deis patriam hanc magnis conferre Cremonam.

Ad Eundem.

VT videre ſimul, te dimiſere Quirites?
Sic decus Aonidum munere caſſus abis?
Eſt tibi raptus equus? numis excuſſa crumena?
Sperabas lucrum, ſed ſpoliatus ades.

Eſt imas, fateor, triſtis mihi cura medullas
Exagitatq; grauis pectora mœſta dolor.
Me me fallacem, quondam qui in ſede locabam
Te ſuperum, falſum ductus ad augurium.
Me ſic, ſi neſcis, vates decepit Apollo,
Non adij ſiccus phœbados Antra Deę.
Ergo quid faciam? qua te ratione iuuabo
Amplius, hic ſtat mens indiga conſilij.
Tu tamen hæc capias, ſubeunt quæ denuo menti
Conſilia, ijs aures porrige amice tuas.
E ſuperis vnum te poſſum reddere chartis,
Ad ſuperas valeo teq; referre domos.
Si cupis antiquis conferri, aut moribus illis
Pręponi, id facile nunc mea muſa dabit.
Vel ſint quos Græci, vel quos hæc Italia tellus
Olim mirata eſt, & venerata viros.
Suſpice Ariſtides, Fabios, mirare Camillos,
Iis te componam ſimplicitate viris.
Si quoqne Marte ſatus cupies certamen inire,
Hectora te noſcent ſęcla futura ſuum.
Non hoc contentus, ſophiam de pectore ſacro
Muſarum elicies, Phœbus ad hoc veniet.
Non alias Graios inter contentio Homeri
Tanta fuit, quantam tu dabis inde tui.
Polliceor magnum, dederint mea carmina maius.
Quid? iam cœleſti munere dignus ades.
Tu feris elatus ſublimi munere cœlum.
Teq; ſuum repetunt numina magna Deum.
Hæc maiora Typo, quem dat pictura videndum
Aurea, quem ſeruas mente oculiſq; domi.
Hoc virtutis opus, Diuinæ hæ Palladis artes,
Pone ſtipem, ſtips quid non dat habere viros?

Hæc Mecœnates parit, hac capitolia ſurgunt,
Hæc homines Diuis æquiparare poteſt.
Quare te vlla dies memori, vt non eximat æuo,
Nunc tu ſolue ratem, quæ freta læta ſecet.
Interea patriæ lux ſpectatiſſima noſtræ;
Vnica præſidij ſpes mea Marche vale.

Ad Petrum Prandum.

QVAE nā Prāde tuis lachrymas nūc haurit ocelli s
Cura recens? venis quod nuper vulnus adhęſit
Feſſis? qui uè noui exoriuntur corde dolores?
Exanimata tuis dudum perfertur ab hortis
Littera, quæ nobis triſtes patefecit amores.
Nil tibi dulce refert. Lachrymis hæc æthera complet.
Nulla relicta tibi repetit ſolatiamœrens.
Eſt dolor aſſiduus triſtes, imasq; medullas
(Affert) Zaua tui Prandi, quem diligis ipſe,
Inter mille viros, dederat quos maxima Pallas,
Vnum pręcipuè, gemitus nec ponit in aruis,
Per quę nunc errans ſolus ſuſpiria mordet,
Et cœlum mœſtus triſti clamore laceſsit,
Incuſans diuos ad diuúm lumina torquet
Tecta, dari quæ optat totus defixus in illis.
Nuntius hæc nobis, & littera nuntiat ipſa.
Eſt ne mali forſan tanti tibi cauſa Gogaua,
Quem, dum regis opes luſtraret, & aurea tecta,
Hiſpanúmq; graues mores cognoſceret, vnus
Intentus Diuúm rebus, cęleſtibus atque,
Hinc aſtris raptum defert crinitus Apollo,
Nunc propius cœlum, ſtellas, ſydusque tuentem,
Illis vnde ſolo virtus, quę munera cuique

Seruantem

Seruantem, in terris oculis quę incerta videbat ?
Hic equidem qui morte carens nunc veſcitur aura,
Quę mare, quę terras, quę cœlum numine complet,
Hęc nunc miratur, dubius non ſuſpicit olim
Vt tecum ad Phębes radios, & lumina ſolis
Spectro conuerſo, caudam nec porrigit vrſę,
Sed totam prendit, totam rimatur, & intus
Quicquid ineſt cernit, non amplius haurit aquoſas
Pleiadas, errantis lunę, ſoliſque laboris
Haud quęrit cauſas, anceps, quas carmine prodat.
Eſt huic nunc penitus cęli comprenſa Matheſis,
Hic quam pingebat varij ſub imagine verſus,
Et tibi ſcribebat dubio ſub tegmine veri.
Nunc & fallaces technas deridet Horati,
Quas hic augebat ſtudio indefeſſus amęno,
Et te ſyderea ſpargebat lampade alumnum.
Huc huc tendebat, licuit nouiſſe Matheſim
Cumprimum nota diuum iam ſede minorum,
Altius vt poſſet maiorum tecta ſubire,
Et iam promiſſa diſcumbere in ęde Deorum.
Quod certe euenit, funus comitante Philippo,
Et diuis ſoluente preces in morte Gogauę.
Hic Rex quàm iuſtus, caſtus, moderatus & ęquus,
Qui Reges pietate omnes ſuper eminet vnus ?
Hęc ſcis, hęc noſti. Lachrymis nec parcis amice ?
Hic furor vnde nouus ? num tentas vellere cęlo,
Qui virtute poli te colluſtrare docebat,
Quę regio, quęcunque micat diuerſa locata
In cœlo, pluuiam quę ſigna notantia pandens,
Quęque ſerena darent ſecreto tempore menſis ?
Inuidiſſe mihi hoc, non dilexiſſe videtur.
Pro quo ſponſor eras omnes effundere amicos

CCCC 2 Incolumi

Incolumi, vitamque, & opes diſcrimine nullo,
Incolumis tranquilla fouet per tempora vitam.
Huic lætare magis, quod clarum lumine cœlum
Exultat, tandem vultus depone dolores.
Indue te in faciem lætam, te viuere oportet
Lętum, nam męſtos Diui haud dignantur olympo.
Queis iucunda placent, lætis queis læta probantur.
Hunc rogita potius diuum pietate ſecunda
Iungaris ſocio, quem plus nimio ſuſpiras.
Eſto, quod dicant homines nil fortius extat
Prando, nil melius, Prandoq́; beatius vno,
Qui lachrymas tollit ſocijs, & voce Caleffum
Solatur blanda, & veterem deponit amictum.
Sic tu vota pijs perſolues manibus huius,
Qui te pieridum docuit luſtrare vireta,
Perque poli doctum campos errare nitentes,
Vnde ſalus cunctis deducitur alma probatis.
Deſine iam cœlum varijs implere querelis,
Sat lachrymis, gemituque datum, ſat funus abunde
Ornaſti violis, & purpureis amaranthis.
Quære nouos, animo ſemper remanente Gogaua,
Queis cum tu veteres doctis ſoleris amicos.
Quod mea muſa dedit plectro non docta canente
Fac credas doctum, poterit nam iure vocari
Doctum, quicquid erit tibi dedicat ecce Gogaua
Non virtute pari, ſed nunquam victus amando.

Ad eundem.

INSANIT vulgus tantum, plebesque miſella?
Tantum indocta manus deſipit eſtq́; leuis?
Ij tantum mirantur ebur, Regumq́; columnas?

Ij ſolumque bonum, Regia tecta putant?
Hæc ſolum ſuſpirat opes? hæc turbat honores?
Hæc intrat culti iugera mille ſoli?
Inuidia hos tantum vexat, cæcosque fatigat?
Hos longas noctes non capit vlla quies?
An potius cuncti ſimulato nomine iuſti
Huc compelluntur præcipites animi?
Veriús hoc certe. Capimur dulcedine honoris
Omnes, effugimus pauperiemque grauem.
Nauigat extremos fortis mercator ad Indos
Saxa per, & montes, vincit & omne fretum.
Vt patriam repetat gazis depreſſus Eois,
Et Craſſus fiat, qui prius Irus erat.
Hic trahitur Phœbi ſtudijs, hic Martis anheli
Laude, necesque ſubit, bella nec aſpra timet.
Hoſtes irrumpit denſos hic impete magno,
Diſſipat interdum millia multa virûm.
Hinc in caſtra redit perfuſus ſanguine veſtes,
Hic vix incolumis tela relicta petit.
Sit quamuis tua quaſſa ratis mercator, & omnes
Amittat merces, non tamen ipſe cadis.
Erigeris potius lucri pellectus amore,
Quo pleroſque modo teſſera omiſſa capit.
Nam quos decepit, nummis ſubuertit, & ipſis,
Inuitat rurſus ſubdola furta ſequi.
Eſt varium hoc ſtudium, vario diſcrimine ludens
Nunc hos, nunc illos, quos premit altus honos,
Nos quid ſectari? amplecti quid Prande decebit?
Diuitias nolo, at diuitijs egeo.
Multorum exemplo contemno edoctus honores,
Ijs ſine nil virtus, ſordidus eſtq; labor.
Rerum ignarus habet, quo tollat lumina lætus,

Inachus

Inachus vnus erit, ſi modo diues erit.
Expers virtutis magno inſignitus honore
In ſe conuertit lumina cuncta virum.
Ij quando incedunt reges ſuperare videntur,
Quando ij diſcumbunt, Regia menſa nitet.
Amplius haud ſapiunt, hoc tantum ſplendet in aula
Luxuriæ Bacchus, eſt vbi læta venus.
Nil quæras maius, nil plenius extat in illis,
Lautia ſunt cordi ijs, hic honor, hocq; decus,
Attalicis tangor non conditionibus iſtis,
Nec te Perſarum gaza ſuperba mouet.
Hos non miraris, nec ego hos contemplor honores.
Eſſe bona ijs potius cuncta negata reor.
Hæc breuis eſt illis, breuium eſt hæc meta dierum,
Quæ cadit ante diem, quam breuis hora rapit.
Iſti errant inopes animi, incertiq; vagantur.
Horum cum vita nomen inane perit.
Aſt ego Prande viam faſtigia ſumma docentem
Inueni, tutum quæ bona monſtrat iter.
Hic labor vnus erit multos ſeruatus in vſus,
Deficiens nulli, nocte, dieque grauis.
Mores, priſca fides, veri conſtantia, virgo,
Quæ dat cuiq; ſuum, pectora noſtra colant.
Ipſe Chelym, geminoſq; tuos, leporemq; fugacem,
Quæq; agitant multis pectora noſtra modis
Linques, vnde ſalus nulla eſt ſperanda relictis
His terris, fatum cum ſuper aſtra vocat.
Ipſe quoq; hoc ſtudium linquam defixus in vnum
Qui dat militibus firma talenta ſuis.
Hoc nos quæramus, quod tollat pectore ſordes,
Quod reddat clarum, candidiuſque niue.
Hæc, quam nos ſequimur, non ſtulti vera voluptas,
Eſt

Eſt vnus Chriſtus, pax, animique bonum.
Hoc in conſiſtat ſtudium, & ſyncera voluptas
Noſtra, dabit nobis gaudia firma Deus.
Ergo cani manda, ne terras Sirius vrat,
Plenius eſt quando numen & intus ineſt.
Hinc ſtella; & valeat ſeptem ſubiecta Trioni,
Nec te Saturnus torqueat arce ſuper.
Quæ ſerpunt quæramus humi, cęleſtia Diuis
Linquamus, nutu numina cuncta regunt.
Nos firmata ſequi, & veſtigia preſſa decebit,
Quæ ne vaneſcant, inuigilare decet.
Hic ſit priſcus honos, veterum hæc ſit gloria lucens,
Aeternum fulgens, & ſuper aſtra micans.
Scis qui te obſeruat, ſcis qui veneratur eundem.
Is te carminibus Prande valere iubet.

Sanctinus Baptiſtius Ad Franciſcum Zauam.

RVMOR ait te velle vagæ committere famæ
Franciſce ingenij munera rara tui.
Felix hæc ætas, felicia ſecula noſtra,
Lumina quæ referunt candidiora niue.
O me felicem, ſi talia cernere poſſim,
Ante, oculos tenuis quàm tegat vmbra meos.
Troius Aeneas Italas cupiebat ad oras
Ire, ego diſcipuli ſcripta videre mei.
Ante fui Pylades fidus tibi, & alter Oreſtes,
Inſuper & Pollux caſtor & alter ero.
Ni me luſtra decem, ſeptemq; peracta tenerent,
Aſſiduus tecum nocte, diequé forem.
Mitta feret noſter pro me tibi dona ſalutis
Sæpe, nepoſq; meus, gratus vterque mihi.

Tu

Tu quoq; muſa mei referas graue carmen amici,
Cuius vena nouem callet amœna Deas.
Ne tamen eximios facundi mille lepores
Muſa Ducis turbes, eloquiumque graue.
Namque iuuentutis Dux nobilis agmen ituræ
Cæſaris ad leges, inſtruit, atque parat.
Vt lubet hæc Franciſce tuis annecte. Sed ante
Deleat errores æqua litura meos.

Ad Sanctinum Baptiſtiũ præceptorem ſuũ.

E p entur Sanctine breui, quæ ſcripta requiris,
Haud ſcio ſint doctis iſta colenda tamen.
Felix eſt ætas tua, ſed felicior ipſe,
Qui fonte emittis flumina magna tuo.
Nam qui verſantur ſtudijs in Palladis almæ,
E gremijs omnes exiliere tuis.
Quod tua muſa cupit, capient dulciſſimi alumni
Mitta, Neposq; tuus; quos mihi Pallas alit.
Nos ſatis & valide tractamus munera phœbi,
Qui nos grandiloqua voce valere iubet.
Errent Dardanidæ terris, pelagoq; ferantur;
Errabo nunquam te referante viam.
Digna Aganippęo vidi tua carmina cœtu.
Tu quoque noſtra vide qualiacunque damus.
Aetati addantur, cupio, tria luſtra, quaterq;
Dena tuæ, Neſtor quo grauis eſſe queas.
Huc non accedat Pylades, nec triſtis Oreſtes,
Caſtoris, & fratris pugna mouenda procul.
Si me poſſe putas grates Sanctine referre,
Deciperis, grates det ſuper aſtra Deus.
Ille poteſt meritis maiores reddere grates,
Ingenue

Ingenue hoc fateor non opis eſſe meę.
Hoc tibi polliceor, cœleſti dum fruar aura,
Me fore peruigilem quo tibi grata feram.
Viue tibi, multis vixiſti, viue beatus
Illis, ſub muſa qui didicere tua.

Ad alia eiuſdem Sanctini Carmina.

Ne pretium tu pone libris, non ære dabuntur.
Aere mihi immenſo pluris amicus erit.
Non vendo libros, venales ſunt tamen. Eſto
Quicquid tu ſcribis, plena crumena mihi.

PRO FRANCISCO TVRRIANO
Med. Phyſico Cremonen.

Ne quos egelidi perfuſos frigore leti
Amplius ad vitæ limina ferre queas,
Inuida te viridi ſuccidit parca iuuenta,
Cum tibi vix meſſis nona ter acta foret.
Sic immaturi carpuntur ab arbore fœtus,
Sic rapit implumes durus arator aues.
Neſtoreum dederant ſuperi tibi pectus, & ora.
Neſtoris & vitam viuere dignus eras.

IOBI FLAMINII PATRITII
Cremonen. Epit.

Qvi vitam in terris ſine crimine puriter egit,
Ciuibus acceptus, populo acceptiſſimus omni,
Flaminius placida morte hic requieſcit Iobus.
Ambroſina virum lachrymis Antonia fuſis,
Sena patrem ſoboles luget, ciuemque Cremona.

Cuidam Amico.

Te famæ tradunt multorum carmina vatum,
Te Sacco referunt poſſe placere ſeni.
De te fama tamen nobis hæc murmura defert,
Te totum tenebris implicuiſſe rudem.
Hæc quia nunc dubio certant ſub iudice amice
Ede, rogo, multis quod placeat ſenibus.
Eſt hoc ignari ſermones fallere vulgi,
Eſt hoc doctorum lumine poſſe frui.

In quendam.

Incolvmis ſeruatur honos, ſic nomen amici,
Qui te ſeruauit pectore, & vſque ſinu?
Non hoc commento Pylades fallebat Oreſtem,
Quod Rex miratus factus amicus abit.
Te tamen è noſtro haud tollent mendacia mille
Quæ vafrę effingas, pectore amice, Vale.

ECLOGA.

Pangallus, Thyrſis, Puer.

VENIMVS huc tandem patrijs è ſedibus acti.
Vallibus errantes, ſaxoſis montibus, antris,
Flumina tranantes, duriſſima quæque ferentes.
Nullus adhuc noſtro modus eſt, finiſque labori.
Sed magis, atque magis fatis agitamur acerbis.
In terris regio nulla eſt ignara laborum
Noſtrorum, fatis turbantibus omnia cœlo.
Cauſa mali tanti regnandi dira cupido.
Hæc nam ſęuities diſturbat pectora paſsim
Cœca virum, temerè morientum more ferarum.
Reges contendunt, miſeri plectuntur iniquis
Heu populi fatis. verſat ſors improba cunctos.
Lilia collegiſſe iuuet. Sunt lilia dumis
Incultis plena, hæc reddunt non priſtina odores.
Naſcebantur humi flores, & celſa petebant
Cœli, (mirandum cunctis) conuexa, caduci
Sed fructus recidunt, amiſſis floribus illis
Antiquis, quorum naſcuntur ſemina ſtirpe,
Si tamen hæc matri validæ radicitus hæret.
Incaſſum ſperare licet, ſi inuaſerit ardor
Phœbi. Nam ſuperas nequeunt euadere ad auras
Plantæ conciſæ, vires penituſque refractæ.
Quod iam præſenſi, prædixerat ilice cornix
Sępe malum hoc nobis, ſi mens non læua fuiſſet.

Cuncta redundabant noſtris creſcentia votis,
Vbera pendebant ouium, lactantia quondam,
Herbas carpebant tutis in montibus agni.
Saltabant hilares noſtri per prata iuuenci.
Vnà ludebant pecudes in ſaltibus altis.
Fortunatus eram paſtor, cum tanta videbam
Vallibus, & ſyluis errantia montibus vnà
Agmina, lætabar tacitus; mecumq; fouebam
Lætitiam ingentem. Grauis ære domum inde redibã.
Nunc quem Diuũ amens nõ incuſo mihi iniquum?
Non ſoleam quãuis Diuum reprehendere facta.
Sed cui tanta animo infortunia ferre daretur?
Hic ſit cordatus, fortis, grauis atque licebit,
Non tamen iſta feret peruerſis ordine rebus.
Liquimus, heu, patriam, nec ſpes data poſſe reuerti.
Incerti quò fata ferant, natique vagentur,
Cunctorum nobis ſolatia tanta malorum.
Quid faciam infelix amiſſa coniuge fida,
(Laura fuit coniunx Laurenti in littore nata.)
Quæ ſolamen erat miſero mihi ſola futura?
Sunt erepta bona; & populati funditus agri.
Euerſæ ſedes; patria, ah, chariq; penates.
Hoſtis habet muros ſibi ſepſit ouilia noſtra.
Quæ deliquerunt errantia ſecla priora
Diſtulit in ſeros fatum commiſſa nepotes.
Sic nati, (infandum) patiuntur ſæpe parentum
Et ſcelus, & noxas grauiora pericula morte.
Scis igitur, cur Thyrſi mori, quàm viuere malim.
THY. Quid miſerande tuas vrget te linquere ſedes?
Externosq; lares, feſſum te quærere cogit?
Rauca ſonas, tua vix ſiſtunt nunc verba palato.
Non teneo, quæ iam dixiſti. Affare. Viciſſim
Dic

Noſtra tibi vocis reddentur verba ſalubris.
Dic quæſo nomen, caſus iam pande, quietem
Forſitan inuenies, melior fortuna reflabit
Hic, ſi te caſus duri, & fortuna fatigat.
Si tibi conſilio poſſum prodeſſe, iuuabo
Te dictis, rebusque: Haud te veniſſe pigebit.
Omnibus exhauſtus tu caſibus, omnium egenus,
Vt video, pellis vix (ah dolor) oſſibus hæret,
Exarſit tandem mihi iam dolor oſſibus ingens.
Adſum namq; tuos caſus miſeratus amice.
Communis fortuna mihi nunc iſta ferenda.
Effare, & tandem me tanto hoc faſce leuato
Curarum. Diuos hic ipſe fatebere adeſſe.

Pan. Quādo Thyrſi cupis penitus cognoſcere caſus,
Quas fortuna diu vexarit cæca ruentes,
Accipe. Veſani Martis furor excitat ingens
Incertos animos Regum, diſcrimine nullo
Cunctos exagitans. vix triſtia bella ferentes
Vrbes coguntur populi nunc linquere charas,
Mœnia deſtituunt, multos ſeruata per annos.
Agricolæ linquunt incultos vomere campos.
E' villis fugiunt habitatis ſecula multa.
Heu totis turbatur agris regionibus illis,
E' quibus egreſſus ſum milite cuncta ruente.
Hæc audire datur. Veteres migrate coloni.
Hæ noſtræ ſedes, nobis hæc regna dabuntur.
Expulſi fugimus, pulſos non ſuſcipit hoſpes
Vllus adhuc, miſeros fortuna tenaciter vrget.
Quæſo malis tantis quis non ſuccumberet? eſto
Hectora ſeu fortem ſuperet, ſeu vincat Achillem.
Iam fuimus, fueruntq; lares, fuit inclyta noſtra
Et patria. Hæc tamen eſt non inclementia Diuum,

Aſt hominum rabies, regnandi ſæua libido.
Hos inter belli ſtrepitus, cæcosq; furores
Huc veni audito veſtrorum nomine Regum,
Quos pietas, quos caſta fides ſuper æthera tollit.
Pangallum ſcito cunctis me nomine dici.
Thy. Iam caſus, nomenq; tuum, excidiūq; tuorum
Audiui, & tantas ſtrages miſereſcimus vltro.
Dic patriam, Regemq; tuum dic. Cuncta recondam
Mente, animoq; meo, nunquā hæc memoraſſe pigebit.
Pan. Paſtor erat, pietate graui, & ꝓbitate decorus.
Ingentem pecudis numerum paſcebat in aruis,
Cuſtodes primi gregis hunc, & paſſibus æquis
Vſque ſequebantur. non terror in agmine tanto
Vllus erat, pecudes ſeruabat ouilibus omnes
Paſtor, carpebant ſomnum lætique miniſtri.
Omnibus alta quies tectis, antrisq; dabatur.
Nunc ſubuerſa retro nobis ſunt omnia fato,
Vel ſibi fidentis nimium ratione ſequeſtra
Paſtoris, vel quorundam credentis habenas
Conſilijs, animum huc, illuc ducente iuuenta.
Qui domini ſtabant iuſſo, captique ſubibant
Imperium vix effugit, timidusq; remouit
Extemplo ſe ſe paſtorum turbine, longo
Ordine, nec ſcio quo fato vitauerit illos,
Præſertim cum tanta virum volitarit in agros
Copia tunc noſtros, quanta haud venere Mycenis
Hectoris in campos, euerſum mœnia Troiæ
Diruta ſepta iacent, veteri ſpoliata magiſtro,
Et data ſunt alijs cunctos habitanda per annos.
Mœnia lata iacent Quintinia, fortia muris
Effugiunt ouium fœtus, timidique parentes
Abdunt ſe ſyluis, matres loca deuia quærunt,
Sed

Sed nullis timidos linquunt conſiſtere terris
Veſtri inſectantes, pauidam veluti lupus agnam.
Tantum confidit paſtor ſibi veſter in armis.
Præcipuè primo quando fortuna labori
Fauit, & hæc Diuum cognoſcit numine ferri.
Quando portendit ſors huic felicia cuncta.
Alpes inter erant patrij fines, iuga ſumma
Quæ fines Italos poſuerunt limine certo.
Sed dum tentarunt diſcurrere finibus iſtis,
Errantes capiuntur oues, paſtorqúe fugatur,
Sæpe quod euenit aliena petentibus arua.
Nomen habes, patriamq; tenes, ſedemq; beatam
Olim conſilio veterum, verſamq; nouorum
Inſanæ laudis captorum mente feroci.
Et tu dic patriam, nomen, dominiq; potentis
Facta refer, non parua meis ſolatia curis.
Hæc referas. reddes hic nobis omnia tuta,
Ni fallunt iuuenum facies, vultusq; virorum
Quos hic magnanimos cerno probitate verenda.
Th. Quādo audire cupis, nō ipſe referre grauabor.
Dardanidæ profugi, longis erroribus acti
Littoribus patrijs, fatis ludentibus illos
Huc venere, caſas cinxerunt mœnibus olim,
Hæc habitant Troes, foſſis magalia cincta.
Brumonamq; vocant vrbem de nomine Regis.
Hectoridæ hinc abeunt Romam, paucisq; relictis
Hæc habitanda datur, quæ parua Colonia ducta eſt.
Poſtmodo mutato priſco dixere Cremonam
Nomine, quæ tantum creuit virtute parentum,
Heroas quantum Rex maximus ipſe Philippus
Vincit, qui patria tenet hanc ditione ſubactam
Imperio incolumi, & parentem legibus vltro.

Daphnis

Daphnis hic eſt noſter lauro inſignitus opaca
Crines, atq; caput, diuinos qui afflat odores,
In terris numen, populo gratiſſimus omni,
Et ſuperis charus, ſpes almæ maxima pacis.
Pan. Hæc audita mihi memini, dum vallibus imis
Errarem, & ſyluis, antris audire ſonoris.
Has voces fundunt Nymphæ, Satyriq́; bicornes.
Iam tandem requiem cuncti dulcemq́; ſalutem
Speremus. Toti Rex hic dominabitur orbi.
Hunc homines noſcent Diuino ſanguine cretum,
Apponent aras, Diuina huic carmina dicent.
Inficiet cultros huic victima ſacra quotannis,
Et Rhodani potor meritos donabit honores,
Atq; Iſter, toto diuiſiquè orbe Britani
Thura ferent. Crebris adolebunt igibus aræ.
Gentes certatim concurrent agmine denſo,
Huius natales decorabunt fronde virenti.
Eſt virtute potens, felix pater, optimus idem
Patris cunctorum fiet celeberrimus hæres
Natus, qui nuper Diuino dignus honore
Fortior è forti, & melior ſuccedet in annos.
Felici ſoboles hæc Auſtria ſtipite creſcet.
Hancquè domum noſcent venientia ſecula ſede
In ſtabili cunctis dominantem lege ſuperba.
Felices vrbes patris ditione relictæ
Imperijs nati ante alias felicior omnes,
Armis, conſilioquè potens fecunda Cremona.
Montibus, & ſyluis reſonabat talibus Echo.
Hæc ego cum audiuerim diuino pectore mitti,
Incœpi tandem rebus ſperare futuris,
Cum reuocare negent amiſſas aſpera fata
Nos penitus veteri detruſos limine poſſe,

Et

Et magis, atq; magis decreſcant regna priora.
Si mens non fallit, deuenimus, eſt vbi pacis
Spes, animiq; quies, merces & digna laborum
Noſtrorum, quos iam perpeſſi tramite cæco,
Dum ſyluas, montes, & dura pericla ſubimus.
*H*anc memorant omnes longè præſtare ſuperbas
Vrbes ingenio, rara & probitate virorum.
*H*æc fama extremos pridem volitauit ad Indos
Aeternumq; tulit ſuper ignea ſydera nomen.
Dicuntur quidam huc ſacras reuocaſſe Camœnas
Parnaſſo, & Phœbi vulgaſſe arcana per orbem.
Reſtaurata viget cunctis Reſpublica veſtra
Virtute illius, quem noſcent omnia Vidam
Sæcula, quem cuncti, vt numen mirantur vbique.
Hic multos alios referunt virtutis honore
Luſtratos, quorum haud peregrinus nomina noui,
Diuerſas terrarum oras decorare recepti
Nomine, conſilijs, re, moribus atq; pudicis.
*H*orum ni te nunc pigeat, dic nomina Thyrſi.
*H*is ipſe auditis ſedabo triſtia corda,
*H*ic quando ſperare licet ſub principe tanto.
TH. Schicius eſt vnus, quem charum Inſubria nouit,
Cuius conſilio Rex vtitur Auſtrius alto
Alter Paulus adeſt priſci cognominis *H*ala
Optimus, Inſubridis pars non poſtrema Senatus.
Quem mihi cunq; dabunt priſcorum nomine iuſtum
Annales, fuerit nemo mihi iuſtior iſtis,
Siue Numam dicas, ſeu Philos, ſiue Catones.
Clarus vterq; domi celebratur, clarus vterq;
Eſt foris, exemplum patriæ virtutis vterque
Semper honos, nomen, laudes vtriuſq; manebunt
Nullus finis erit, ſi cunctos ordine tentem

Edere, qui patriam decorant virtutibus vrbem,
Degentes vitam varijs regionibus. Omnes
Edidit in lucem laude inſignita Cremona;
Eſt vnus Maia ducens cognomen auita:
Aſt alius, nomen cui Filiberius, ingens
Laude domo, laudemq; ferens, laudatus vbiq;.
Pan. Audiui hos homines toto celebrarier orbe.
Sed quinam cœtus, quinam has concurſus ad ædes,
Ignoro, incertusq; viæ, dubiusq; locorum.
Hæc & ſcire velim, quo poſſim cuncta referre,
Si forte hinc alias longe compellar adire
Vrbes, nam veſtros mores narrare iuuabit.
Dic ergo Thyrſi, huc quando conuenimus ambo.
Th. Hęc patrij iuuenes tecta externiq; frequentant,
Accenſi laudis ſtudio, & virtutis amore.
Pan. Nō tantus fuerat quondam cōcurſus Athenas
Vrbibus ex varijs, hinc, inde, Platone legente,
Quantum hic conſpicio. Quid tanta ſilentia poſcunt?
Th. Hunc audire iuuat, nullum cecidiſſe diſerto
Incaſſum ore ſinunt verbum, repetita reponunt
Senſibus atq; imis, & mente tenaciter vrgent,
Certatim iuuenes contendunt viribus acres
Ingenij ſuperare pares diſcrimine multo.
Pan. Hic verò qui nam eſt, reſidet qui ſede curuli?
De genere haud dubito. Nāq; omni eſt dignus honore
Qui tanto iuuenum numero nunc præſidet vnus.
Non ataúum quæro Annales, nec nomina auorum.
Nobilis hic, clarusq; ſatis, cui contigit vni
Diuitibus virtute graui ſupereſſe ſuperbis.
Nobilitat cunctos virtus, non ſtemmata, opesq;
Vt vulgus credit. Latro viriatus habetur
Inſignis, furtis longè præſtabat hic omnes,
Auri

Auri diues erat, multo ſed ſtigmate notus
Infamem patriam, infamem ſe reddidit ipſum.
Quare dic tantum nomen, tu cætera linque
His, qui virtutis ducuntur imagine fictæ.
Nos veram effigiem miramur, & vſque ſequentes
Auribus exhaurire graues, & pectore toto
Voces delectat decoris veſtigia veri.

Thy. Audi. Nec iam te ſuſpenſum ambage tenebo.
Marcum dixerunt omnes, Tarteſia nobis
Quem peperit domus. Extremas peruenit ad oras
Huius fama viri, ſuperasq; volauit ad arces.
Hunc adeas hominem. Paucis affare, benignum
Inuenies. Nemo magis eſt affabilis illo.
Ne timeas, greſſusq; meos comitare ſequendo.
Si lubet, hunc moneas caſum, ſtragemq; tuorum,
Quæ ſpes ſit reliquis, qui ſub ditione tenentur
Paſtoris, pecudes cuius iam mille fugatæ.
Cerne, vt hic arrectis, quæſo nunc auribus aſtat.

Pan. Accedo ſupplex, placide & tua iuſſa capeſſo.
Marce Cremonenſis decus indelebile gentis,
Huc deſertus, inops veni non numine læto,
Si victis ſpes vlla datur, feſſisq; viarum
Errore haud paruo, fluuijs, & montibus altis
Truſerunt patrijs fatis contraria fata
Nos longe errantes, lucem, vitamq; peroſos.
Septena (ah dolor) egregia vix ſtirpe ſuperſtes
Extat hic, hunc mando ſtudio, curæque fideli
Ipſe tuæ: nato totus ſum fixus in vno.
Moribus eſt caſtis, laudataque indole præſtat.
Haud rudis eſt, noctes multas vigilauit, & alſit,
Sudauitque, choro Muſarum dum vacat; Audi,
Si non eſt graue, dum tenuem modulatur auenam.

Pvᴇʀ O Phœbi celeres Nymphæ, Muſæq; beatæ,
Hoſpitium felix, Diuis, Phœboqúe dicatum.
Hic nam Calliopes chari erudiuntur alumni.
Non eſt cœleſtum vobis concordia diſcors.
Nobis ſunt retro, fatis Iunonis iniquæ
Omnia ſublapſa: Ah vereor ne funditus omnis
Noſtra antiqua ruat ſedes è culmine, cum res
Noſtrorum in peius Regum fata aſpera vertant.
Aſt hæc mittamus. Nunquid conſidere veſtris
Nos tectis placet, & communi viuere iure?
Annuis optatis, noſtros miſerate labores
Marce ſalus, noſtri ſolamen dulce laboris:
Id tecum, quodcunq; dabit fortuna, libenter
Perpetiar, ſiue æſtus erit, ſeu frigus acutum,
Nunquam abero, greſſusq; tuos comitabor alumnus.
Hinc nunc pauliſper cedam, ſubitoqúe reuiſam
Vos iuuenes. Donec redeam, tu paſce capellas.
Id quo nunc fiat melius, mea dona libenter
Tenuia nunc capias, quæ te fortaſſe iuuabunt,
Huc ſi (quod ſpero) flatus fortuna ſecundos
Afferet. Interea paſcent me pinguia prata
Franciſci, cuius mille errant montibus agnæ.

EPIT. RAPHAELIS BRVMANI.

Ad Cæſarem.

Nᴀᴛᴇ roſas, violas, & lilia, ſparge amaranthos,
Hic patris oſſa iacent; vnde tibi hæ violæ.
Nec Raphael quærit ſuprema hæc munera vitæ,
Nato contentus tale beatus erit.
Perge, dato patriæ quæ ſpectat clara videre
In te, ſic patriam, ſic referesqúe patrem.

Pro

PRO FRANCISCO SFONDRATO
Cremonen. Cardinali.

Roma vale, dixti patriam viſurus, at illa,
Tu Sfondrate vale, dixit, & aſtra tene.
Ergo Deus, populi, qui quondam flexit habenas
Terrarum, iuſſu, & dat ſuper aſtra Deos.

SCIPIONIS ESTENSIS CASAL.
Epiſcopi Epit.

Hic hic ſiſte tuum gradum viator.
Hoc in marmore Scipionis oſſa
Eſtenſis ſita ſunt. Euaſianum
Caſale hunc habuit pium parentem
Syncerae probitatis, atq; morum.
Hunc omnes lachrymis pijs honorant.
Sed Diuum pater, aetherisque Ciues
Gaudent aethereo polo relatum.

FINIS.

REGISTRVM.

*ABCD. ABCDEFGHIKLMNOPQRST VXYZ. AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ. AAA BBB CCC DDD EEE FFF GGG HHH III KKK LLL MMM NNN OOO PPP QQQ RRR SSS TTT VVV XXX YYY ZZZ. AAAA BBBB CCCC DDDD EEEE.

Omnes ſunt quaterniones, praeter D. q eſt dimidium.

Errata primæ orationis corrigenda.

Char. 2.pag. 1.linea 26.deuinciat. 4.1.21. Reſpublicæ. 4. ij.21.acturus eſt. 5.1,28. exordiar 31. dimiſit. 6.ij.8. virtutum 9. 1. 11. dele erant 9.1.25. vorſuris, vectigalib. 13. 2. 22. occupati 13.ij. 27. iuuentute ſuccreſcente.

Errata aliarum orationum, necnon & Epiſtol. & Carminum.

Char. 5. pa. ij. linea 23. imbiberunt. 13. 1.28. dimitterent 14.1.22. in eam 20.1.2. At ſi 20. ij. 8. comitatem 21.1.19. Verum. 22.1.27. iure iurando. 23.ij.26. (ſic hoc 29. orantem 25.2.3. dele quot annos 26.ij.31. fato 27.1.29. noſtris 29.1. 16. machinam 31.1.32. quot. 35.1.10. Sed in 37.1.31. viginti duar. 42.ij.8. acre ingenium 51.1.11. diſputationem 53.2.26. vita 54.1.2. agricolatione 5. mollem 8. tuguria 56.1. 24. Curio 57. 1. 1. vſus eſt ij. 5. præterite nequeo ij. 24. conferri 60. ij. 3. id egerint 61. 1. 23. efferam 27. ſatis ſcio ij. 6. ſint 7. ſuſtulerint 11. omnium 62.ij.8. laudum 29. hoſtium 64.1.13. explicatorq; ij.21. filios 66.1.24. proſpiceret 69.1.8. obſidibus ij.30. dele nomen 73.ij.22. & vt quendam 75.1. 29. Mediol. miſſus fuit ij. 14. hac de re 76. ij. 11. beneuolentiam 27. memoria 78.1. 11. fuiſſe, conſtaret 82.1.23. dele & illuſtratos 88.1. 9. Phidia 88. ij. 17. prodendos 93. 1. 9. mandatas 97. 1.4. ſed vt qui 98. 1.4. ſua delæ 29. abſolutæ orationis lumine ij. 28. hi omnes 100. 1. 5. impudens 106. 1. 7. quicunq; huc 107. ij. 2. defraudent 108. 1. 25. ſolatium eſſet 111. ij. 11. adiuuerunt 114. ij. 31. tu mihi 115. ij. 5. amore 116. 1. 1. defuturus 23. vt tibi 117.1.22. mea ad te darentur 118. ij. 14. mauis 30. patitur cum 119.1. 32. reſcindi 124. 13. parentes 126. 1. 3. charitum 127. ij. 22. malles 130. ij. 13. quid te 19. extitere 131. 2. 32. quo te amore 132. 1. 1. proſecuturus 133. 1. 28. intermiſſurus ſim ij. 22. in veterum Annalium 134. 1. 3. Oliuam 137. ij. 28. inuenias 139.1. 15. eſt, reſpondere nequiuimus 144.ij. 6. exhilaratum

ſentiam 147. 1. 15. *experiri* 21. *ſi quod* 23. *eſſet* ij. 20. *decipi* 149. 1. 32. *manabat or.* 153. 1. 9. *copulat* 2. 9. *dementiæ* 32. *niſi tu* 154. 1. 26. *vſitata* 156. 1. 12. *conſulturo* 158. ij. 20. *peruolauit* 159. 1. 27. *fauore* 2. 12. *intermiſſionem* 160. 1. 17. *expectari* 20. *Hæ* 2. 1. *admirãdus* 19. *municipes* 161. 1. 4. *exordirer habui* ij. 7. *ſermone* 13. *ſinam* 163. 1. ij. *legam, fac, ſint* 6. *poſteaquàm* 164. 1. 11. *impellerent?* 26. *repererunt.* 31. *quod ei maximo & ſplendori* 167. 1. 22. *vitam* 168. ij. 9. *citius etiam* 169. 1. 28. *promerituro te bene* 175. 1. 13. *qua te* 2. 6. *mi Bald.* 8. *proficiſcatur,* 176. 1. 31. *deſiderari* ij. 17. *erant,* 179. ij. 4. *quin totum* 31. *ſacram* 182. ij. 15. *accedentem ducit* 192. ij. 12. *noſtras* 194. ij. 19. *tollerent* 23. *te nulli* 195. 1. 10. *depopulationibus* 11. *ſubijcitur* 199. 1. 10. *ad quamlibet* 19. *et caſu* 22. *ad Deos accedere* 24. *trutinam* 26. *cõferri* 32. *iudicio* 200. ij. 1. *viſam* 13. *vrbis* 201. 1. 4. *deſerere reſpon.* 208. ij. 21. *exortas* 22. *quoſnam* 209. 1. 16. *dele non fuiſſe* 210. 2. 8. *teſtatum* 212. ij. 12. *vel quem alium* 214. ij. 2. *facis, ama* 220. ij. 11. *nefarias libidines* 222. ij. 31. *quinquaginta iug.* 32. *vt nos* 224. 1. 8. *fœminæ* 28. *illuſtratur* 231. 1. 18. *qui tibi, cum* ij. 30. *obſeruantiſſ.* 233. ij. 17. *Quòd, ſi* 28. *quod de me* 234. 1. 31. *locus eſt* ij. 14. *decreto* 237. 1. 21. *liberalitatem?* 138. 1. 26. *illis tamen* ij. 11. *capitalior* 240. ij. 6. *auulſus* 10. *gratum eſt nos,* 241. 1. 25. *niſi mauis vti* 242. 1. 31. *leges timuit,* 243. ij. 28. *æquari* 244. ij. 23. *dele apertiſſ. memorant* 245. ij. 28. *me à te* 247. 1. 6. *à Soncini* 12. *vnas* ij. 12. *debeat.* 257. 1. 2. *modus* ij 4. *domus* 28. *lethæo* 259. 1 17. *Aediculamq;* 28. *Hicq;* 29. *manent* 31. *aut* ij. 16. *defertur* 20. *oras?* 30. *peperere* 260. 1. 5. *vt ilia, ad oras* 261. ij. 14. *nauita* 22. *haud eſt* 263. ij. 30. *quot* 276. 1. 27. *ſeuera* ij. 32. *ingenio* 279. ij. 4. *Apollo ſacram* 5. *nã q* 280. ij. 7. *defunctus pel.* 291. 1. 15. *queis for.* 292. ij. 29. *audierĩ.* 295. 1. 6. *iuſſu dat.*

Reliqua benignus lector boni conſulet, qualia ſunt cõmata, interpunctiones, cola, literarũ ĩuerſiones, et errores aliqui in ortograph.